BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
12
7 Q
20

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE ROMA
55
2 E
18

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

72 a 16

Guastavini. loci selecti

5
V
21

1217 f 2

Coll. Alex. Soc. Jesu Cat. Inscr. B.S.

IVLII

GVASTAVINII

PATRICII GENVENSIS,

ET MEDICINÆ QVAM PRACTICAM APPELLANT, IN PISANO GYMNASIO PRIMO loco profeſſoris, locorum de Medicina ſelectorum Liber.

AD SERENISSIMVM COSMVM II Magnum Etruriæ Ducem IIII.

NVNC PRIMVM IN LVCEM EMISSVS.



BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

BIBLIOTECA NAZ. ROMA

LVGDVNI,

Sumptibus Horatij Cardon.

M. DCXVI.

CVM PRIVILEGIO REGIS.

Ex dono Horatij Cardon

AD

SERENISSIMVM

COSMVM II. MAGNVM ETRVRIÆ DVCEM IV.

IVLIVS GVASTAVINIVS.

SI meos in Ariſtotelis Problemata Commentarios, opus antea natum apud me, tibi dicaui, Sereniſſime COSME, *annis abhinc ſeptem, quo tempore iſtius Sereniſſimæ domus vix deguſtatis fauoribus, operæ qua vobis in Piſano Gymnaſio tradendæ Medicinæ inſeruio, initia auſpicabar; iuſtiùs profectò hic meus de Medicina liber tibi debetur, ortus apud te, id eſt, in ipſo illo Piſano Gymnaſio, dum in eiuſdem Medicinæ profeſſione ſub gratiæ, & benignitatis veſtræ aura feliciter curſum teneo. At verò de meo libro me ita loqui aliquis exiſtimet, quaſi in eo dicando gratiam tibi referre præ me feram, quod non ita eſt; ſed ſiue do, ſiue accipio, eum tibi deberi id dico; ſi enim do, muneris exilitate facio, quod erga Deum ſolemus, et thura reddentes, cui, quod viuimus, & ſpiramus, totum debemus, ſin accipio, quod potiùs exiſtimo, dum tu benignè excipis, ex illius benignitatis fonte me haurire par eſt, cuius ſummam vbertatem ſum expertus. Futurus quidem erat liber auctior, & amplior, multa enim eiuſdem materiæ argumenta alia erant apud me, & ſunt in ſchedis, operis veluti ſtamina, & fundamenta; ſed morbi vi grauiſſima nuper*

oppreſſus, quod tu haud ignoras, Sereniſſime Magne Dux, cuius ſummam erga me benignitatem eo tempore ſum expertus, texere, & perficere ea non potui. Quin & in iis quæ eduntur nonnulla ſunt, quæ rudiora aliis, & magis impolita facilè internoſcantur; ſed in ſcriptione medica id minùs curatum eſt, in qua ſi cultura adſit, laudatur, ſi abſit, non deſideratur. Pertexentur verò, & emittentur etiam quæ domi in ſchedis aſſeruari dixi, vbi Deo annuente, reſtitutis viribus labori haud impar ero. Ad officium enim noſtrum pertinere exiſtimo, qui in profitendis diſciplinis, & artibus in Piſano Gymnaſio operam præſtamus, vt non ſolùm dicendo, & docendo Profeſſorum perſonam tueamur, ſed ſcribendo, & inuulgando Gymnaſij famam, & celebritatem, quantùm vnicuique licet augeamus. Quid enim tibi rependamus aliud? Tu profectò, Sereniſſime Magne Dux, cùm ampliſſimæ Ditionis dominus, mille obnoxius curis, dum tot vrbium, & oppidorum adminiſtrationem regis, expeditiones maritimas quotannis aduerſus Turcas procuras, ſubditis iuſtitiam adminiſtras, pacem conſeruas, ſic tamen iis, quæ ad Gymnaſium pertinent vacas, vt præcipuum illud ſtudium exiſtimes, ſcientiarúmque Profeſſores non ſolùm liberaliter alis, ſed benignè, & humaniter excipis, honorificéque, & beneuolè aſſiduè tractas, vt de rerum tuarum quæcunque illæ ſunt, ſplendore, & amplitudine non poſſit vllus, abſque animi ingrati nota non eſſe vehementer ſollicitus. Ego igitur, & hoc qualecunque in præſentia confero, & conferam poſtea quicquid laborare poſſe conceſſerit Deus, vt in ſinum tuum reuertatur, quod è ſinu tuo prodiiſſe non inuitus confiteor. Genuæ, x. Cal. Sextiles.

INDEX

INDEX

CAPITVM QVÆ IN HOC LOCORVM DE MEDICINA SELECTORVM LIBRO CONTINENTVR.

Capvt Primvm.

DOLORIS definitio ex Galeno allata: eius cauſa proximaque ſit: voluptas multiplex: dolor quale ſymptoma, & ad quem ſenſum pertineat.

II. Dolorem eſſe tactus actionem deprauatam, & quomodo. Argenterij argumenta propoſita & diluta. Dolor à Galeno cur dictus ἐξαιρετὸν ſymptoma: vocis huius paulò diuerſa interpretatio allata: loca Galeni de dolore pugnantia, id eſt, eſſe & nō eſſe actionem læſam, conciliata. Argenterica doloris definitio refutata.

III. Doloris cauſam propriã, & proximam eſſe mutationem confertim, & violenter factam, voluptatis cõfertim. Pugnantia hac de re Galeni loca conciliata. Valleſius reiectus.

IV. Solutionem continui & intemperiem eſſe vtrunque doloris cauſam, neutram verò propriam & proximam. Auerroës improbatus. Mercurialis refutatus. Solutionem per ſe abſque intemperie, intemperiem neceſſariò cum ſolutione dolorem efficere. Galeni loca nonnulla diligenter expenſa.

V. Dolorem gigni à continui ſolutione quæ fit, non ab illa quæ facta eſt. Itidem ab inæquali intemperie, non ab æquali: quæ æqualis, & quæ inæqualis, Hieremiæ Thriueri, Fuchſij, & Valleſij opinio. Ex Galeni locis res explicata, & definita. Eiuſdem Galeni locus ex libro de inæquali intemperie accuratè perpenſus, & aliter quàm à Linacro tranſlatus.

VI. Dolorem à calida, frigida, humida, & ſicca intemperie creari: ſed alio, & alio modo. Galeni ea de re dicta inuicem pugnantia proponuntur. Humidam intemperiem abſque materia dari, aduersùs Mercurialem. Galeni loca conciliantur.

VII. Ad vnum & eundem morbum contumaciter perdurantem, diuerſa, adeóque prioribus contraria remedia aliquãdo adhibenda eſſe. Hippocratis, Celſi, & Auicennæ loca ea de re collata. Argenterius aduerſus Galenum, & alios interpretes refutatus.

VIII. De capitis ſitu ſomni tempore in iis qui diſtillatione laborãt. Auicennæ locus expenſus. Mercurialis notatus. Ariſtotelis opinio in problematis refutata.

IX. Cucurbitulas cum ſcarificatione, etiam incipiente morbo ritè adhiberi aliquando. Auicẽnæ locus expen-

ſus &,Galeno cóciliatus. Coſtæus notatus. Alter itidem, ſeu Galeni, ſeu Appollonij locus de cucurbitulis declaratus, de ſcarificatione plura.

X. Diſſidentes, & varię antiquorum, ac principum in medicina virorum de mittendo, aut nón mittendo ſanguine opiniones, de modo, aut menſura eius, déque ætate, quibus mittatur, & morbi tempore, ac alia ea de re. Galeni loca aliquot de cotyla. Fuchſius reprehenſus.

XI. De Anginæ nomine, & differẽtiis, ac de etymo Celſus notatus. Locus in libro cui titulus eſt Introductio, aut Medicus, ab interprete perperam conuerſus, emendatus.

XII. Inflammatio quomodo gignatur. Repellentium vſus in angina, & qualibet inflammatione, quóque tempore repellentia adhibenda. Varia Galeni loca adducta, & illuſtrata.

XIII. Anginam dari abſque inflammatione. Galeni ea de re inter ſe contrária loca conciliata. Particularis quędam angina Aretæi explicata.

XIV. In angina virùm ſanguis mittendus vſq; ad animi defectum. Græcorum & Arabũ ea de re opiniones. Hippocrates aduerſus Cœlium defenſus. Auicenna refutatus. Hollerij ſententia de menſura ſanguinis in animi deliquiũ reiecta. Galeni loca duo expoſita.

XV. De purgatione in angina Hippocratis loca duo ex quarto de ratione victus in acutis declarata; alterius vera lectio demõſtrata aduerſus Mellariam.

XVI. De laryngotomia, ſeu gutturis ſectione in angina. Pauli locus expenſus, & declaratus. Veterum, & recentiorum ea de ſectione opiniones. Aretæus refutatus.

XVII. Sanguis ſpumoſus vnde feratur. Qualis ex neceſſitate à pulmone. Qualis ab aliis partibus. Locus Hippocratis ex Coacis prænotionibus declaratus.

XVIII. De Rheumate, Catarrho, Influxione, & diſtillatione; Alcomarij lapſus. Duo Galeni loca ad catarrhum pertinentia malè ex Græco verſa, emẽdata. Argonterius notatus.

XIX. Indicationes quibus inflammatio, & quilibet ex fluxione morbus curatur. Duo ea de re Galeni loca accuratiſſimè examinata, & declarata.

XX. Ceratum palumbinum & ex ſinapi, vtrũ in deſtillatione calida capiti apponẽdũ ſit. Galeni & Tralliani opinio. Loca duo Galeni cóciliata. Amati Luſitani error oſtẽſus. Cornarij lapſus in verſione cuiuſdam verbi apud Aëtium. Auicennę locus de eadem deſtillatione ſubtiliſſimè expenſus.

XXI. In cruẽto ſputo ex acri, & ſalſa deſtillatione conuenire ſanguinis miſſionẽ ex Galeni opinione. Tralliani, & Pauli quæ aduerſari videntur, illis quadantenus conciliata. Auicennæ ea de re inconſtantia. Hippocratis, & Galeni loca ex ſexto Epidemiorũ nó refragari.

XXII. In ſputo cruento ſanguinem modò ex ſuperioribus, modò ex inferioribus partibus eſſe mittendum. Galeni, Pauli, Alexandri, Meſues, & Auicennæ, ac recẽtiorum ea de re opiniones. Suppreſſis menſibus eadem via incedendum: ex proximo, atque etiam affecto loco euacuatione interim vti licere, cùm reuulſione adhuc opus eſt. De reuulſione aliqua ex Galeno.

XXIII. De loco miſſionis ſanguinis in pleuritide, Auctorũ omnium, Græcorum, Arabum, & Latinorum ſententiæ variæ iuxta temporis ſucceſſionem quo floruerunt, ſigillatim explicatæ. Quid commune, & quid propriũ; quid ſimile,

ſimile,aut diſſimile continerent, oſtéſum. Poſitis quibuſdā fundamentis de reuulſione,&deriuatione,propria ſententia aſſertur,& rationibus cōfirmatur.

X .IV. De cauſis paralyſeos ſuſpectus Galeni locus perpenſus, & declaratus,ac Auicennę non diſſentire oſtéſus. Paralyſeos cauſa à recentioribus quibuſdam adducta,refutata.

XXV.Variæ ex Galeno febris definitiones aut deſcriptiones:febris naturā non quantitate,ſed qualitate conſtare. Tralliani deeadē re opinio. Ad Galeni definitiones adnotata quædam, cuiuſdámque loci tentata correctio.Alexandri Aphrodiſienſis & Auicennæ febris definitio allata.

XXVI. Diluuntur argumenta aduerſus febris calorem propoſita, & febris definitio Alexandræa,ſeu Auicennica explicatur.

XXVII. Febris diuiſio in febrem morbum, & febrem ſymptoma conſideratur:Galeni & Auicennæ de ea opiniones. Febris ex obſtructione,verùm febris accidēs dicēdá an febris morbus ſit. Capiuaccij opinio laudatur, & adſtruitur. Febrem morbum, & febrem accidens non diſtare natura.

XXVIII. Febris nomen aliquando morbum, & diſpoſitionē febrilem,aliquádo eius ſymptoma ſignificare Hippocratis loca duo ea de re illuſtrata.

XXIX.Vtrùm febres ex humoribus tantùm putridis oriantur an verò ſine putredine illis ſolis excalfactis Tralliani,Auerrois,Gentilis,Valeſci Herenlani & Valleſij opinio, poſteriorem partem adſtruentium: Galeni placitis eam non aduerſari. Tralliani locus in Latina verſione correctus. Iouberti paradoxus febres nullas ex putreſcentibus humoribus fieri,confutata.

XXX. Declaratur Galeni ſententia de duplici febrium genere,quæ per bubones oriuntur, & Argenterij argumenta aduerſus eum diluuntur.

XXXI. Febris diaria vnde dicta,cur alia vno tantùm die, alia plus vno aliquando duret:quæ ex parua eſt obſtructione, plurimos etiam aliquando durare,& ſecundam habere acceſsionem, in eáque ſanguinem mitti debere.

XXXII.Qui dicātur morbi particulares,aut in partibus, ſeu partiū,& locales, ac appropriati, & quare hoc nomine appellentur. Qui itidem vniuerſales. Titulus quarti libri Auicennæ explicatus.

XXXIII.Galenici loci vulgata lectio retinetur aduerſus Fuchſium, & Leoniceni tralationem. Eiuſdē loci ſenſus explicatus. Valleſij interpretatio reprobata,& Galeni loca defenſa aduerſus eundem.

XXXIV. Quibus in febribus,quáq; ratione,& cōſilio mittēdus ſit ſanguis.

XXXV. De tribus febrium generibus ex Galeno,déque acuto,& magno morbo.

XXXVI.De Paroxiſmo,& hora exhibendi cibi.

XXXVII. De abceſſuum ſecundùm rectitudinem, & qui tales non ſunt,vtilitate. Galeni locus ex ſecundo Epidemiorum malè ab interprete acceptus,emendatus.

XXXVIII.De febre ardēti,& ſynocha, quæ certam aliquam & determinatam febris ſpeciem non ſignificant. Galeni locus ex ſecundo de differentiis febrium illuſtratus.Qua ratione febris ardens fiat: de vera, & notha ardente, quæque periculoſior,& quæ minùs.

FACVL

FACVLTAS HVIVS LIBRI IMPRIMENDI.

THOMAS DE MESCHATIN LA FAYE, Comes, Canonicus & Camerarius Eccleſiæ Lugdunenſis, & Vicarius Generalis in Archiepiſcopatu Lugdunenſi: Opus quod inſcribitur *Iulij Guaſtauinij locorum de Medicina ſelectorum Liber*, vt in lucem edatur, facultatem concedo, Lugduni Cal. Septemb. 1615.

MESCHATIN LA FAYE.

CONCESSIO.

LIBRVM hunc *Iulij Guaſtauinij locorum de Medicina ſelectorum*; Ego Iacobus Daueyne Regis Procurator typis mandari, tum demum in lucem exponi conſentio. DAVEYNE.

TRactatus hic *Locorum de Medicina ſelectorum, Iulio Guaſtauinio Authore*, vt HORATIO CARDONE Bibliopola lucem videat permittimus: ſimul ne quis citra factam ei ab ipſo poteſtatem denuo excudat, interdicimus. Lugduni Cal. Septemb. 1615. SEVE.

SVMMA PRIVILEGII A CHRISTIAniſſimo Galliarum Rege conceſſi.

LVDOVICI XIII. Galliæ & Nauarræ Regis auctoritate ſancitum eſt, atque patentibus Litteris cautum, ne quis in Regno ſuo, aliiſve locis ditioni ſuæ ſubiectis, intra proximos annos decem, à die impreſſionis primæ inchoandos, ac numerandos, excudat, vendat, excudendúm, vendendúmque quouis modo & ratione conetur tractatum, qui inſcribitur, *Iulij Guaſtauinij locorum de Medicina ſelectorum Liber*, præter HORATIVM CARDON Bibliopolam Lugdunenſem, aut illos, quibus ipſemet cõceſſerit. Prohibitum inſuper eadem auctoritate Regia omnibus ſuis ſubditis, eundem librum extra Regni ſui limites imprimendum curare, vel quempiam, vbicumque fuerit, ad id agendum impellere, & inſtigare, ſine cõſenſu dicti HORATII CARDON. Idque omne ſub confiſcatione librorum, aliiſque pœnis originali Diplomate contra delinquentes expreſsis. Datum in Fonte-bellaqueo, die vigeſima quarta Octobris, anno milleſimo ſexcẽteſimo decimoquarto.

De mandato Regis.

Signatum BRVLART.

IVLII GVASTAVINII PATRICII GENVENSIS, ET MEDICINÆ, QVAM PRACTICAM APPELLANT, IN PISANO GYMNASIO primo loco Profeſſoris, locorum de medicina ſelectorum Liber.

Doloris definitio ex Galeno allata: eius cauſa proxima quæ ſit: voluptas multiplex: dolor quale ſymptoma, & ad quem ſenſum pertineat.

CAPVT PRIMVM.

COMPREHENDAM aliquot deinceps capitibus quæcunque ferme ad naturam doloris euoluendam pertinent: definitione enim illius poſita ſingulas particulas examinabò, dubitationibuſque & diſſolutionibus earundem allatis, tota eius natura erit explicata. Eam igitur affectionem ex Galeni doctrina magnam partem à Platone deſumpta ita definio: Dolor eſt triſtis ſenſatio ob mutationem confertim, & violenter factam. Poſſit autem hæc perfecta exiſtimari definitio, quæque doloris naturam abſolutè exprimat: ſi tamen vlteriùs adhuc rem totam deſcriberé, & declararé velimus, hæc præterea addere licet, ratione ſolutionis continui, aut intemperiei, vt tota oratio ita habeat: Dolor eſt ſenſus triſtis ob mutationem confertim, & violenter factam ex ſolutione continui, aut intemperie. Eſt igitur ſenſus, aut ſenſatio, id eſt, affectio; quæ ſenſibus incidit, & qua ſenſus & ſenſiles partes percipiunt aliquid: vnde quæ carent ſenſu, carent etiam dolore: eſt triſtis, quo differt tum à ſenſatione alia, in qua propriè nec dolor, nec voluptas contingit,

tingit, quum ſcilicet ſenſus ſimpliciter apprehendit obiectum, cum à ſenſatione cum voluptate, quæ eſt ſenſatio iucunda, & oblectans. Oritur autem illic triſtitia ob mutationem confertim, & violenter factam; quippe in ſenſatione languidiori & magis remiſſa, quæque ſenſim fit, ſimplex eſt obiecti apprehenſio, nulla autem voluptas, aut dolor ſequitur. At cùm quiſpiam confertim, & violenter à ſtatu naturali ad eum, qui præter naturam eſt, compellitur, dolorem percipit, & cùm à ſtatu præter naturam ad naturalem ducitur, voluptatem. Hæc Platonis in Timæo & Galeni ab ipſo haurientis eſt opinio & ſententia, ab aliis etiã propoſita, quæ tamen obiectionem patitur. Nam potionis non indigens, & qui ratione ſitis in naturæ ſtatu continetur, ex guſtu tamen ſuauis vini vehementer delectatur, & Veneri deditus nullo etiam redundante ſemine, cuius excretionem, cùm ſtimulat, deſiderat natura, ex concubitu maximam percipit voluptatem, quod in aliis ſenſibus etiam animaduertere liceat. Exiſtimamus voluptatem non eſſe vnum quiddam, & ſimplex, ſed varios illius modos, qui ſub vna quidem ratione generatim contineantur, particulatim non item. Primus igitur illius modus eſt, qui ad animum totus pertinet, vt quæ in contemplando poſita eſt voluptas, tũ quæ in agendo, & efficiendo, vt qui canendi, aut pingendi ſtudio ducũtur; alia ad ſenſum pertinet, vt quã ex Venere, & potu poſuimus, quũ ſenſus ex iucundo obiecto demulcentur. Poſtrema ad ſenſum etiã pertinẽs, quæ ex Galeno definita eſt, ſenſatio iucunda, quum à ſtatu præter naturam ad naturalem confertim reditus fit, vt cùm famelicus cibo ſe explet. Hæc non eſt plus minus ſine ſenſus demulcimento: hoc tamen abſque illa. Galenus reliquas omiſit, hanc propoſuit, quando cùm eſſet oppoſita dolori, cuius naturam quærebat, ad rem propoſitam faciebat, quæ autem mulcimentum, aut delinitio ſenſus eſt, illa cùm ſemper ſit ſocia priori, ſub hac continetur; præterquam quòd in ea acceſſus quidam ad naturalem ſtatum dici poſſit, quùm ſenſus ex facultate, quam habet, ad actum eo mulcimento deducantur: iucunda enim obiecti appulſione excitantur ſopiti ſpiritus, & ex illa commotione, & veluti contrectatione, qua ad actionem deducuntur ſenſus, gignitur voluptas: ex quo talis motus ſimilis admodum videtur voluptati, quæ à Galeno eſt deſcripta. Igitur dolorem, quem definiuimus, eſt ſenſatio illa triſtis, ex obiecto moleſto & noxio de proprio ſtatu confertim, & violenter naturam deturbante, quia naturæ vires exſuperat, nec illi commenſuratum eſt. Talis autem definitio Ciceronianæ illi haud abſimilis videatur, quæ ſcripta eſt ſecundo Tuſculanarum quæſtionũ in hæc verba: *Dolor eſt motus aſper in corpore, alienus à ſenſibus*: quod enim *in corpore* addit M. Cicero, moleſtiam illam, aut triſtitiam ſeparare voluit ab ea, quæ ſolius animi eſt, quámque laborem propriè eo loco dici vult Cicero, nihil ad corpus attinens, cùm dolor, etſi corporis eſſe intelligatur, ad animum etiam pertineat. Eſt enim profectò hic rei moleſtæ ſenſus cum cognitione, non enim ſine hac ſenſorij ipſius alteratio dolorem efficiat, quod ſcribit Galenus

libro 7. de decretis Hippocratis & Platonis cap. 6. Huiuſmodi autem cognitio non videtur pertinere ad ipſum ſenſionis organum (quamquam eſt hæc non leuibus contentionibus agitata quæſtio) quod ſolum patitur, & afficitur, & eſt corpus neruoſum, ſed ad interiorem facultatem, quæ cognoſcat, & iudicare poſſit, ſiue illa ſit ſenſus communis, ſiue phantaſia: mentem appellat Hippocrates libro ſecundo Aphoriſmorum, Aphoriſmo ſexto, cùm ſcribit: *Quicunque dolentes aliqua parte corporis, omnino dolorem non ſentiunt, iis mens ægrotat*: eodem enim temporis momento quo corpus neruoſum afficitur, dolorifico obiecto huic facultati impartito, fit dignotio eiuſdem atque iudicium, nimirum apprehenditur tanquam iniucundum, & triſte: ſi autem obiectum aliqua ratione facultati haud communicetur, non fiet dolor: vnde & multi grauiſſimè vulnerati, dum adhuc cum hoſtibus certant, abſtracti ardore pugnæ & cogitatione aut mente aliò abrepti, vulnerum dolores haud ſentiunt. Illi etiam qui delirant, quum eorum facultates interiores officio minimè fungantur, nec dolores ſentiunt, nec ſapores diſtinguunt, ita amara, & fœtida, ac dulcia & odora ingerentes. Pertinet igitur dolor tum ad ſenſum, ideſt, ad organum, tum ad facultatem interiorem: & quoniam eſt ſenſio triſtis, & cum noxa, eſt ſymptoma, ex genere actionum ſenſilium læſarum: læſa enim, & vitiata eſt ſenſilis actio; verùm cùm ſenſus quinque ſint, ad quem ex illis pertinet dolor? Profectò, qui eam noxam, & moleſtiam patitur ſenſus, propriè eſt ſenſus tactus, ex Galeno libro de differentiis ſymptomatum, cap. 3. vbi tactum præter cæteros ſenſus, egregium in actione ſua ſymptoma poſſidere dicit, nempe dolorem; licèt idem dolor reliquis etiã ſenſibus accidat ab externis propriis ſenſilibus, vt viſui à colore, guſtui à ſapore, vt latè oſtenditur lib. 1. de ſymptomatum cauſſis cap. 6. licèt aliis minus, prout tenuiore, aut craſſiore ſubſtãtia vnuſquiſque ex ſenſibus conſtat, vt eodem loco oſtendit Galenus: vnde minimè omniũ afficitur viſus, tum auditus, mox olfactus, quem ſequitur guſtus, & poſtremò omnium maximè tactus, qui acerrimus in homine eſt, & hic non ſolùm ab externis ſenſilibus, vt alij ſenſus, ſed multò magis ab affectibus internis corporis pati ſolet. Hac de re ita Galenus loco modò citato ex libro de differentiis ſymptomatum. *Gignitur ergo, & in oculis ex lucis ſplendore doloris quadam paſſio, & in auribus ex magno quopiam, & aſpero ſtrepitu, ſic in guſtatu quoque, & odoratu aliæ tales incidunt paſſiones triſtes, à proprio ſcilicet ſenſili vnoquoque ſenſu dolore affecto: maximi verò dolores tactus ſenſui cõtingunt. Quippe qui ex aurium phlegmone aliòve affectu vehementer nos angunt, ij proprij auditus dolores non ſunt, ſed tactus: eſt enim is ſenſus omnium ſenſoriorum communis, reliqui quatuor ſui quiſque ſolius; ad eundem modum in oculis non rarò dolores immodici vrgent, tangẽdi ſcilicet in his ſenſu contriſtato.* Porrò hoc loco quęritur de aliis hiſce ſenſibus pręter tactum, vtrùm quatenus proprij per ſe, & à tactu ſeiuncti patiantur dolorem, an ſolummodo quatenus tactu participant: manifeſtum enim eſt, hoſce ſenſus dupliciter pati dolores, & à propriis ſenſibilibus, vt

oculum à nimia luce;& auditum à graui ſono, vt ex Galeni verbis modò propoſuimus,atq; etiam quatenus tactus participes ſunt,ſicuti cùm idem oculus percutitur;& cùm auris inflammatur, quod etiam eodē loco proponit Galenus. Atqui ſicuti certum eſt, viſum, & auditum ſub hoc ſecundo caſu pati,tanquā tactu illis communicato, tactus enim per omnes ſenſus eſt diſperſus , ita quæritur , cùm patiuntur à propriis ſenſilibus, vtrum tanquam tactus participes patiantur,an quatenus proprij viſus,& auditus ſenſus. Ex Galeno res non patet liquidò;nam cùm dicat,ſenſum tactus egregium propriè obtinere in facultate ſua ſymptoma,qui eſt dolor,videtur exiſtimare ad ſolum ſenſum tactus pertinere dolorē. Si enim proprium illi eſt ſymptoma, non eſt alij commune ; ſed cùm dicat alios etiam ſenſus pati dolorem ab externis ſenſibilibus propriis , aliis etiam dolorem communicare videtur; alij hoc , alij illo modo exiſtimant rem habere.patique ſenſus illos tum ratione propria, tum ratione communi, ſed hoc diſcrimine interpoſito,quòd ratione communi,& quatenus tactu participes,maiores,& acerbiores dolores patiuntur , hincque eſſe Galeni ſenſum loci recitati ex primo de ſymptomatum cauſis capite ſexto,vbi in ſenſum tactus omnem dolorem videtur reiicere,ſcilicet dolorem magnū; ita enim interpretantur,cum moderatus poſſit aliis etiam ſenſibus quatenus tales incidere;ſed veriùs puto dici ; quemlibet dolorem pertinere ad ſenſum tactus;& qui dolores ex propriis ſenſibilibus quatuor illos ſenſus moleſtant,ad illos non pertinere,niſi quatenus ſenſus tactus ſunt participes.Nam nimius lucis ſplendor , quod eſt proprium oculorum , aut viſus ſenſile,non lædit oculos aut viſum,niſi quia eundem nimium ſegregat,& vnitatem diſſoluit, ſicuti etiam eodem loco ſcribitur à Galeno , hæc res autem pertinet ad ſenſum tactus,qui in oculis eſt diffuſus.Eadem ſententia manifeſtiſſimè habetur apud eundem Galenum quarto de ſimplicium medicamentorum facultatibus,vbi ex Platonis mente dicebat, omnes ſaporum ſenſus media alteratione,& ex hoc media ſolutione continui,dolorem afferre,acida quia incidunt,ſalſa quia abſtergunt, amara quia corrodunt,& acerba quia conſtringunt.Propriè igitur, & per ſe dolor pertinet ad ſenſum tactus , ad reliquos autem ſenſus , quatenus tactu participant;ita dolor eſt ſymptoma pertinens ad actiones ſenſiles,& propriè ad ſenſum tactus , cuius eſt actio vitiata. At quomodo dolor dicitur ſymptoma , qui à Galeno libro 2. methodi cap. 2. dictus fuit morbus ? ibi enim cùm de nominum diuerſitate ageret , quæ morbis impoſuerunt. ipſorum primi auctores , aliòſque ex illis diceret à læſa particula nomen fuiſſe ſortitas,inter hos numerat Cephalalgiam, hoc eſt, capitis dolorem. Tertio etiam de locis affectis cap. 9. ita appellat cephalæam,ſcribens: *De ea quoque,quæ Cephalæa dicitur, nemo dubitat quin cerebri morbus ſit.* Sed Galenus hiſce locis,minùs propriè , at iuxta vulgarem hominum loquendi conſuetudinem eam vocem vſurpauit, ita enim ſæpenumero loqui , & quæ ſymptomata ſunt,morbos appellare ſolemus,vt dolorem colicum,&

nephi

nephitricum,& alios affectus, qui vulgò morbi dicuntur. Haud ignoro Aponenſem differentia LXXIII. varia ratione dolorem accipi poſſe ſcripſiſſe,& ſicuti propriè ſymptoma eſſe vult, quum in motu, & alteratione conſiſtat,non in diſpoſitione,aut habitu,ſub quo locatur morbus, ita quum altiores aliquando radices agat idem dolor,permaneátque diutius,immuratúmque ſit ſubiectum,induere morbi habitum voluiſſe. Dicit igitur materialiter ſumptum dolorem poſſe morbum appellari,formaliter non poſſe, vulgò autem hac altera ratione ſumi, ideo ſub ſymptomate collocari. Vberrimè hunc locum tractat ea differentia Aponenſis, nobis autem non ſunt plura hîc afferenda.

Dolorem eſſe tactus actionem deprauatam, & quomodo. Argenterij argumenta propoſita & diluta. Dolor à Galeno cur dictus ἐξαίρετον ſymptoma: vocis huius paulò diuerſa interpretatio allata: loca Galeni de dolore pugnantia, ideſt, eſſe & non eſſe actionem læſam, conciliata. Argenterica doloris definitio refutata.

CAPVT II.

ATQVI ſi eſt ſymptoma actionum ſenſilium,hoc eſt,tactus vitiati, quo vitiatæ actionis genere comprehenditur? Illud enim ex Galeno iam ſcitum eſt,actionem,aut operationem tripliciter vitiari,ſeu lædi,cùm perit,cùm imminuitur,& cùm deprauatur: non perit in dolore ſenſus tactus,non enim tactu priuantur qui dolent,non imminuitur,vt parum,& obtusè ſentiant,quod accidit in ſtupore;quare relinquitur,vt deprauetur;erit ergo actio ſenſus tactus deprauata. At quomodo dicitur actio,cùm ſit potius paſſio? eſt enim ſenſio triſtis, & moleſta,ſenſio autem fit cùm mouetur,& patitur aliquid, ex Ariſtotelis libro ſecundo de anima. Reſpondeo,dolorem dici actionem eo modo,quo cæterorum ſenſuum actiones,cùm ſit actio tactus,ſed,vt diximus,corrupta, & quæ perperam fit:magis tamen propriè eſt paſſio, ſicuti eam appellat Ariſtoteles locis adductis:ſed vnus,& idem motus,non abſurdè actio,& paſſio dici poteſt ex Galeno,libro de differentiis ſymptomatum cap. 1. per hæc verba: *Paſſio eſt motus in materia qui fit ab agente, ipſe verò agentis motus actio eſt.* Magis tamen in patiendo, quàm in agendo conſiſtere ſenſum tactus,habemus apud eundem Galenum lib. 1. de ſymptomatum cauſis: dicuntur tamen actiones ſenſuum,quia ſunt eorundem operationes,ipſiq; ſenſus muneribus ſuis funguntur,vt viſio videt,& auditus audit,licèt functio ipſa in paſſione ſit poſita; ſed reſpicientibus ſenſus,qua ratione functiones obeunt, liceat illas appellare actiones, quod etiam facit ſæpius

Ariſtoteles in libris de moribus, vt decimo ad Nicomachum appellans eoſdem energias, & αἴσθησιν, dicens ἐνεργεῖν, ideſt, ſenſum agere, ſeu operari. Id tamen noluit recipere Argentertus, ſed commentario ad Aphoriſmum ſextum ſecundi libri, dolorem non poſſe eſſe nec actionem, nec ſenſationem pluribus rationibus colligere conatus eſt: quarum prima hæc eſt; ſi dolor eſt actio, edet vtique aliquod opus, vt concoctio aliquid concoquit, & viſio aliquid videt. Atqui malè ſumis, ô Argenteri, actiones bonas & integras, quales ſunt viſio & coctio, vt ex illis concludas aduerſùs dolorem, qui eſt actio vitiata, & corrupta: actiones enim vitiatas, & illic aſſumi oportuit, vitiatarum enim actionum vitiata ſunt opera, qualis eſt luſcioſitas in videndi ſenſu; quod opus igitur edit luſcioſitas? Sanè nil aliud reſponderi poſsit, quàm viſionem vitiatam, ego verò ad eundem modum, dolorem edere tactionem, quippe non fit dolenti ſecundùm naturæ leges, eſſet enim abſque dolore. Cæterùm vt tota hæc res apertior fiat, libet addere quomodo putem dolorem eſſe actionem deprauatam: non enim ſicuti aliorum ſenſuum deprauatæ actiones dicuntur, quum labuntur, aut decipiuntur circa obiecta, quod non eſt, eſſe putantes, aut aliud pro alio accipientes, ita dolor eſt ſymptoma, aut deprauata actio ſenſus tactus; huiuſmodi enim ſit in hoc ſenſu, ſi quod eſt calidum, frigidum, molle, durum, aſperum, lene, aut è contrario accipiatur, & ita in aliis, ſed dolor dictus eſt actio aut ſenſatio deprauata, quia fit quidem ſenſatio, ſed non ritè, nec iuxta naturæ leges, & conditiones, eo quòd obiectum minimè commenſuratum ſit, & ob hanc rationem factum eſt, vt Galenus dolorem ſubiecerit ſymptomatibus ſenſui tactus euenientibus, poſtquam generatim, quæ vel non fiũt, vel prauè fiunt in ſenſibus omnibus, & in ipſo etiam tactu propoſuiſſet: poſtquam enim libro de differentiis ſymptomatum cap. 3. hæc ſcripſit; *Particulares verò noxæ ſenſuum in ſingulorum ſenſuum functionibus deprehenduntur, vt in oculis cæcitas, viſus hebes, deprauata viſio, in auribus ſurditas, grauis auditio, deprauata auditio: ita & de lingua, & naribus, & tactu ad portionem horum dicendum eſt, quamquam propria nomina non obtinent.* Tum quaſi rem diſtinctam addit, *tactus autem in ſua functione præter reliquas ſenſiones, proprium, & inſigne ſymptoma obtinet, nempe dolorem.* Eſt igitur dolor actio quidem deprauata, non eodem tamen prorſus modo, ac in aliis ſenſibus, actionum deprauationes accipiuntur, & in ipſo tactu etiam vti oſtendimus. Vnde Galenus dixit eſſe ſymptoma ἐξαιρετὸν, quod Leonicenus vertit, *egregium*, alij duobus nominibus *proprium, & inſigne*; puto autem ſignificare exemptum è numero, ſicuti enim ἐξαιρέω, & ἐξαίρω ſignificant *eximo, educo, ſecerno, & ſeligo*, ita ἐξαιρετὸν, è numero eorum quæ dicta ſunt ſecretũ oſtendit, vt modus oſtendatur diuerſus, quo dolor eſt ſymptoma ab aliis actionum læſionibus, de quibus paulò antè loquutus fuerat. Non ſit igitur fortaſſe neceſſe, dolori conuenire, quod aliis læſis actionibus conueniat, ne dum conueniat, quod aliis integris actionibus, quo fundamento tamen ni-

teba-

tebatur Argenterij argumentum; ac tamen conuenire quod læſis aliis actionibus, oſtendimus cùm Argentericæ rationi ſatisfecimus, quæ prima fuit. Sequitur altera, qua probare contendit dolorem non eſſe ſenſationem. Si dolor eſt ſenſatio, haberet aliquod peculiare obiectum, eſſetque alicuius ſenſus actio, at doloris nullum eſt obiectum, nec alicuius ſenſus eſt actio, vel paſſio, quum in omni ſenſu & ſenſorio fiat. Reſpondeo, dolorem propriè pertinere ad ſenſum tactus, eſſéque illius actionem vitiatam, eo modo quo proximè docuimus; non habet tamen ita peculiare obiectũ, quod nec eſt neceſſe, vt alij ſenſus, quorum obiecta ita ſunt vni propria, vt aliis nõ cõueniant: tactus enim eſt diffuſus per omnes alios ſenſus, vnde aliorum ſenſuum obiecta tactus etiam obiecta ſunt. Talia igitur obiecta, cùm minimè ſunt commenſurata, ſed naturæ limites excedunt, tactus qui in ipſis eſt, malè afficitur, malaque, vitiata, & extranea editur actio, qui eſt dolor; proprium tamen obiectum ſenſus tactus, eſt qualitas tactilis. Tertiam rationem adhuc proponit Argenterius: ſentire eſt iudicare, ex Ariſtotele 2. Topicorum cap. 2. dolerę autem non eſt iudicare, aliter enim dolor eſſet cognitio, igitur dolere non eſt ſentire, nec dolor ſenſatio. Ad maiorem propoſitionem dicimus, exiſtimaſſe Galenum ſenſum per ſe non iudicare, quam rem ſuperiori capite, ex ſexto de decretis Hippocratis, & Platonis propoſui, at hanc doloris definitionem ex Galeno affero: ſed illo etiam conceſſo, negamus minorem propoſitionem, dolere enim eſt iudicare, qui enim dicit dolere, dicit apprehendere obiectum tanquam noxium, & infenſum, quod non eſt aliud quàm iudicare, & hoc modo dolor dici poteſt cognitio, iam enim diximus non eſſe ſolam ſenſorij alterationem, idq; vel vltro Argenterio concedimus, ſed cum iudicio quodam, quod iudicium alij ſenſibus ipſis, alij facultati interiori tribuunt. Afferri huc non incommodè Gentilis etiam opinio, & diſtinctio fortaſſe poſſit, dolorem ſenſationem eſſe, dupliciter intelligi poſſe, vel enim dolorem eſſe ſenſationem ipſam formaliter, vt Gentilis loquitur, vel non eſſe formaliter ipſam ſenſationem, ſed aliquid ſenſationem cõſequens. Priori igitur modo dolorem non eſſe ſenſationem, altero autem ſenſationem dici poſſe. Ita dolorem re ipſa non eſſe actionem læſam: quoniam autem ſenſatio læſa, & id quod ipſam cõſequitur ſunt valde proxima, ideo fieri, vt dolor actio læſa dicatur, cùm re ipſa ſit aliquid conſequens actionẽ læſam. Alia etiam argumẽta proponit ibidem Argenterius, quæ proximè commodiori loco afferentur, & diſſoluentur. Alia rurſus de eadem re dubitatio eſt, ex iis quæ à Galeno proponuntur exorta, quomodo dolor actio læſa, aut vitiata dicatur, cùm ab hoc auctore lib. ij. artis medicæ cap. L X X V. enumeretur dolor ſeorſim, & diſtinctus à læſionibus operationum, tanquam res alia ab ipſis. Ibi enim comprehendens corporum ægrotantium ſigna, quæ ſenſui non apparent, dicit illa ſumi ex operationum læſionibus, aut his, quæ excernantur, aut doloribus, aut tremoribus, præter naturam ſe-
parare

parare igitur videtur dolorem ab actione læſa, quod etiam facit lib. 2. de locis affectis cap. 9. Reſpondet Truſianus, qui in commentario ad eum Galeni locum libro artis medicæ dubitationem proponit, dolorem non eſſe propriè læſionem actionis tactus, quod ex eodem Galeno confirmat; inde enim factum, vt libro de differentiis ſymptomatum, propoſitis ſymptomatibus aliis, id eſt, triplici illa læſione actionis, quæ vnicuique ſenſui accidit, ſubiecerit quæ ad dolorem pertinent, tanquam alia ab illa triplici diuiſione ſcribens hæc: *Tactus autem in ſua functione præter reliquos ſenſus proprium, & inſigne ſymptoma obtinet, nempe dolorem*, quia igitur aliquo modo eſt alius, fuiſſe à Galeno recitatis locis propoſitum ſeorſim à læſionibus operationum; eſſe autem aliam, nec propriè eandem læſionem, quæ à Galeno triplici illa diuiſione proponitur, ex eo oſtendit; nam, vt paulò antè nos etiam dicebamus, non eſt interitus ſenſus, quod eſt non ſentire aliquid ex iis quæ oportet, neq; eſt debilis ſenſus quod eſt non certò, & bene comprehendere impreſſionem factam à re ſenſili, neq; eſt prauus ſenſus; quod eſt errare, & decipi circa obiectum, vt ſentire aliquid, nullum cùm ſit ſenſile, vt qui vident muſcas volantes cùm non ſint, ſicut contingit illis, quibus imminet ſuffuſio, aut ſentire bombos in auribus qui extrà nulli fiunt. Hæc attulit Truſianus, ſed quomodo eſſet diuerſus dolor, & qua re diuerſitas conſiſteret, apertiùs non manifeſtauit. Nos ſuperiùs non quidem dolorem non eſſe propriè læſionem ſenſus tactus diximus, ſed non eſſe eundem læſionis modum, quo cætera actionum vitia dicuntur ſymptomata, propterea dolorem ab his fuiſſe ſeparatim poſitum. Argenterius hoc idem argumentum, quod Truſiani eſt, vt diximus, proponit loco antea adducto, & ſimul coniecturam à Truſiano itidem allatam, cur ſeparatim, & poſt alia fuerit de dolore res propoſita; reticuit tamen Truſiani nomen Argenterius, cùm æquum fuiſſet, quæ ſua non erant, auctoribus tribuere. Proponit autem hæc Argenterius, vt probet dolorem non eſſe actionem, quod exiſtimaſſe eum virum paulò antè diximus. Si enim non eſt actio, quæ perierit, aut imminuta ſit, aut deprauata, iam ſanè non eſt actio læſa, nec actio dicenda; & verò, quòd ita ille exiſtimaret, de ſolutione dubitationis nihil cogitauit, ſed ex Ariſtotelis auctoritate denuo dolorem neque actionem, neque ſenſationem eſſe probare contendit. Ab hoc enim philoſopho libro decimo Ethicorum eſſe ſcriptum, abſurdum eſſe arbitrari dolorem, & voluptatem eſſe ſenſationem, aut actionem. Hinc aliam à Galenica doloris definitionem eodem loco affert Argenterius, iuxta Ariſtotelis opinionem ita definire profeſſus: *Dolor eſt moleſtia, quæ oritur in ipſa ſenſatione, aut in animi functionibus, ex his quæ continuum ſoluunt*. Loca Ariſtotelis citat ex ſexto Topicorum, & decimo Ethicorum. quinimmo addit poſitam definitionem reperiri integram in libro ſexto Ethicorum, vbi definit dolorem eſſe paſſionem animalis factam cum moleſtia à diuiſione partium cohærentium. Hîc, plura ne dicam, omnia explodenda ſunt. Definitionem illam doloris integram,

ſcriptam eſſe libro ſexto Ethicorum, adeò falſum eſt, vt in toto illo libro doloris nulla vnquam fiat mentio. Verùm fuerit hæc librariorum culpa, & pro Ethicorum, reponamus Topicorum: hunc enim puto ſignificari librum. Sanè, neque in eo propoſita definitio habetur; ſed hoc tantùm, dolorem eſſe διάστασιν τῶν συμφύτων μερῶν μετὰ βίας, ideſt, *dolorem eſſe diſſeſſionem, aut ſeparationem*, vt vertit antiquus interpres (diſceſſionem fortaſſe meliùs dicam) *partium natura coniuncta um violentia excitatam*; quam definitionem mox reprehendit Ariſtoteles: non enim diſſenſio illa partium eſt dolor, ſed dolorem efficit, vt ſubiicit Ariſtoteles. Sanè Alexander in commentario ad eum locum, dolorem eſſe dicit perturbationem (vt vertit Raſarius) animalis propter diſſenſionem partium, natura coniunctarum; ſed quod perturbationem dicit Raſarius, illud non eſt moleſtia, Græcè enim πάθος legitur, ideſt, paſſio aut affectio, & affectionem eſſe dolorem diſertè ſcribit Galenus, moleſtia autem ex Galeni doctrina idem cum dolore eſt, ſicuti paulò pòſt oſtendemus, vt non ſit in definitione accipienda. Nec verò decimo libro de moribus cap. quinto, negat Ariſtoteles dolorem eſſe actionem, aut ſenſationem, ſed voluptatem ſolam nominat; doloris autem nulla mentio, ſed quia contraria ſunt, & ſub eodem genere cõtinentur, licuerit Argenterio Ariſtotelis ſententiam illam dilatare. Atqui nec voluptatem negat eſſe ſenſum: ſed ſiue cogitationem ſiue ſenſum, vnum & idem eſſe cum voluptate, id verò negat; quippe docuerat antè, vnumquemque ſenſum atque etiam cogitationem habere ſuam voluptatem, atque ab ea augeri, amplificari, perfici, & abſolui actiones, & operationes, cùm, vt ipſemet Ariſtoteles eodem loco ſcribit, diligentiùs quidq; iudicent, accuratiùs perſequantur, & adminiſtrent, qui cum voluptate operantur, & munere ſuo funguntur: eſſeque adeò iunctam, & confuſam voluptatem actioni, aut muneris functioni (ita enim meliùs Græcorum ἐνέργειαν conuertunt) ab eáque adeò inſeparabilem, vt à nonnullis fuerit dubitatum, vtrùm idem eſſet actio, ſeu muneris functio, & voluptas. Dicit autem Ariſtoteles, nec cogitationem, nec ſenſum (vtrumque voluptatis genus comprehendens) idem eſſe cum voluptate; ſed quid hæc aduersùs illa faciunt, quæ de dolore Galenus, eſſe triſtem ſenſationem? an non Ariſtotelica quæ propoſui, fidem abundè faciunt, dolorem, quem definit Galenus, alium eſſe ab eo, qui voluptati, de qua Ariſtoteles, poſſit eſſe oppoſitus? Galenus agit de dolore, qui totus corporis eſt, corporis enim ſenſibus ex moleſto, & cruciante obiecto ſenſitiuo incidit; at voluptates, de quibus loquitur Ariſtoteles, pertinent ad virtutes, & vitia, quæ in moribus ſunt, & ad voluntarias actiones, quas perfici à voluptate, corrumpi à dolore ibidem oſtendit. Pertinet ſanè altera ipſarum ad animum ex toto, quæ διάνοιαν, ideſt, *cogitationem*, aut *ratiocinationem* ſpectat, altera ad animum quidem, ſed cum ſocietate corporis, vt qui canendi, aut ſaltandi ſtudio ducitur, voluptatis beneficio auget, & abſoluit operationes, quod

ex Ariſtotele proponebamus: ſunt autem modi illi duo voluptatis, quos ſuperiori capite propoſuimus,diſtincti ab illa, quam attulit Galenus, cui oppoſitus eſt dolor, quem eo loco definiit:importunè igitur voluntarias actiones accerſit huc Argenterius, & cum ſenſuum actionibus naturalibus confundit.Iam verò quòd definit dolorem moleſtiam,primum idem eodem definire mihi videtur,dolor enim,& moleſtia idem ſunt ex Galeni ſententia libro primo de ſymptomatum cauſis c.6.his verbis: *Neque enim refert an moleſtum,an triſte,an dolorificũ,an doloroſum,an laborioſum appelles: ſicuti nec ſi paſſionem ipſam moleſtiam dicas,an triſtitiam,an dolorem,an dolentiam, an laborem*;tum verò quũ dicit Argenterius *moleſtia quæ oritur in ipſa ſenſatione*, nil aliud dicit,quàm triſtem ſenſationem;quare & facilè ſi quiſpiam velit, hoc modo poſſit etiam propoſita omnia argumenta eludere, definitionẽ Galenicam ita interpretando,dolor eſt triſtis ſenſatio, ideſt, triſtitia, aut moleſtia ſenſationis, aut in ſenſatione, aut ex ſenſatione, id verò non eſt aliud, quàm ſenſatio triſtis, aut moleſta; ita niſi de verbis contentio eſt. Quod porrò addit Argenterius, *in animi functionibus*,id nõ fuit neceſſe addere Galeno,qui dolorẽ tantũ corporis,vt diximus,definire voluit, quam rẽ quum non animaduertiſſet Argenterius,effecit,vt de Galeni opinione malè ſentiret, malè profectò ſentiens ipſe. Ita igitur, vt puto, nihil eorum accipiendum apparet, quæcunque ab Argenterio propoſita ſunt: inde verò ſanè patere etiam potuit, quomodo ſatisfaciendum ſit argumento Truſiani, quo commodato accepto pugnare voluit Argenterius; libet tamen adhuc, quò tota res dilucidior euadat, eiuſdem Truſiani reſponſionem afferre. Igitur dolorem non eſſe actionem læſam, inde colligebat Truſianus, quòd nec omnino periiſſet, nec imminuta, nec deprauata eſſet, hinc ſeorſim poſitum à Galeno. Dicit igitur Truſianus dolorem non eſſe læſionem ſenſus,ſed potius ſenſum rei lædentis, quia alterat, & corrumpit, vt loquitur Truſianus, harmoniam organi eius, ideo non comprehendi omnino dolorem ſub læſione operationis, ſed eſſe per ſe genus accidentium, & ſignorum,modúmque ſignorum ſpecialem,& diſtinctum. Puto autem nihil eſſe abſurdi dicere, dolorem eſſe læſionem tactus,quomodo antea expoſuimus, ideſt, eſſe tactum cum triſtitia operantem, ac munere ſuo fungentem; & quid aliud eſt ſenſus rei lædentis, quod eſſe dolorem vult Truſianus,quàm ſenſus triſtis,quem eſſe dolorem dicimus? Porrò autem quoniam videbat Truſianus,ita fieri quartum genus ſymptomatum, cùm tamen tria tantùm à Galeno conſtituantur, actionum læſarum, eorum quæ excernuntur, & retinentur, & quæ pertinent ad qualitates corporis immutatas, ideo ne cogeretur quartum genus ſymptomatum inuehere,dicit, etſi per ſe,& ſimpliciter non ſit læſio operationis, reduci tamen ad hoc genus, quoniam lædit, & immutat à curſu naturæ ipſum ſenſum;quam Truſiani ſentẽtiam accepit etiam Oddus in commentario ad eum Galeni locum libri artis medicæ, & nos etiã accipimus.Quod autem Galenus locis illis,quæ fuêre propoſita, dolores

ſeparet

ſeparet à læſis actionibus, vnde inter actiones læſas non videantur numerandi, alij ea de re aliter dicunt, nimirum Galenum, vbi ſigna ſcribit ſumenda eſſe ab actionibus læſis, loqui tantùm de actionibus, quæ ſunt propriæ parti, at dolorem eſſe actionem communem, ideo fuiſſe ab illis diſtinctum: delirium enim exempli gratia eſt actio propria cerebri, dolor non ita, eſt enim aliis etiam partibus communis, quæ ſententia commodiſſimè etiam ſatisfacit dubitationi.

Doloris cauſam propriam, & proximam eſſe mutationem confertim, & violenter factam, voluptatis confertim. Pugnantia hac de re Galeni loca conciliata. Valleſius reiectus.

CAPVT III.

COMPREHENSA ſunt duobus ſuperioribus capitibus, quæ pertinebant ad explicationem primæ partis definitionis doloris, qua dicebamus eſſe triſtem ſenſationem, ſubſequitur alia pars, quæ proximã eiuſdem triſtis ſenſationis cauſam continet, quam paucis quidem attigimus antea, alia verò ad eandem deinceps proponenda ſunt. Igitur mutatio confertim, & violenter facta cauſa propria, & proxima eſt triſtis ſenſationis, aut doloris. Hanc propoſuit Plato in Timæo, ex quo hauſit Galenus, ſicuti ipſemet teſtatur, ſed ante Platonem ab antiquiore Hippocrate in libro de locis in homine fuerat ſcripta his verbis, *iis quibus natura alteratur, & corrumpitur dolores fiunt*, voce ſcilicet *corrumpitur*, celeritatem ſimul & magnitudinem mutationis indicante, vt docet Galenus cùm illam ſententiam explicat. Ad cuius declarationem dico, quod antea etiam me propoſuiſſe exiſtimo, ſenſationem ſimplicem aut languidam (ſimplicem appello, quæ eſt abſque aut voluptate, aut dolore) fieri ex moderato, ſeu remiſſo aut languido obiecti appulſu: tali enim appulſu, nec voluptatem, nec dolorem propriè adeſſe dicere poſſimus: at ſi immoderatum ſit obiectum, & confertim, & violenter irruat, vt à ſtatu naturali dimoueatur organum ſenſus, tunc gignetur dolor; ſi verò confertim rurſus ad ſtatum naturalem redeat idem organum, voluptas fit. Ita tres ſunt variæ ſenſationis conditiones, formæ aut habitus, vna vehemens, & violenta, in qua dolor, altera confertim exiſtens, ſed non violenta, in qua voluptas; tertia languida, in qua nec dolor, nec voluptas. Mutationes autem haſce, confertim excitatam in voluptate, corruptricem in dolore, habemus etiam apud Ariſtotelem 1. Rhetoricorum, & ſi animi voluptatem, ac dolorem in primis definiret, licèt enim aliquã diſſidere appareant, multis tamen communicant. Quod verò Ariſtoteles VII. Ethicorum, & alibi, voluptatem noluit eſſe generationem, ſed finem,

alia quæſtio eſt,illic enim voluptatem aliter accipit. Nos autem dolorem tanquam motionem, & ſenſationem accipientes, dicimus eum fieri, cùm aliquid à naturali ſtatu ad præternaturalem vehementer, & cum vi mouetur, voluptatem ex reditu confertim facto ad naturalem ſtatum; ſunt autem hac de re contraria Galeni loca. Nam cùm primo de ſymptomatum cauſis cap. 6. id proponat quod diximus, tum gigni voluptatem cùm ad ſtatum naturalem quidpiam confertim reducitur, duodecimo methodi medendi cap. 7. id negauit, ſcribens corpora non ſolùm cùm in habitu contra habitum contra naturam confertim aguntur, triſtem mutationem ſentire, ſed etiam in ipſa ad ſtatum ſuum naturalem regreſſione, niſi illum paulatim accipiant cruciari, cuius rei exemplum afferebat. Nam qui in vehementi frigore, vt per loca niuata iter fecerunt, eos cùm ſeſe non ſenſim, ſed confertim calfacere properarent, dolore circa vnguium radices adeò vehementi affectos fuiſſe, vt ferre non poſſent, quod ſimiliter ſcriptum habemus libro de inæquali intemperie, cap. 8. Apparet igitur ex confertim facta regreſſione ad ſtatum naturalem percipi dolorẽ minimè voluptatẽ, quam ita percipi dicebat Galenus 1. de ſympt. cauſſis, c. 6. Reſpõdet Mercurialis, in exẽplo propoſito non fieri reditũ ad ſtatum naturalem, ſed potiùs fieri tranſitum à ſtatu præternaturali ad alium ſtatum præternaturalem, id eſt, à nimia, & præternaturali frigiditate, ad nimiam & præternaturalem caliditatem, quare eſſe dolores acerbiſſimos, quia ſimul fiunt duo exceſſus, & nimia calefactio, & nimia refrigeratio. Hæc ſanè quæ ita ſcripta ſunt, accidentis illius cauſam aliquam reddunt, ac Galeni loca haud vindicant à contrarietate. Frãc. Valleſius lib. 5. controuerſiarum, dicit repentinam mutationem etiam versùs naturalem habitum, dolorem facere, quia cùm ſit repentina, facit conſpicuè inæqualem intemperiem, quæ dolorem efficit: ſin minùs, ait Valleſius, quò velocior eſt, eò maiorem voluptatem conciliat. Idem confirmat ille auctor comm. ad librum Galeni de inæquali intemperie dicens: Si tota particula ſecundùm ſe totam æqualiter rediret ad naturam, quò celeriùs id faceret, eò plus delectaretur: ergo dolet, qui alteratur inæqualiter. Hanc doctrinam non puto eſſe veram, & ne non ſingula quæ hîc dicuntur falſa ſint, vehementer dubito. Primum enim doloris fundamentum non eſt inæqualitas intemperiei, quod videtur ſupponere Valleſij ratio, ſed eſt alteratio, ſcilicet ſuperans intemperies, quæ continuum ſoluit, inæqualitas autem eſt cauſſa ſine qua non, quoniam vbi æqualis eſt intemperies, quorumque iam in totum mutatio eſt facta, in iis non habet locum actio, & paſſio, ſimile enim à ſimili nihil patitur, iámque ea intemperies æqualis fit cuilibet ita affecto, veluti acquiſititia quædam natura; at nullum corpus à ſui ipſius natura patitur. Deinde ſi repentina mutatio ex neceſſitate efficit inæqualem intemperiem, & hinc dolorem, iam nulla vnquam gi-

gnii

gni poterit voluptas, conſiſtit enim & hæc repentina mutatione, vt ex Platone, Ariſtotele, & Galeno propoſuimus, cùm præſertim in exemplo de quo agimus, mutatio ſit ad naturalem ſtatum. Addit Valleſius, ſi non fiat inæqualis intemperies, quò velocior eſt mutatio, eò maiorem conciliari voluptatẽ, ac ſi tota particula ſecundùm ſe totam æqualiter redeat ad naturam, quò celeriùs id fiat, eò plus delectari: Neque id veritati cõſonat; poteſt enim adeò celer, & vehemens eſſe mutatio, vt violentiam inferat, talis autem mutatio corrumpit, & dolorem facit, non voluptatem, vt ex locis adductis manifeſtè patuit. Poſtremò nõ video tolli cõtradictionem ex dictis Galeni, qui libro 1. de Symptomatum cauſis ſcribit cùm quidpiam ad naturalem ſtatum ἀθρόως, ideſt, confertim, aut affatim redit, delectationem induci, contrà XII. Methodi ſcribit, corpora non ſolùm cùm in habitum contra naturam confertim aguntur, triſtem mutationem ſentire, ſed etiam in ipſo ad naturalem ſuum ſtatum reditu, niſi eum paulatim accipiant, cruciari; vnde qui in vehementi frigore iter fecerant, cùm ſeſe non ſenſim, ſed confertim calefacere properarent, dolore circa vnguium radices adeò vehementi affectos, vt ferre non poſſent: ita confertim reduci ad ſtatum naturalem, illic facit voluptatem, hîc facit dolorem. Dicit Valleſius, hîc facit dolorem, quia facit inæqualem intemperiem, igitur (aio) facit dolorem, at negat ſimpliciter Galenus 1. de Symptom. cauſis ſcribens facere voluptatem, non igitur ſublata eſt contradictio. Dicendum igitur, quòd voluptatem allaturum eſt, illud ἀθρόως, aut confertim eſſe oportere, nam quod ſenſim, & paulatim fit, vt ſcribit ex Platone Galenus, ſenſum latet, continetur tamen illud *confertim* moderatione quadam, ſic vt non fiat etiam βιαίως, id eſt, cum vi, ſeu violenter, nam quod tale eſt, iam facit dolorem. Ideo Galenus in locis, quos citauimus, vbi de doloris generatione loquitur, vtramque vocem vſurpat, fieri dicens ἀθρόως, & βιαίως, confertim, & violenter: at voluptatem ſolùm ἀθρόως. Qui igitur perfrigeratas manus ardenti igni proximus admouet, ille iam non confertim ſolùm, ſed violenter etiam mouetur, & hinc percipit dolorem. At ex Galeni verbis poſſit adhuc vrgere difficultas. Dicit enim corpora etiam in ipſo ad naturalem ſtatum reditu, niſi eam paulatim accipiant, cruciari; non igitur confertim, ſed paulatim vult reditum fieri, ſi modò voluptas inde ſequutura eſt. Dicimus hunc reditum etiam confertim fieri, ſed quia comparari poteſt illud *confertim*, quod quaſi in medio eſt poſitum, duobus quaſi extremis, dici à Galeno XII. methodi, paulatim, ſi enim comparetur mutationi, quæ in dolore accidit, quæ non ſolùm eſt confertim, ſed eo plus, etiam violenta, dicitur paulatim facta hæc mutatio, ſi autem ſenſioni remiſſiori, qua ex languidiori impulſione facta abſque inſigni aliquo motu & latenter apprehenditur obiectum, dicetur eſſe confertim. Igitur primo de ſymptomatum cauſis, vbi in voluptate gignenda, confertim ſcribit fieri oportere reditum, conferebat eum remiſſiori ſenſioni, qua ſimpliciter & latenter apprehenditur obie-

ctum; at XII. methodi mutationi, quæ in dolore accidit; vult enim paulatim illam fieri, id eſt, non violenter, vt in dolore, ne pro voluptate dolorem creet, ſicuti perfrigeratis contingit, dum ſeſe excalfacere propetant: id autem accidit ex eo, quòd confertim quod fit, & paulatim quod fit, ſpatij latitudinem obtinet vtrunque, & poteſt velociori, & tardiori motu habitus acquiri, ac vtroque modo acquiſitus dici confertim, pro ratione, aut conditione rei, quæ mo[ue]tur, quare gelatis manibus exiguus conuenit ignis, vt confertim ad ſtatum naturalem redeant, nullo autem igne ſi redirent, aut minori, quàm conueniat, nullam perciperent voluptatem, quod non fieret ſenſus, nec tamen maiorem ferre poſſent, quia debilitatis viribus præ intemperie & dolore, maiorem non ferunt obiecti impulſionem, ex qua ſequeretur alia continui diſſolutio, & inde alius dolor, & ſic duo adeſſent dolores. Qui frigidas itidem, non tamen gelatas habet manus, confertim etiam admoto igne ad naturalem ſtatum eſt reducendus, ſi modò voluptatem eſt percepturus, ſed alia ignis menſura, frigoríque porportione reſpondente, quam proportionem proponebat Ariſtoteles 2. ſectione Problematum, X I. & X X X I. Problemate, perſpicuè eam rationem adducens; cùm quæreret, cur in caldariis igne, neque ἀθρόον (vniuerſo conuertit Gaza, confertim etiam liceat) neque per diminutionem oblato, ſed per incrementa continua magis ſudamus, ibi enim proportionem hanc, de qua loquimur, eius rei cauſam eſſe docebat; ſed quæ eſt cauſa cur vnguium radicibus maior, quàm aliis partibus dolor incidat? quia pars illa neruea admodum cùm ſit, maioris frigoris vim perpeſſa, magis etiam fuit debilitata, magíſque quàm aliæ ægrotat, vnde obiecti vim magis perſentit. Fieri autem eo quòd flatus qui intra perfrigeratos vngues eſt, diſtendatur, & agitetur, quod dicebat Valleſius, non eſt neceſſe, fortè enim à maximo ignis calore potiùs diſſoluatur, ſeu diſcutiatur omnino, quàm diſtendatur, & agitetur, quod moderatioris caloris opus ſit, ſed & cur potiùs in vnguium radicibus, quàm in aliis partibus itidem concluſis, dolor hic excitetur, non video cauſam. Cùm igitur in ſingulis affectis partibus dolores ſint acerbiſſimi, quia duo ſunt, & vehementes ex contrariis cauſis orti, acerbiores tamen in vnguium radicibus, quia pars hæc maximè affecta, eſt maximè nouæ affectioni obnoxia.

Solutionem continui & intemperiem eſſe vtrunque doloris cauſam, neutram verò propriam, & proximam. Auerroes improbatus. Mercurialis refutatus. Solutionem per ſe abſque intemperie, intemperiem neceſſariò cum ſolutione dolorem efficere. Galeni loca nonnulla diligenter expenſa.

CAPVT IV.

DOLORIS cauſam, & rationem propriam, atque proximam, ac veluti formam ſuperiori capite comprehendimus, oſtendimúſque eſſe mutationem celeriter, & violenter excitatam, quæ erat altera definitionis doloris particula. At quoniam mutatio hæc ab aliis dependet, ſeu cauſis, ſeu diſpoſitionibus, ſeu modis, maioris & manifeſtioris doctrinæ gratia, diximus definitioni illa addi poſſe, *ratione ſolutionis continui, aut intemperiei*: hæc enim duo ſunt, quibus mutatio illa conſiſtit. De his igitur, vt tota doloris natura euoluta pateat, ſunt mihi quædam vberiùs explicanda. In primis igitur ſolutio continui, & intemperies doloris cauſæ ita exiſtimantur, ac proponuntur à plurimis, tanquam proximæ cauſæ ſint: quod verum non puto: & illi tamen diſſident inter ſe, quòd alij vtranque, alij vnam tantùm, & alij quidem hanc, alij illam doloris cauſam ſtatuunt. Nos ea de re, quæ adnotata habemus proponemus: verùm quoniam Galenum Medici auctorem ea de re ſequi ſe profitentur, nóſque itidem ſequimur, quædam ipſius loca ad id facientia priùs recitanda ſunt, vt huius auctoris mentem liceat exquirere, tum alia proponenda. Igitur libro artis medicæ cap. LXXX. ſcribitur, *dolorem quemcunque obſederit locum, aut continui ſolutionem, aut ſubitam alterationem oſtendere. Tertio itidem de compoſitione medicamentorum ſecundùm loca, capitis dolores neceſſe eſt, primum communibus generibus cauſarum, vnde dolores efficiuntur ſubiectos eſſe, ſolutioni videlicet continuitatis, aut intemperiei.* Duodecimo methodi cap. VII. *Neceſſe eſt, vt affectus qui dolorem excitat, vel diuiſio ſit, vel alteratio.* Secundo acutorum primo: *Dolor in ſenſibilibus fit corporibus, mutationem ſubitam in id, quod præter naturam eſt ſuſcipientibus. Mutatio autem hæc duplex, aliàs quidem, dum ipſa tum ſubitò ſimúlque ſecundùm qualitatem alterantur, aliàs verò, dum continuitas ſoluitur.* Sunt autem præter hæc alia etiam non pauca loca, quibus Galenus eandem rem proponit, vt videatur manifeſtè ex illius auctoris ſententia conſtare, tum ab intemperie, tum à ſolutione continui dolorem excitari, atque ab vtroque ſeparatim, & abſque alterius auxilio, id enim indicat particula, *aut*, qua in ea re exprimenda Galenus vtitur; ſeparat enim, & diſiungit alterum

rum

rum ab altero, vt ratione æquali ab vtroque eorum per ſe, dolor fieri videatur; nec tamen ita omnino rem ſe habere ex aliis eiuſdem auctoris locis appareat: eſt enim cùm cauſam totam in ſolutionem continui referat, nec ab intemperie dolorem excitari, niſi merito ſolutionis continui velit; locus eſt libro quarto de ſimpl. medicam. facultatibus cap. 2. vbi non paucis docet frigidum contrahendo ſubſtantiam condenſando, & conſtringendo, ac ideo diuellendo continua, dolorem efficere; calidum autem fundendo, liquando & erodendo, atque per hunc modum ſimiliter continuum ſoluendo. Eandem hac de re opinionem ſuam affert Galenus commẽtario tertio in librum Hipp. de fract. tex. XXXIV. adducto e[illegible]n ex quarto libro de ſimplicium medicamentorum facultatibus loco, quem paulò antea propoſuimus. habent autem verba ſic: *Indicaui autem dolorem inde oriri, & quando continuũ ſoluitur, vbi ſecatur, extenditur, aut contunditur, & quòd immoderatum incidit temperamentum: Atqui ſolutionem cõtinui ad vlcus ſpectare cuiuis manifeſtũ eſt, ſed immoderato tempramẽto, vbi ſubita mutatio accidit, aliquã fieri continui ſolutionẽ in opere de ſimpl. medicamentorũ facultatibus demonſtrauimus. Calorem quidem conſtat penetrare, & quaſi excedere quod continuum eſt: frigus item, quod vehemens eſt, cùm ſubitò cogit, qua ſoluta ſunt aliquam creare ſolutionem, in eodem opere oſtenſum eſt.* Eandem rem ſcribit libro de inæquali intemperie cap. 6. adducto etiam Hippocratis loco. Sunt autem hæc verba: *Immodicus verò calor, ac frigus proximè accedunt, vt vnitatẽ ſoluant: plurimus quidem calor dum ſegregat, ac incidit ſubſtãtiæ continuitatem, ſummum verò frigus, tum ſtipando, tum introrſus pariter trudendo, quædam exprimit, quædam quaſſat.* Sed & in libro XII. methodi medendi cap. 7. ea de re ita ſcribit: *Illud verò inquirere, an ipſum quod vehementer excalfacit, aut refrigerat, diuiſionem aliquam continui efficiat, longiori fortaſſe diſputatione eget, & vtique hoc oſtenſum à nobis eſt in Commentariis de ſimplicium medicamentorum facultatibus.* Si igitur intemperies dolorem excitat, quòd operetur ſolutionem continui, eiúſque ſolutionis beneficio; iam ſolam continui ſolutionem doloris cauſam proponere licebit, & aliam omittere, aut ſaltim non ex æquo: ſolutio enim continui proxima, intemperies, remota videtur cauſa; quippe intemperies ſolutionem operatur, hæc dolorem. Ad hæc dicimus. Primum quidem, nec intemperiem, nec ſolutionem continui eſſe doloris propriam cauſam, aut proximam, neutrámque ex illis à Galeno cauſam proximam vnquam fuiſſe dictam, nec verò eſſe: Vna enim tantùm vnius eſt cauſa propria, & proxima, hæc autem doloris, vt ſuperiori capite pluribus comprehendimus, eſt mutatio à naturali ſtatu conferrim, & violenter excitata, quæ XII. Methodi dicitur crucians affectus. Hanc autem mutationem ipſam oriri, & effici duabus ex cauſis modò propoſitis, ſolutione continui, & intemperie, non obſcurè ſcribit Galenus commentario II. in librum Hippocratis de ratione victus in acutis tex. primo. quem locum etiam antè recitaui per hæc verba: *Diximus etiam, & in libris, quos de ſymptomatum cauſis, fecimus, quòd dolor in*

ſenſibilibus

ſenſilibus fiat corporibus mutationem ſubitam in id, quod præter naturam eſt ſuſcipientibus: & quod duplex eſt hæc mutatio, aliis quidem dum ipſis, tum ſubito ſimulque ſecundum qualitatem alterantur, aliis verò, dum continuitas ſoluitur. Igitur illæ ſunt cauſæ remotiores, mutatio autem confertim, & violenter incidens, cauſa proxima; vnde & Galenus licèt alicubi illa appellet cauſas; ſecundo de locis affectis cap. quinto appellat modos, aut rationes doloris, Græcè τρόπους, Copus vertit ſpecies: ſunt autem hæc Galeni verba: *Cæterùm alibi me frequenter dixiſſe memini, primas doloris ſpecies* [τρόπους] *duas eſſe, quum affatim intemperies alteratur, atque cùm ſoluitur continuitas.* Sunt igitur modi, rationes, aut differentiæ mutationis, ex qua fit dolor: mutatio enim partim ex ſolutione continui eſt. Verùm ſi hæc fiant ſenſim, non autem confertim, vt ſi intemperies paulatim fiat, & continuum ſenſim diuidatur, nullus fiet dolor: hæc igitur cauſa proxima eſt, illæ verò cauſæ remotæ; an ne verò ex æquo, ſeu æquali ratione, quod quærebamus? Proxima enim ob eam rem ſolùm allata, vt quas dicit doloris cauſas Galenus, quum ſolutionem continui, & intemperiem dicit, non exiſtimemus dici proximas, quod multi non obſeruarunt, ſed remotiores intelligi. Quid verò de quæſtione propoſita ſcripſerit Galenus, ex adductis locis licet intelligere; ſed quoniam controuerſa loca ſunt, cùm alibi ex æquo proponat, alibi aliter doceat, concilianda illa ſunt, quod faciemus paulò pòſt: Interim hac de re explicanda quædam ſunt, & in primis non eſt omittenda, aut Auerrois, aut Auicennæ opinio, quoniam clariſſimi & in philoſophia, & in medicina fuerunt. Auicennas igitur libro primo fen ij. doctrina ij. cap. XIX. vtraſque, quas & Galenus doloris cauſas proponit, intemperiem, quam ipſe malam complexionem, aut malitiam complexionis appellat, & continui ſolutionem. Inquirit deinde in Galeni opinionem diligentiùs, & ſicuti res eſt, nóſque eam propoſuimus, ſcribit, Galenum cùm eius verificatur intentio, ideſt, vt ego interpretor, cùm ſubtiliùs, & exactiùs rem exquirit (verificationis enim nomen ſæpius ab Auerroë pro demonſtratione ſumitur) igitur cùm ſubtiliùs rem Galenus examinat, ad hoc ea reducit (ipſa ſunt Auicennæ verba) vt eſſentialis cauſa doloris, non ſit niſi ſolutio continuitatis, & non aliud: & quod calidum dolorem non facit, niſi propterea quòd continuitatem ſoluit: & neque etiam frigidum dolorem efficit, niſi propterea quòd continuitatis ſolutio ipſum comitatur: propter multam nempe ſpiſſitudinem, & coadunationem ipſam, procul dubio ſequitur, vt partes ad locum aggregentur, vbi ſpiſſantur, & vt à loco ſeparentur à quo trahuntur. Hanc autem opinionem refutat paulò pòſt Auicenna, ſtatuens intemperiem eſſentialiter eſſe cauſam doloris per hæc verba: *Certa autem dictio in hoc modo eſt, vt complexionis mutatio ponatur genus, ex quo dolor eſſentialiter prouenit, licèt cum eo quandoque continuitatis ſeparatio contingat, huius tamen declaratio verificata, in Medicina non continetur, ſed in parte ſapientia naturali.* Poſt hæc adducit quaſdam rationes

Auicenna, qui illis probare nititur, ab intemperie [illegible] posse solutionem continui solutione, dolorem [illegible] autem superfluum videtur, illas [illegible] adducere, aut refellere. Quippe & Gentilis in Commentario ad eum locum illis ſatisfacit, commodeque Galeni [illegible] nos [illegible] poſſe affirmat, etſi ipſe, quia interpretaretur Auicennam, quod ipſemet dicit, Auicennæ opinionem eo loco tueri maluit. Auerroes autem libro tertio, quem Colliget appellant cap. XXXI. improbauit & Galenum, & Auicennam. Quippe ſolutionem continui nullo pacto eſſe cauſam doloris, quod ſi tamen cōtingat, id porro euenire ratione intemperiei, quia ſolutionem continui ſequitur intemperies, illiq; iungitur, alioquin minime futurum dolorem. Hæc porro ſententia Galenicæ illi propoſitæ ex libro de ſimplicium medicamentorum facultatibus, ex diametro, vt loquuntur, eſt oppoſita. Ab intemperie enim vt a calore, ſeu frigore ſuperāte ideo gigni dolorem ſcribebat Galenus, quia ab iiſdem fuſa, colliquata, ac eroſa, ſtipata, contracta, & coacta ſubſtantia, ſoluebatur continuitas, & ita intemperies beneficio ſolutionis continui excitabat dolorem: Auerroes autem ideo à ſolutione continui, quia ex ipſa gignitur intemperies, à qua dolor, & ſic à ſolutionis continui beneficio intemperiei. Argumenta Auerrois ſane futilia, ab aliis refutata, & a nobiſ alibi, omittemus in præſentia, neque enim huc omnia congerimus, ſed tantum ſeligimus. Inter recentiores Franciſcus Valleſius libro V. controuerſiarum, cùm & intemperiem, & ſolutionem continui, vtraque doloris cauſam ſtatuat, non tamen ad continui ſolutionem, tanquam ad cauſam magis propinquam, intemperiem perpetuò eſſe reducendam vult, quod ſentit Galenus, & dixit Auicennas, & nos ſuperius oſtendimus, & manifeſtius adhuc procedente oratione oſtendemus. Dicit quidem dolorem ſemper eſſe cum ſolutione continui, non [illegible] tamen ex ſolutione, alteratiaque non facere dolorem ſolutionem, ſed intemperie: ſolutionem igitur hoc caſu non eſſe efficientem cauſam doloris, ſed neceſſariò coniunctum, quæ etiam ille rationibus probare contendit. Hæc autem quòd ad rem ipſam pertinent, fortaſſe non aduerſantur Galenicis, ſed ſubtiliùs rem diſtinguunt. Concedit enim Valleſius ab intemperie nunquam dolorem effici, quin iungatur continui ſolutio, non tamen in ſolutionem tanquam cauſam ſemper eſſe referendum, ſed aliquando in intemperiem. Galenus autem ab intemperie fieri proponit operante continui ſolutionem, nec vnquam ſine hac. Quid porro his intereſt? Sanè, vel hoc [illegible] modo dicere, continuiq; ſolutionem vel neceſſariò ſequi ad intemperiem, vel ab intemperie effici, quid eſt aliud, quam de vocibus litigare, cùm doloris natura, nihilo melius hoc, vel [illegible] modo declaretur? Aduerſus intemperiem proponit Hieronymus Mercurialis argumentum, vt oſtēdat non poſſe illam eſſe doloris cauſam. Non eſt autē omittendū, quia licèt peccet, eius diſſolutio erit vtilis. Eſt igitur eiuſcemodi argumentum. Dolor fit ſubitò, intemperies non fit ſubitò, igitur dolor non fit

abi-

[illegible] Quam [illegible] argumentatione Mercurialis, non be[illegible] [illegible], si enim [illegible] intemperies non efficit dolorem quin antea fiat continui solutio, [illegible] habet, & ita Galenus sentit, vti declarauimus: at si nullo modo, labitur Mercurialis. Videtur autem ex argumentatione id colligi. Si enim ex intemperie non poteſt fieri dolor, quia illa non ſubitò, hic ſubitò fit, iam nec ex ea fiet ſubitò ſolutio continui, quare neque ex hac ſubitò dolor, vnde nunquam à ſolutione continui, quæ fiat ab intemperie, erit dolor, quod etiam falſum eſſe, ex illis manifeſtiſſimè liquet, quæ antea de Galeni ſententia prolata ſunt: ſed Hieronymi argumentatio manifeſtè peccat. Comprobat ille quidem vtranque propoſitionem Galeni auctoritate, intemperiem enim non fieri ſubitò ex ſecundo de ſymptomatum cauſis ca. 7. dolorem autem ſubitò, ex primo de ſymptomatum cauſis ca. 6. Profectò, vt omittam alia, & concedam dolorem fieri ſubitò, ex iis quæ habet Galenus loco adducto, licèt [illegible] non exprimat, vbi ſcribit, Platonis etiam recitatis verbis paſſionem præter [illegible], cum violenter, & confertim fit, dolorem afferre, ſanè intemperiem, quæ dolorem faciat, non poſſe fieri ſubitò falſum eſt. Quod vel Galeni [illegible] auctoritate facilè conſtet. Antea ſunt ad lucem nostram hæc Galeni verba ex 2. de locis affectis capit. 5. *Ceterùm alibi frequenter me dixiſſe memini primas doloris ſpecies eſſe, quum aſſatim temperies alteratur, & cum ſoluitur continuitas*. Si ergo temperies affatim alteratur, fit illa ſubitò. ſed & hæc ſimiliter ex commentario ſecundo in librum Hippocratis de ratione victus [illegible] tex. primo adducta ſunt. *Duplex eſt hæc mutatio præter naturam, illis quidem dum ipſa tum ſubito ſimúlque ſecundùm qualitatem alterantur, aliis verò dum continuitas ſoluitur*. Igitur ſemper ſubitò, & ſimul alterantur ſecundùm qualitatem, id verò non eſt aliud, quàm ſubitò, & ſimul in illis gigni intemperiem, à qua dolor excitatur. Quid autem reſpondemus ad locum Galeni ex ſecundo de ſympt. cauſis cap. 7. Non dicit ſimpliciter, & hoc ipſum intemperiem non fieri ſubitò. Sed cauſas generationis apoplexiæ, & epilepſiæ inquirentem Galenum affirmare eas ex pituitoſi ſucci multitudine in cerebri ventriculis collecta gigni, indeque fieri, vt ſubitanea ſit earum, tám generatio, quàm diſcuſſio; quod accidere in corporum intemperie nullo modo poteſt. Hoc igitur dicit Galenus, non poſſe morbum, qui intemperie conſtet, ſubitò fieri, & ſubitò diſcuti. Igitur loquitur de intemperie, quæ eſt morbus, illa verò non ſubitò, ſed ſenſim, & tractu temporis in parte contrahitur. At intemperies ad quam ſequitur dolor, eſt alteratio, non ex neceſſitate morbus. Si autem morboſa affectio aliqua ſenſim contrahatur, nullum profectò pariet dolorem ex ſe, niſi, quod ſæpe contingit, iungatur alteratio alia, quæ dum confertim fit, dolorem parit; & verò Galenus, non intemperiem ſemper hanc cauſam, ſed alterationem ſæpius nominat. Verum ex hoc [illegible] videtur, dolorem non ſemper eſſe ſymptoma morbi, ſi intemperies [illegible] non eſt morboſa affectio: at dolor tactus ſymptoma pro-

ponitur à Galeno libro de differentiis sympt. cap. 3. cogitandi occaſio, vt omnino exiſtimemus dolorem non fieri ab intemperie, niſi medio ſolutionis continui, qua de re propoſita erat quæſtio: ita autem dicimus: dolorem excitari ex ſolutione continui, quæ iungitur intemperiei ſubitò factæ, minimè autem de neceſſitate, morboſæ, morbus autem quem ſequitur ſymptoma, eo caſu eſt ſolutio continui. Igitur, tum ſolutio continui, tum intemperies vtraque doloris cauſa ponitur quidem, ſed proximior continui ſolutio, huius enim merito intemperies dolorem excitat. Quid igitur Galenus ex æquo vtraſque cauſas toties proponit? conciliemus modò ſi poſſumus loca: & vero lucem oſtendit Galenus ipſe ſuis verbis libro 12. methodi cap. 7. quem locum antea citaui; ſcribit enim ſic: *Ab iis naturalibus notionibus, quæ omnibus nobis ſunt communes, procedere methodo ad id, quod conſiderandum proponitur conueniet. Porro naturalis notio nos docet vnium id corporis, ex quo ſit dolituram, aut continuitatis diuiſionē oportere eſſe, aut alterationem aliquam.* Tum poſt nonnulla interiecta: *Illud verò inquirere, an ipſum, quod vehementer excalfacit, aut refrigerat diu ſinem aliquam continui efficiat, longiori fortaſſe diſputatione eget; & vtique hoc oſtenſum à nobis eſt in commentariis de ſimplicium medicamentorum facultatibus: verum quid agendo, quæ vehementer, vel excalfaciunt, vel refrigerant, dolorem inferant, quærere, ad rem propoſitam minimè eſt neceſſe.* In his verbis obſeruo Galenum in dignoſcendis, & inquirendis dolorum cauſis duplici via fuiſſe progreſſum, quarum altera ex iis procedit, quæ omnibus natura cognita ſunt, ſenſuque ipſo fermè promptè percipiuntur, dicunturque hæ naturales, & primæ notiones. altera autem eſt, cùm cogitatione ſubtiliori, magiſque exquiſita ratiocinatione adhibita, res tandem innoteſcunt, nec niſi multo artificio comprehendi poſſunt. Ac prima quidem ratione, doloris cauſæ apparent ſtatim, æquali momento, ac viribus, tum ſolutio continui, tum intemperies: rem autem diligentius inueſtigantibus, & vtriuſque cauſæ vim, & momentum accuratius conſiderantibus, illud colligitur, intemperiem merito ſolutionis dolorem excitare, quam ſententiam fuiſſe ſecutum Galenum conſtat ex loco recitato quarti libri de ſimplicium medicamentorū facultatibus, cùm alibi alia via incedentem, vtramque cauſam ex æquo proponere ipſum viderimus, & quoniam non promptè de intemperie res cuilibet apparebat, beneficio ſolutionis continui dolorem ab ea excitari, ideo XII. methodi, ſeptimo, illud inquirere longiori diſputatione egere affirmauit. Non eſt enim ita facile vnicuique videre, ab excedenti intemperie, cùm illa dolorem creat, effici ante ſolutionem continui, quam illa ſenſui euidens non ſemper ſit; vnde libro de inæquali intemperie cap. 6. quem locum antea citaui, non dicit excedentes intemperies vnitatem ſoluere, ſed proximè accedere, vt ſoluant, quippe exiguam efficiunt continui ſolutionem, quæque reſpectu illorum quæ ſecant, & frangunt, vix continui ſolutio dici mereatur. Et ſimiliter commentario

ipſa.

in librum Hippocratis de fracturis textu XX IV. ſcribit, immoderato temperamento, vbi ſubita mutatio accidit, aliquam fieri continui ſolutionem, aliquam nempe dicit, nimirum exiguam. Duplex autem continui ſolutio alia ſenſui euidens, alia minimè, ſed ratione tantùm contemplabilis proponitur à Galeno commentario 3. in librum Hippocratis de fracturis textu 34. quo poſteriori modo ab intemperie ſolui continuum, ſcribit eodem loco Galenus. Igitur per ſe doloris cauſa, quæque abſque alterius auxilio eum creare poſſit, ſolutio continui ſtatuenda eſt. Porro huic ſententiæ adhuc illa videntur aduerſari Galeni verba ex libro de conſtitutione artis Medicæ cap. 9. quæ ita leguntur, *Pati ab his duobus prodit, ab alteratione per tota, & ex continui diſſolutione, tanquam ad efficiendum dolorem vtraque neceſſaria ſint, nec vna continui ſolutio ſatis eſſe poſſit.* Hæc verba quum expoſuerimus, tum capiti finis erit. Dicimus igitur per alterationem per totum, non intelligi hoc loco propriè intemperiem vllam, ſed aptitudinem ſolùm ad patiendum, quæ omnino eſt neceſſaria, hæc verò tanquã præcedẽs ſupponitur illi, qui cauſas doloris efficientes quærit: ſola enimuero, ſimpliciterque ſolutio continui dolorem non efficit, non enim in lapide, aut ligno, ſed fieri eam neceſſe eſt in corpore, quod pati poſſit, & alterari: denique in corpore, quod ſenſum habeat. Quinimo & ex eodem hoc loco, in vnam tantùm continui ſolutionem reiici à Galeno doloris cauſam, facilè etiam colligamus, nam ſi ſubiecto habili, vnam tantùm eam nominat cauſſam, ab illiſque duobus prodire dolorem ſcribit, intemperiem ſanè reiici apparet.

Dolorem gigni à continui ſolutione quæ fit, non ab illa, quæ facta eſt. Itidem ab inæquali intemperie, non ab æquali: quæ æqualis, & quæ inæqualis, Hieremiæ Thrineri, Fuchſij, & Valleſij opinio. Ex Galeni locis res explicata, & definita. Eiuſdem Galeni locus ex libro de inæquali intemperie accuratè perpenſus, & aliter, quàm à Linacro tranſlatus.

Capvt V.

AB intemperie, & à ſolutione continui dolorem excitari, non eadem tamen ratione, ſuperiori capite oſtendimus. Sed quoniam & intemperies, & continui ſolutio vario modo conſiderari poteſt, quædam ea de re magis diſtinctè à nobis adnotata proponere libet. Igitur continui ſolutio accipi poteſt, tum dum fit, tum poſtquam facta eſt. Fit continui ſolutio, dum pars ſecatur, vritur, pungitur, diſtenditur, facta eſt opere ſectionis, vſtionis, punctionis, & diſtenſionis abſoluto. Ab

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

ea quæ fit communi, & humane oritur dolor, ... relinquam. Teſtis Hippocrates libro de locis in homine per hæc verba; *quorum natura corrumpitur, dolore afficiuntur, non qui iam iam mutata, ut corrupta eſt*. Sed abſoluta continui diuiſione, natura mutata, & corrupta eſt: non igitur eo tempore poſſit amplius cruciare dolor. At quomodo inflicto vulnere, iamque abſtracto, & abſente gladio continuus adhuc in vulnere dolor? Duplicem ibi conſideramus continui ſolutionem: primã ex gladio, quę facit dolorem dum nec gladius ſecat, perfecta ſectione ceſſit; alteram, quæ ſtatim recedente gladio ſuccedit, licèt non ita adeo ſenſui conſpicua ex humore ad vulneris locum influente, qui ex proximis particulis ſtatim adueniens, vulneratam partem irritat, mordet, pungit, & diſtendit: ſubſequitur etiam ſæpe tumor manifeſtus: durat autem tandiu is dolor, quandiu hæc altera ſolutio fit. Hæc de continui ſolutione. Intemperies ſimiliter alia æqualis, alia inæqualis; ab inæquali fit dolor, non item ab æquali. Quę porro intéperies inæqualis? Sanè etſi non pauca ea de re apud Galenum habemus tum alibi, tum præcipue in libello huic tractationi dicato, De inæquali intemperie; eáque non adeò obſcura, non tamen ſine controuerſia apud eius libri expoſitores res eſt. Hieremias enim Thriuerus putat Galenum exiſtimaſſe, & docuiſſe inæqualem intemperiem eſſe diuerſarum partium diuerſam intéperiem, ratione cuius altera pars alteram afficit, id autem cùm falſum eſſe putaret Hieremias, & inæqualitatem potiùs ſubſiſtere ratione diuerſitatis qualitatum, quæ in ſe mutuò agerent, adeóque committunt inæqualitatem per diuerſam temperatu ram eiuſdem partis, ea de re Galenum reprehendit. Sed Leonhartus Fuchſius aduerſus Thriuerum in vna etiam parte inæqualem intemperiem fieri exiſtimaſſe Galenum locis aliis, probare contendit, atque adeò in vna, & eadem parte diuerſum eſſe temperamentum, eamque inæqualiter alteratam ex Galeni ſententia, quæ erat Thriueri opinio. Subſequutus Franciſcus Valleſius, inſcitiæ vtrumque accuſat, & inæqualis intemperiei rationem ab vtroque ignoratam apertiſſimè dicit. Exiſtimat autem Valleſius inæqualitatem intemperiei ſecundum partes ſubiecti corporis eſſe, quod tum ex Galeno probat, tum multis à ſe allatis ad totam rem declarandam. ſed cùm illa mihi quidem ſatis obſcura videantur, atque adeo Galenicis minùs aperta, quæ ipſe Thriuero, & Fuchſio obiicit, ideo Valleſiana illa omittentes, déque noſtro penu, ſed à Galeno haufta depromentes, rem ipſam declarare conabimur. Duo Galeni loca ſunt eadem ſibi quibus ipſa talis intemperiei natura declaratur. Alter ſcriptus eſt cap. 1. libri de inæquali intemperie ad finem his verbis: *Quod autem huiuſmodi intemperies inæquales ab æqualibus eò diſtent, quòd in omnibus intemperanter corporis partibus æqualiter non inſint, id clarè liquet.* Alter autem ſecundo cap. per hæc verba: *De inæquali intemperie nunc agendum, tum quæ eius natura ſit, tum quot eius generandæ modi. Ergo quod in omnibus particulis corporis quod ita eſt affectum, intem-*

... *parte, non ſit priùs dictum eſt*, ſignificat autem hæc verba ex primo ... at quoniam contrariorum eadem eſt diſciplina, præſtat iſta etiam afferre, quæ de æquali intemperie proponit cap. 3. Hic enim cum explicaret differentiam illam inæqualis intemperiei, quæ in muſculo fit ex inflammatione, modóſque doceret, quibus ſiue bene, ſiue malè terminat inflammatio, & inæqualis intemperies, ſi quidem bene, terminari dicit, vel per diſcuſſionem, vel per concoctionem, quarum alterutra ad finem perducta per illas vias quas proponit, ad naturalem ſtatum rediret muſculus. Id verò dicimus non eſſe aliud, quàm temperiem æqualem, ſed propriam parti, & ſalubrem, quam in præſentia non quærimus: At ſi malè terminet inflammatio, victæque à fluxione particulæ fuerint, fit æqualis intemperies morboſa, quod per ea patet quæ ſubdit Galenus, ſcribens in tantam deuenire intemperiem partes, vt tum pereat earum actio, tum ipſæ temporis ſpatio corrumpantur; deſinere autem tum primum dolere, quum ei quod tranſmutat fuerint aſſimilatæ; non enim quum iam mutatum eſt temperamentum, ſed dum mutatur, dolent particulæ, quemadmodum etiam admirandus dixit Hippocrates. *Hi quibus alteratur, & corrumpitur natura dolores fiunt.* Ex his patet æqualem intemperiem eſſe, quum in parte intemperie affecta, vnica, conſentiens, & ſibi ſimilis eſt intemperies: inæqualis, quum non vnica, ſed diſſentiens; & diſſimilis inter ſe. Si autem non eſt vnica, nec ſibi ſimilis, neceſſe eſt partes rei diſſimili; nec vnius naturæ, aut rationis ſubiectas, non æqualiter, ſed inæqualiter affici, & variare temperie, quod de inæquali intemperie dicebat Galenus; ſed explicemus rem magis apertè. Dicimus inæqualem intemperiem non eſſe vnicam, quia ita laborans continet plures: licèt, vt exiſtimo, & vt progrediens oſtendet oratio, non in quolibet inæqualis intēperiei affectu, ex ęquo & pari modo. Igitur non eſt vnica, qua conſtat temperies, ſed eſt mixta, ſeu compoſita, aut conflata ex duabus, id eſt, ex qualitate extranea, ac alterante, & ex tēperamento partis proprio, & naturali. Hęc autem duo inter ſe pugnāt, quippe contraria ſunt, alterum ſecundùm naturam, alterum præter naturam, alterumque alterum vincere, & ſuperare contendit. Si pars vincit, redit ad propriam naturam, & propriam temperiem, & eſt temperies æqualis, ſed ſana qualis antè erat; ſi vincitur, fit itidem temperies æqualis, ſed quæ meliùs dicatur intemperies, eáque morboſa, ſeu potiùs lethalis. Nimirum eſt æqualis & ſimilis per totum, quoniam extranea qualitas, potita victoria aduersùs partis temperiem, eáque de propria ſede deturbata, effecta veluti naturalis domina ipſa eſt, in prioris locum ſuccedens, & inde nullus dolor, vt in æquali, quæ naturalis eſt temperies: At medio tempore, dum pugna fit, inæqualis intemperies occupat ipſa partem, quæ mixta ex duobus illis aduerſariis intemperies eſt. De hac pugna, & mixtione verba faciens Galenus capit. quinto ita ſcribebat: *Quòd ſi longiori tempore hoc patiantur partes, etiam vincentur aliquando, prorſuſ-*

que

quæ mutabuntur, ita vt non amplius calefiant, ſed iam ſint præter naturam calefactæ. Terminus autem alterationis cuiuſque particulæ, actionis eius eſt læſio, ad quem vſque terminum latitudo, via eſt in id quod præter naturam eſt, veluti mixta communisque, ac media ex vtriſque contrariis compoſita, eo ſcilicet quod eſt exquiſitè ſecundùm naturam, & eo quod iam eſt præter naturam: toto autem hoc tempore corpus incaleſcens, pro quantitate alterationis, proportione etiam reſpondentem dolorem obtinet. Quod autem hoc loco dicit, *Terminus autem alterationis cuiuſque particulæ, actionis eius eſt læſio*, illa reſpiciunt, quæ antea poſuit ſcribens, partes à fluxione victas in tantam deuenire intemperiem, vt pereat earum actio, tum ipſæ temporis ſpatio corrumpantùr: verè enim hoc per æqualẽ intemperiem contingit, vt & actiones pereant, & partes corrumpantur, non tamen ſtatim, ac facta eſt; vnde colligere licet, æqualem etiam intemperiem ac factam, ſpatium quoddam, & latitudinis terminos obtinere: læſam quidem eſſe actionem ſtatim dicere poſſumus, vt hîc ſcribitur, atque etiam inſigniter, non tamen prorſus corruptã; non enim uiuerent, at viuunt hectica febre detenti, quam æqualem intemperiem ſæpius inculcat Galenus. At quomodo poteſt hæc dici intemperies facta, & æqualis; non autem fiens, ſi quum dixerimus obtinere latitudinis ſpatium aliquod, adhuc progreditur mors, vnde ſubinde fieri colligatur? Reſpondemus dici factam, & verè eſſe factam, quia natura nil ampliùs pugnat, immutatrici.n.qualitati omnino ceſſit; hæc tamẽ extranea, & immutatrix qualitas toto eo tempore, quo miſerè vita trahitur, ſubinde magis partes adhuc contaminat: licèt abſq; pugna, vnde cùm ſedatè fiat, non percipitur à ſẽſibus cruciatus aut dolor. Non video quomodo aliter dicere poſſimus, hecticas ſub quibus vita, quinimo à quibus aliquando reſtitutio ſanitatis eſt, æquales eſſe intemperies, niſi haſce, ſaltim vltimas, velimus ab æquali intemperie excludere, quod quidem ſi cui libeat, per me quidem liceat. Poſſimus igitur ita deſcribere inæqualem intemperiem; Inæqualis intemperies eſt mixtio qualitatis externæ, & temperamenti proprij inuicem pugnantium; æqualem autem morboſam ſic: Æqualis intemperies eſt qualitas extranea, quæ aſſimilauit ſibi naturalem ſubiecti temperiem. De hac autem extranea, & aduẽtitia qualitate, quæ proprium partis temperamentum immutat, & ſibi aſſimilat, non eſt ſilentio inuoluendum, eam vario genere diſtingui. Aliquando enim vnius ſpeciei qualitas vna tantùm eſt, aliquando vnius generis plures, aliquando etiam plures contrariis qualitatibus præditæ. Vnius ſpeciei vna tantùm qualitas [illegible], vt ſolus calor, aut frigus affligens: plures eiuſdem generis, vt plures calidæ ſicut æſtus, motus, & ira: contrariæ autem, vt cum aliquæ calidæ, aliquæ frigidæ ſunt. eſt hæc doctrina ex Galeno libro de morborum cauſis cap. 6. potiſſimùm quod ad poſtremam partem attinet. Sunt autem hæc Galeni verba: *Quod verò huic ſermoni neceſſario addendum, & definiendum eſt, dicamus, nempe, quòd corpus ſæpenumero ab omnibus cauſis eiuſdem inter ſe ſpeciei alteratur, ſæpenumero etiam quòd facultatibus inter ſe contrariæ ſunt: & quòd nonnunquam*

quam vincunt illæ, quæ ſunt, vel numero plures, vel tempore diuturniores, vel robore potentiores. Interim verò ab vtriſque ex æquo læditur corpus: etſi autem fieri non poſſe videatur, vt vnum idémque corpus calidius vna efficiatur, ac frigidius, humidiuſque, ac ſiccius quam pro naturali habitu, id ipſum tamen contingit, & meritò intemperies inæqualis appellatur, de qua nobis ſeparatim in alio volumine ſcriptum eſt, quantum res ipſa poſtulabat. De hac eadem inæquali intemperie à cauſis contrariis exorta, agit etiam Galenus libro de inæquali intemperie, cap. 8. Quamquam autem loco recitato ex libro de morborum cauſis, ſolam inæqualem intemperiem videatur dicere hanc poſtremam, quum plures & contrariæ qualitates extraneæ propriam temperiem oppugnant, adhuc tamen quæ ab vna aut pluribus inter ſe ſimilibus fit, inæqualis etiam dicitur in libro de inæquali intemperie: quippe attenditur inæqualitas, & diſſimilitudo, ac pugna inter qualitatem extraneam, & partis temperiem naturalem: iuſtiùs tamen inæqualis, & magis dicetur alia, quæ diſſimilitudinem, & inæqualitatem maiorem obtinet, quippe ibi non tantùm diſſimilitudo eſt temperamenti naturalis partis cum qualitate extranea partem occupante, eorumdémque inæqualitas; ſed & in qualitatibus ipſis extraneis: quibus adhuc accedunt earundem contrariarum qualitatum ſenſiones contrariæ quæ ibidē fiunt, cùm ſenſus contraria obiecta ſimul percipiant, vt calorem, & frigus, quod non ita in aliis contingit. Proinde ſubiicit Galenus δικαίως, ideſt, decenter & meritò, eam fuiſſe appellatam inæqualem: ideo diximus antea corpora inæquali intemperie affecta, non ex æquo eſſe affecta, quam rem magis aperiemus, proximiùs explanantes illud de quo contendere propoſui Thriuerum, Fuchſium, & Valleſium; vtrùm vnius, & eiuſdem partis, an diuerſarum ſit hæc inæqualis intemperies, ſeu vtrùm inæqualis intemperies committatur per diuerſam diuerſarum partium temperaturam, an eiuſdem? vnius enim, & eiuſdem exiſtimat Thriuerus, diuerſitatem autem eſſe inter qualitates, eáque diuerſitate temperiei inæqualitatem ſubſiſtere; & quod Galenus plurium partium eam poſuiſſet, lapſum dicit, & ſæpius refutat: vnius etiam Fuchſius, qui & aduersùs Thriuerum, vnius quoque eandem propoſuiſſe Galenum vult: At plurium Valleſius, ac ita exiſtimaſſe Galenum: Thriuerum autem, & Fuchſium, ſed aliter deceptos eſſe. Dicam & ipſe inter hoſce clariſſimos viros opinionem meam, nec eorum dicta, aut rationes colligam, niſi ſi quid interim incurrerit, illud amouebo. Puto autem dici poſſe, & vnius partis diuerſo temperamento, & diuerſarum etiam conſiſtere inæqualem intemperiem. Quinimo diuerſarum non eodem modo, cùm partium diuerſitas non eodem modo ſemper fit quēadmodum oſtendemus. Porro autem quod vnius partis eſt, illud diuerſitate qualitatum ſubſiſtit, quæ in ſe mutuò agant, & hac diuerſitate, vt puto, inæqualis intemperiei natura maximè conſiſtit. Hæc autem mixtio illa eſt quam propoſuimus in definitione (ex definitione enim, dubitationis diſſolutio nobis eſt petenda, quam vtilitatem præbent bonæ definitiones)

tiones) quis autem neget talem mixtionem qualitatum in vna parte, cùm pars vnaquælibet minima habeat propriam temperiem quæ oppugnari poſſit? Et verò non diſſentit Galenus, qui libro de morborum cauſis, capite ſexto, ſubiectum huius intemperiei vnum ponit ſcribens: *Et ſi verò nullo modo fieri poſſe videatur, vt vnum idémque corpus, calidum vnà efficiatur, ac frigidum, humidúmque, ac ſiccum, pluſquam natura ſit opportunum; tamen & hoc ipſum vſu contingit, & meritò inæqualis intemperies appellatur.* & libro de inæquali intemperie capite octauo tum exterius ab eo qui ſub ſole æſtiuo frigida perfundatur, ſimul & calorem, & frigus percipi dicit, hoc eſt, qualibet perfuſi corporis parte, vt exiſtimo, cur enim magis hac quàm illa? Tum eodem loco, in febribus hepialis vniuerſum corpus ambo ſentire, quippe minimis portiunculis aſperſum eſſe tum calidum, tum frigidum, neque licere vllam eius ſenſibilem partem deſumere, in qua non alterutrum inſit. Dixit autem hoc loco ſenſibilem partem, ideſt, quæ ſub ſenſum cadat; non ita libro de morborum cauſis, ſed vnum idémque corpus. Verùm ex hoc loco alterum illum exponendum puto; alioquin enim vt vna, & eadem penitus parte ſubſiſtat, & ſentiatur calidum, & frigidum, quæ ſunt contraria, non puto fieri poſſe. ita meliùs dici exiſtimo quàm quod ait Fuchſius, poſſe ſubſiſtere ſimul, quia contraria ſint remiſſis gradibus. At verò per illum modum iam dicat aliquis, ea pars ſenſibilis alias partes habet ratione quarum dicitur temperies inæqualis, ita non vnius. Duo reſpondeo. Primum, partem ſenſibilem minimam non poſſe ampliùs à Medico diuidi, qui artifex eſt ſenſibilibus adhærens, ideo inæqualem intemperiem vnius partis ab eo dici, quæ ita eſt vnius, vt iudicio ſenſus ampliùs non poſſit diuidi. Alterum dico, inæqualem intemperiem, de qua Galenus hoc loco verba facit, ideſt, quæ conſtat ex calore, & frigore ſimul perceptis, non eſſe vnam ſolam intemperiem inæqualem, ſed duas, aliam à calore, aliam à frigore, ſicuti ipſemet expreſsè dicit ad finem capitis octaui libro de inæquali intemperie. Id autem ſi non valet omnino, ad aſtruendam ex Galeni opinione inæqualem intemperiem ratione temperamenti vnius partis, valet ad eos refutandos, qui tali interpretatione inæqualem intemperiem omnem, & ſimpliciter ab vna parte reiiciebant: vna verò tantùm inæqualis intemperies, quæ eſt mixtio, & actio qualitatum, quam diximus, vna duntaxat parte ſubſiſtere commodè poteſt. Quomodo autem ratione vnius partis inæqualem intemperiem aſcripſit Galeno Fuchſius aduerſus Thriuerum in commentario libelli de inæquali intemperie, capite primo, abſurdum puto: conſideraſſe nimirum Galenum inæqualem intemperiem ratione vnius partis, quia eandem in vna qualibet parte fieri dicit, vbi timore aliquo præter naturam laborat. Si enim (inquit Fuchſius) inæquali intemperie pars vna tantùm afficitur, neceſſe eſt vt in vna & eadem etiam parte diuerſum ſit temperamentum, eáque inæqualiter ſit alterata. Verùm hoc nihil eſt.

hil eſt. Conſiderat enim Galenus intemperiem inæqualem in vna parte, ideſt, membro, aut membri parte, quæ tamen plures & varias habet particulas, ratione quarum dici poſſit intemperies inæqualis, ſicuti eam ibidem conſiderat Galenus, vt apparet ex capite iij. cùm in inflammatione partis eam conſiderat. Igitur conſiderari poteſt ſubſiſtere inæqualem intemperiem ratione vnius partis tantùm, ſicuti oſtendimus: poteſt etiam diuerſarum, quinimo hoc modo ferè, ſemper à medico conſideratur, quia ob corporis partium coniunctionem nunquam vna pars intemperie afficitur, quin aliam quæ cohæret, afficiat, licèt non illico eodem gradu, ſed hæc intemperiei inæqualis ratio non excludit priorem, quæ ſemper eſt neceſſaria: vnde in partibus ita affectis non vnica, ſed duæ conſiderantur inæquales intemperies. Vniuerſarum porro partium ratione conſiderari inæqualem intemperiem à Galeno, ex eiuſdem Galeni dictione toto libro de inæquali intemperie comprobare facilè poſſumus. Nam cùm diuerſas inæqualis intemperiei differentias, per varia morborum genera toto libro percurrat, diuerſarum partium intemperiem ſemper proponit, quod iam oſtendo. Primo etenim capite illius libri fieri dicit, vel in vniuerſo corpore, vt in anaſarca, & febribus tum hepialis, tum aliis omnibus, præterquam hecticis; vel in parte aliqua, vt cùm vel œdemate, vel flegmone, vel gangrena, vel eryſipelate, vel cancro laborat. Itidem in elephante, phagedena, & herpete. De anaſarca rem non explicat: ſed cùm hæc ſit intemperies extranea, frigida & humida per vniuerſum corpus, & ſingulas illius partes diffuſa, natiuæ cuiuſlibet partis intemperiei aduerſa, quam & expugnare contendit; variè tamen & inæqualiter ab ea ſingulæ partes afficiuntur, carnoſæ à ſolidis, aliæque ab aliis vario modo. De febribus rem declarat: nam ca. 5. in febribus quæ ex phlegmone originem habent, incaleſcere quidem aliquando ſanguinem vniuerſum dicit, quicunque calorem illum præter naturam, qui ex humore putreſcente eſt obortus, concepit, non tamen, aut arteriarum, venarúmve tunicas, aut aliud vllum circumiacétium corporũ prorſus iam temperamentum ſuum mutaſſe, ſed adhuc mutari, & alterari incaleſcens. Quod autem de febribus, quarum phlegmon eſt origo cap. 5. dicitur, idem tum de diariis, tum de putridis abſque phlegmone intelligi, apparet ex illis, quæ ca. ſubſequenti ſexto proponuntur; inæqualem enim intemperiem in iis etiam adeſſe manifeſtè ſcribit, eodé autem modo adeſſe neceſſe eſt ac in aliis. Igitur ratione temperamenti partium diuerſarum ſcilicet ſanguinis, & partium ſolidarum. Idem porrò contingit in intemperie, quam in qualibet parte conſiderat ratione phlegmones, aut aliorum morborum, quos propoſuit: ſed antequam de illa loquar, libet in febribus obſeruare non vnam, ſed plures inæquales intemperies, quam rem memini me antea propoſuiſſe. Cùm enim in earum qualibet admiſceatur qualitas externa natiuo temperamento, ex qua vna eſt inæqualis intemperies in qualibet febrientis corporis parte ſubſiſtens, adeſt itidem

inæqualitas ratione partium diuerſarũ,quarum alia eſt calefacta,alia incaleſcit; in putridis enim humores ſunt excalfacti, ſolidæ partes incaleſcunt: ſed & adhuc tertiam obſeruare licet in aliquibus, in iis nimirum per quas tum calor, tum frigus vnà inuadunt, quas propoſuimus antea ex libro de morborum cauſis, & libro etiam de inæquali intemperie. Talem enim inæqualem intemperiem, ſcilicet aliam ex calore, quæ eſt communis omnibus febribus, & aliam ex frigore, hæ ſolæ obtinent. Cæterùm & illis adhuc diſcrimen aliquod ea re adeſt, quoniam duobus modis poteſt calor, & frigus ſimul percipi; vel enim tenuiſſimis portiunculis aſperſum per corpus, tum calidum, tum frigidum eſt, ita vt nullam ſenſilem alterius portiunculam, ita paruam deſumas, in qua non alterum ſit comprehenſum, vt fit in hepialis, vel frigus, & calor ſimul percipiuntur, verùm non vno, & eodem loco, ſed partes excalfactas à refrigeratis manifeſtè diſcernere licet; cùm intus, & in ipſis viſceribus calor ſentiatur, in externis partibus vniuerſis frigus; tales autem ſunt, quæ Græcè lipyriæ dicuntur, & quoddam ardentium febrium pernicioſum genus: in his igitur non vna attenditur inæqualis intemperies, ſed plures. Nec verò vnam tantùm proponit in illis intemperiem Galenus, ſed duplicem ad finem cap. 8. libro de inæquali intemperie, ſcribens, vt vertit Linacer: *Ita ex dupl ci inæquali intemperie hepialos componitur, & iam aliæ febres præter hecticas ferè omnes.* At nos triplicem adinuenimus. Quid igitur? An manca Galeni doctrina? An dicam primam ex admixtione extraneæ qualitatis cum temperie natiua omiſſam? quippe totus erat Galenus in illa æqualitate magis aperta, & perſpicua, quæ ratione diuerſarum partium attenditur. Ita fortaſſe duplex illis verbis à Galeno propoſita in febribus intemperies conſtet. Sed alia ex eiſdem oritur dubitatio. Quippe hepialæ, & aliarum febrium ferè omnium præter hecticas, par videtur conſtitui inæqualis intemperies, nimirum duplex, cùm tamen hepialus, & aliæ quæ rigorem, aut frigus habent adiunctum, hac re alias ſuperent, quæ rigorem, aut frigus non habent. In rigore etiam abſque febre inæqualem eſſe intemperiem, diſertè ibidem ſcribit Galenus, ſicuti hepialum ex inæquali intemperie, quæ in rigore eſt, & alia quæ eſt febricitantium, componi. Hic ſcrupulus cogit me lectionem quam habent Græci Aldini codices impreſſi ei præponere, quam ſecurus videtur Linacer. Videtur autem hic interpres legiſſe, ὥστε διὰ διττῶν ἀνωμάλων δυσκρασιῶν, ideſt, *quare ex duplici in temperie.* At Aldini codices ὥστε διὰ τῶν ἀνωμάλων δυσκρασιῶν, ideſt, *quæ de ex inæqualibus intemperantiis*; à Linacri verſione ſtat verus codex Græcus, qui habet, ὥστε διὰ δύο ἀνωμάλων δυσκρασιῶν, ideſt, *quare ex duabus intemperantiis*, ſed à vulgata Aldina lectione ſtat antiquus interpres, qui ita vertit, *Proinde ex inæqualibus diſtemperantiis putrida implicatur.* Hanc igitur lectionem in præſentia ſequor, atque tum hepialum, tum alias febres præter hecticas, ab intemperantiis quidem componi dicit Galenus, nume-

rum-

tum verò non exprimit; non eſſe autem eundem in omnibus puto me antea oſtendiſſe. Per hæc igitur patet, inæqualem intemperiem, quæ in toto corpore eſt, ratione diuerſi temperamenti in diuerſis partibus conſiderari; facile verò eſt idem quoque ex Galeno oſtendere de inæquali intemperie, quam in parte eſſe proponit; cap. enim tertio id patet, quum vt doceat quomodo in parte fiat inæqualis intemperies, docet quomodo fiat ibidem inflammatio, nimirum variè alteratis ſubſtantiis partis, quum ſanguis quidem ferueat, ideſt, excalfactus ſit, ille verò ſecum excalfaciat, primùm quidem, ac maximè arteriarum, ac venarum tunicas, mox verò omnia, quæ extra illas ſunt, vt eo capite tertio ſcribit Galenus; vt hîc idem contingere appareat, quod de toto corpore diximus. Patet verò id non minùs ex capite quarto, vbi docet Galenus quomodo ex inflammatione, quæ eſt in vna parte, ad alias transferatur affectio: ex variis enim cauſis accidere dicit, vt vel faciliùs, vel difficiliùs, celeriùs, aut tardiùs, partes aliæ inflammationem concipiant: difficile enim, ſi ſanguis particulæ inflammatæ ſit mitis, & qui in aliis partibus mediocriter temperatus, promptius ſi ille feruet, & qui in aliis partibus biliofus eſt: facillimè ſi ambo concurrunt: ſanguinem qui in arteriis eſt primùm calfieri, cum qui venis dicit ibidem, quia arterioſus, & calidior eſt, & magis ſpirituoſus; non eſt neceſſe ſingula commemorare: ſatis eſſe poſſunt, quibus orationem concludit hæc: *quare neceſſe eſt multiformes fieri alterationes, ſiue alterum alteri ſit collatum, ſiue idem ſibi.* Quod verò de inflammatione dictum eſt, idem de aliis affectionibus dicatur, quas eſſe cum inæquali intemperie propoſuit, quippe eodem modo fiunt, vel ipſo Galeno teſte capite poſtremo illius libelli, ita enim ſcribit: *Simili genere qui particulæ alicuius cum tumore morbi ſunt, hi quoque omnes perinde ac phlegmone cum intemperamento inæquali conſiſtunt, cancer, eriſypelas, carbunculus, herpes, œdema, phagedena, gangræna;* & paulò pòſt: *Quod ad propoſitam diſceptationẽ pertinet, hoc tantum dixiſſe abundè eſt, quòd qualiſcũque eſt fluxio, eadẽ ratione quemque prædictorum affectuum creat, qua prius ex calida, & ſanguinea phlegmonem gigni monſtrauimus.* Sicuti igitur in phlegmone variè, & inæqualiter immutantur ſubſtantiæ, ſiue ad totum corpus, ſiue ad partem, ſeu partes attinentes, ita etiam in aliis hiſce affectionibus immutantur. Quoniam verò inæqualis eadem intemperies fit aliquando, nulla vel calida vel frigida ſubſtantia in particulam aliquam influente: ſed ipſa corporis temperie in qualitate mutata, vt ſcribit Galenus capit. 7. quod ſcriptum eſt de inæqualitate, ac diſſimilitudine, ſeu ratione totius corporis, ſeu partis, ſcire licet, idem in hac etiam locum habere, cùm extranea qualitas, quæ immutat, ratione ſubſtantiæ, quæ immutatur, immutet, illæ verò variam habent naturam, ac temperiem: alia enim calidior, alia frigidior, ex quo ſicuti de phlegmone cum materia dictum eſt, variè, & inæqualiter immutari neceſſe eſt. Verùm dicat aliquis ab eiuſmodi inæqualitate non creari dolorem, cùm etiam partes,

quæ ſecundùm naturam ſe habent, ita ſint affectæ;calidior enim eſt caro, quàm os, nec tamen ſe inuicem lædant.Reſpondeo ex Galeno capite ſexto, eſſe quidem varia temperie affectas noſtri corporis partes ſingulas,aliaſq; aliis calidiores & frigidiores:ſed in hac intēperie eſſe modū & mediocritatē quādā,minimè verò exceſſum,ſicuti in inæquali morboſa intemperie, vnde eorū,qui bene habent potius tēperies,quā intēperies dicatur,quum verò qualitates modum excedunt, tunc gignunt inæqualem intemperiem. Oſtendit hanc rem Galenus exemplo aëris nos ambientis,qui non priùs offendit, quàm ad immodicū calorem frigúſve ſit immutatus,cuius alioqui,quæ in medio ſunt differētias, tametſi immenſas,ac manifeſtum exceſſum inter ſe habentes,citra noxam ſentimus. Hactenus,quæ dicta ſunt de inæquali, & diuerſa temperie diuerſarum partium,pertinent omnia,vel ad totum corpus, quod ex diſſimilaribus partibus conſtat,vel ad diſſimilares partes,quæ ex variis ſimilaribus ſubſtantiis,& partibus conflatæ ſunt. Quid autem ſimilares,dicat aliquis? diſpar hoc temperamentum ratione diuerſarum partium de eis oſtendito. At verò oſtendit Galenus cap.vltimo libelli de inæquali intemperie per hæc verba apertiſſimè: *Sed non minus etiam ſimilarium,ac ſimplicium primoriúmque in iis corporum ſingula, ſic à fluxione affecta ad inæqualem intemperiem deueniunt ea ipſa, cùm exteriùs quidem, vel excalfacta, vel refrigerata, vel exſiccata, vel humectata pro fluxionis ratione ſint, ad profundum vſque tamen nondum ita ſimiliter ſunt affecta: quòd ſi tota per tota mutata alterataque ſint, fiunt quidem illico à dolore libera, in difficiliori tamen ſic conſtituta ſunt ſtatu* His autem poſtremis verbis ſignificat æqualem intemperiem inæquali ſuccedentem. Cùm igitur hactenus inæqualem intemperiem ex Galeni ſententia, illiuſque adeò teſtimoniis,vario & diſpari temperamento diuerſarum partium conſtare oſtenderimus, ſiue conſideretur in vniuerſo corpore, ſiue in partibus, aut diſſimilaribus, aut ſimilaribus, rem totam abſoluiſſe exiſtimari meritò poſſimus. Veruntamen auctarij gratia, rationi cuidam ſatisfacere libet, quam aduersùs hanc ſententiam proponit Thriuerus initio ſtatim commentarij ad Galeni librum de inæquali intemperie.Dicit enim Thriuerus *Ab ignis æſtu forſitan corpus dolebit,tametſi omnes corporis partes æqualiter, hoc eſt, ſecundùm proportionem incalfiant. Igitur non videtur hinc propriè naſci dolor, quòd proxima pars ſua inæqualitate alteram afficiat: ſed quia naturale patitur ab innaturali, modicum ab immodico, adeò vt ſi fieri poſſit, quòd vna omnium in homine eſſet partium natura, fortè modicè calida, &, vt nunc dicimus, attemperata: tamen, quod foris incidit calidum aut frigidum,dolorem moueret, atque inæqualem intemperiem faceret.* Ad hęc breuiter reſpondemus,fieri nō poſſe,vt omnes corporis partes æqualiter, aut ſecundùm proportionem incalfiant: obſtat nimirum, & ſingularum temperies, quæ varia eſt, & occurſus aliarum cauſarum, quas antea ex Galeno propoſuimus, vt nec ipſæ ſimilares partes, in quibus id videretur maximè habere locum, per hunc modum affici poſſint, ſcilicet

ratione

ratione partium, quæ in ſuperficie ſunt, & illarum, quæ in profundo abditæ, inæqualiter enim eas affici vult Galenus. Igitur modicum quidem patitur ab immodico, vt ait Thriuerus, ſed ab immodico inæqualiter afficiente: cùm enim æquale eſt huiuſmodi immodicum, iam eſt intemperies facta, neque ampliùs afficiens, aut dolorem creans. quod autem excogitare vult Thriuerus, æqualiter ab ignis æſtu omnes corporis partes excalfieri, aut vnam eſſe in homine omnium partium naturam, de ea re non eſt, vt in præſentia diſquiramus, neque de ea quicquam curauit Galenus, qui de inæquali intemperie commentatus eſt, ſecundùm eam quam homines poſſident naturam, & quam ſenſus oſtendit, quem medici ſemper ſequuntur; & verò inæqualem intemperiem, quam ex innaturali mixtam proponit Thriuerus, accepimus etiam nos, & ex Galeno comprobauimus, illámque ex neceſſitate ſemper ſubeſſe exiſtimamus; neque abſque illa intemperiei inæqualitatem dari poſſe. Quæ tamen alia ratione eueniunt intemperies, & ex diſſimilitudine partium apertiſſimè conſtant, accipiendæ etiam nobis à Galeno ſunt: dolor autem cùm ab ipſis pendeat, à nulla ſanè niſi per continui ſolutionem pendet, vti ſuperiori capite oſtendimus.

Dolorem à calida, frigida, humida, & ſicca intemperie creari, ſed alio, & alio modo. Galeni ea de re dicta inuicem pugnantia proponuntur. Humidam intemperiem abſque materia dari, aduersùs Mercurialem. Galeni loca conciliantur.

CAPVT VI.

AB intemperie inæquali fieri dolorem, & qua ratione fieret oſtẽdimus: quoniam autem quadruplex eſt inæqualis intemperies, calida, frigida, humida, & ſicca, deinceps oſtendendum vtrùm à qualibet, aut à qua dolor excitetur. Non incommodè autem res determinari poſſe videatur, illis in memoriam reuocatis, quę ſuperiori capite ſunt comprehenſa, ab inęquali intemperie dolorem excitari media continui ſolutione: ex hoc enim fiat, vt quę intemperies continui ſolutionem operantur, aut ad quas continui ſolutio ſequitur, illę dolorem gignant, alię non iidem, & quæ maiorem ſolutionem, maiorem dolorẽ: vnde videndum ſit de hoc; ſed quoniam rem totam de Galeni ſententia explicare nitimur, ſicuti alias omnes; is verò auctor, ſententiam ſuam de ea re non eodem modo ſemper propoſuiſſe viſus eſt, idcirco Galeni loca ſunt afferenda, tum poſita rei determinatione, eadem loca concilianda. Igitur ſicuti à frigiditate, & caliditate, ſeu à calida, & frigida intem

intemperie, ſatis conſtanter affirmaſſe videtur Galenus dolorem excitari,& hunc euidenter; ita de humida, & ſicca, non ita rem explicuiſſe: libro etenim duodecimo methodi medendi cap. 7. ſcribit, euidenter eorum, quæ corporibus noſtris propinquant,hæc ſola eſſe dolorifica, quæ vehementer vel excalfaciunt, vel refrigerant, & quæ ſubſtantiæ continuitatem diuidunt, nimirum vel contundunt, vel incidunt, vel diſtendunt. Libro etiam primo de ſymptomatum cauſis,cap. 6.ait in tactu magnas accidere tranſmutationes à naturali habitu ob violentum calidi, & frigidi occurſum; prætereà ab iis quæ contundere, ſecare, extendere, aut erodere poſſunt; humidum autem & ſiccum, ſi abſint calefactio, & refrigeratio citra violentiam corpori occurrere; inde autem ſequitur, non gigni dolorem, qui violenta paſſio eſt. At Commentario ſecundo in librum Hippocratis de ratione victus in acutis textu primo, aliter videtur ſentire, ſcribens dolorem fieri cùm corpora ſubitò alterantur,alterari autem ſubitò ab efficientibus qualitatibus, cùm calfiunt, refrigerantur, ſiccantur, & humectantur; & libro artis medicæ capit. LXXX. ſimiliter ſcribens, dolorem quemcunque obſederit locum, aut continuitatis ſolutionem, aut ſubitam alterationem oſtendere; alterari autem ſubſtantiam caliditate, frigiditate, humiditate, & ſiccitate.ſi enim dolor fit, cùm ſubſtantia ſubitò alteratur, ſubitò autem alteratur à caliditate, frigiditate, humiditate, & ſiccitate, ab illis etiam dolor fiet. Hiſce duobus locis videtur ferè in doloris generatione pares feciſſe quatuor illas qualitates, cum duobus antea recitatis,humiditati, ac ſiccitati dolorem negauerit.Medio quodam modo duobus aliis videtur non propoſuiſſe. Libro enim de inæquali intemperie capite quarto ſcribit, alterari atque corrumpi cuiuſque naturam, cùm vel calefit, vel refrigeratur, vel ſiccatur, vel humectatur temperamento inæquali, potiſſimùm quidem excalfaciendo, & refrigerando, quum efficaciſſimæ qualitates hæ ſint, tum verò exſiccando, vel humectando; & libro ſecundo localium capite primo, ſiccitatem facere dolorem, ſed moderatum, cùm calor, & frigus efficiant vehementiſſimos, ab humiditate verò nullum effici. Auicennas hunc locum ea de re manifeſtiſſimè ſequutus videtur, cùm libro primo fen ſecunda, doctrina ſecunda, capite decimo nono, ſcriptum reliquit, calidum, & frigidum eſſentialiter, ſiccum accidentaliter,humidum autem nullo modo dolorem excitare;de qua Auicennæ opinione pauca quædam ad finem capitis dicemus. Nobis porro conandum in primis eſt, vt adducta Galeni loca conciliemus, quod faciemus, vbi de tota re conſtitutum erit, duabus antea adhibitis diſtinctionibus. Altera eſt, intemperiem quamlibet accipi, & intelligi poſſe ſolam, & per ſe, ideſt, abſque vllo materiæ affluxu, nec non etiam cum illa. Altera eſt, cùm de inæquali intemperie quærimus, quæ ex illis dolorem creet, intelligi poſſe, vel per ſe, & quatenus intemperies ſolùm conſideratur, ideſt, abſque eo, quòd continui ſolutio manifeſtè appareat,

reat, vel manifeſtè hac apparente. His ita poſitis dicimus, ab intemperie, tum calida, tum frigida abſque vlla extrinſecùs affluente materia, dolorem fieri, cúmque magnum nulla apparente continui ſolutione, à ſiccitate eodem modo, ideſt, nulla apparente continui ſolutione moderatum, quæ eſt aſperitas quædam genita ob humoris penuriam, qui particulas omnes æquabat, quæ aſperitas in volis manuum aliquando abſque calore vllo percipitur. Ab humiditate autem ſine materia extrinſecus affluente nullum produci dolorem, quoniã humiditas ob viriũ imbecillitatem immutare non poteſt confertim naturã; huc enim res eſt reducenda, & ex hoc totius quæſtionis ſolutio pendet, ſi vera ſunt illa, quę ſuperioribus capitibus ſunt comprehenſa. At ſi qualitates accipiãtur cum materiæ affluxu, dicimus non ſolùm à calida, & frigida, ſed etiã ab humida dolorẽ excitari, & magnum, ab ea enim confertim de ſuo ſtatu natura depellitur facta continui ſolutione, eaque manifeſtè, cùm diſtenditur pars, vt contingit in hydrope, & aliis morbis. ſicca autem intemperies à materiæ affluxu potiùs lenitur, quàm exarcebatur, niſi tamen materia peccet qualitate, quo caſu ad alia refertur dolor. At eadem ſiccitas abſque materia, cum ſolutione continui manifeſta magnos etiam parit dolores, vt per conuulſiones ex ſiccitate, & ſciſſuras partium ex ſiccitate ortas, & ſicuti contingit in vſtionibus; hæc tamen ſiccitas, vel à caliditate, vel à frigiditate oritur, ſed refertur ad ſiccitatem, quia proximior, & euidentior in affectu apparet. Sic Galenus XII. methodi ad finem, ex vehementi ſiccitate tendi, ac cruciari corpora cùm proponat, conuulſiones has ad febres, aut inflammationes, aut eroſiones neruoſorum corporum, quæ à caliditate maxima ſunt, vel ab ingenti frigore oriri etiam teſtatur. Quoniam autem humidæ intemperiei abſque materia, mentionem hic fecimus, à qua nullum excitari dolorem diximus, antequam ad alia conuertamur, euellendus nobis ſcrupulus eſt, qui fortaſſe alicuius mentem poſſet malè habere. quomodo enim eſt humida intemperies abſque humore, aut materia profectò ſi humida eſt, humorem in ſe continet? Hac ratione adductus Hieronymus Mercurialis talem intemperiem dari negauit, quam nos declarabimus, & Galeni auctoritate comprobabimus, haud obſtante Ariſtotelis auctoritate ex libro ſecundo de anima tex. XIII. quam Mercurialis adducit, humidum ſemper eſſe cum corpore, aut non ſine corpore, vt potiùs loquitur Ariſtoteles. Non eſt, vt puto, difficile videre, quod conſiderarunt, & viderunt antiquiores, qui huiuſmodi intemperiem propoſuerunt, quomodo ſine humore dicatur; conceditur enim intemperiem humidam eſſe, & contineri in corpore; quinimo corpus, quod humida intemperie abſque materia laborare dicitur, eſſe humidum: ſed humidam intemperiem abſque materia, & abſque humore tunc intelligimus, cùm ipſamet corporis ſubſtantia intrinſecus madet, nulla extrinſecus affluente materia, cùm enim talis fluit, tunc dicitur intemperies cum materia,

Dixi à Galeno eiuſmodi intemperiem fuiſſe propoſitam, quod diſcere licet ex libro de differentiis morborum, cap. 5. vbi de numero morborum ſimplicium loquitur, qui conſiſtunt in intemperie, modò cum materia, modò abſque illa: ſcribit autem de intemperie ſicca, & humida in hunc modum: *Diximus de calidis, & frigidis affectibus, qui omni ſubſtantia affluentia vacant. Eadem ratione, & humidæ, & ſiccæ conſiſtent ægritudines tota alteraſcente corporum natura, nullam extrinſecus materiam in ſeſe recipientium.* Ex his patet manifeſtè, corpus aliquando poſſe ægrotare intemperie humida ſine affluentia humoris, qui extrinſecus adueniat, & in aliquam partem recipiatur. Exemplum autem talis morbi, aut intemperiei proponit ibidem Galenus per hæc: *Quædam membra adeò mucc ſa, & relaxata viſu ac tactu ſentiuntur, vt ſi aliquam ex ipſis partem manibus tractandam accipias, protinus effluat, atque inſtar aquæ excidat digitis.* Affert etiam exemplum de oſſibus, quæ mucida ſunt, quæ vult laborare humida intemperie, illinc profectò abeſſe humorem quis dicat? dicitur tamen intemperies humida abſque materia, ad illam relata, ad quam materiam extrinſecus fluit. Hanc doctrinam puto adhuc confirmari poſſe ex illis quæ habet idem Galenus libro primo ſimplicium, cap. 8. vbi de aquæ calidæ facultate agit, quam vult exinanire quidem humores in vaſis contentos, ac ita exſiccare, quod ego perinde accipio, ac tollere materiam, quæ fluxit; ipſa autem vaſorum corpora ab ea magis humectari, quod ego accipio, inducere eòdem intemperiem humidam abſque materiæ humidæ præſentia; ſed & eandem manifeſtiſſimè proponit Auicennas prima parte canticorum tractatu ſecundo, & exemplis inſuper declarat, ſcribens, morbum humidum abſque ſuperfluitate materiæ eſſe ſicut habitudinem corporis, quæ laxa, ſeu mollis videtur, cum materia autem humorali vt replectio ventris in hydrope. Igitur huiuſmodi intemperies humida ſine materia nunquam poteſt eſſe talis, vt continuum ſoluat, quare nec ea nunquam dolorem excitat. Excitat autem vbi ea materiæ copia extrinſecus aduenit, quæ partem diſtendat, & continuum diuidat ſolutione manifeſta: diximus, *manifeſta*, inhærentes doctrinę ſuperioribus capitibus comprehenſæ, intemperiem omnem dolorem facere media ſolutione continui, hanc tamen non ſemper innoteſcere: cum igitur obſcura eſt, in intemperiem doloris cauſa reiicitur. igitur cùm in frigida, & calida inæquali intemperie ſolutio non appareat, in humida, & ſicca appareat vti propoſuimus, dolorem ab illis intemperantiis fieri, non fieri ab his meritò dicitur, quippe in his ad continui ſolutionum, quæ eſt manifeſta, refertur doloris cauſa. Igitur iuxta hanc determinationem, quam puto eſſe veram, interpretemur, & conciliemus adducta Galeni loca. Primum itaque XII. methodi capite ſeptimo cùm ageret de intemperantiis abſque materia rectè ſcripſit: eorum, quæ corporibus noſtris propinquant, euidenter hæc ſola eſſe dolorifica, quæ vehementer vel excalfaciunt, vel refri-

gerant,

gerant, ſicuti etiam quæ ſubſtantiæ continuitaté diuidunt contundendo, incidendo, & diſtendendo, ſub quibus comprehendere voluit humiditatem, & ſiccitatem, quæ cùm euidenter dolorem pariunt, hac ratione pariunt; Eadem eſt ſententia ex libro primo de ſymptomatum cauſis, capit 6. in tactu magnas accidere tranſmutationes à naturali habitu ob violentum calidi & frigidi occurſum, præterea ab iis, quæ contundere, ſecare, extendere, & erodere poſſunt, humidum autem, & ſiccum, ſi abſint calefactio, & refrigeratio, citra violentiam corpori occurrere, quod eſt non efficere dolorem; ſi autem humido, vel ſicco addatur vel caliditas, vel frigiditas, in caliditatem, vel frigiditatem referetur dolor; aut immoderatis exiſtentibus qualitatibus manifeſta fiet ſolutio continui; nam ex ſicco calido fit vſtio, ſicuti etiam ex ſicco frigido, vt in Boreali conſtitutione, ex *quo dixit* Virgilius in Georgicis, *penetrabile frigus adurit.* In vſtione autem manifeſta eſt ſolutio continui: Humidum calidum incommoderatum, & ipſum vrit, bullaſque excitat, ſicuti aqua feruens, ſed humidum frigidum quale gelu, vehementer adſtringendo ſoluit etiam manifeſtè continuum; quare niſi cum caliditate, & frigiditate, ſiccum, & humidum haud efficiunt dolores magnos, hoſque earum qualitatem beneficio, modò abſque ſolutione continui manifeſta, & modò cum illa. Ad altera duo loca, priorem ex ſecundo de ratione victus in acutis, dolorem fieri, cùm corpora ſubitò alterãtur, alterari autẽ ſubitò ab efficientibus qualitatibus, cũ calfiunt, refrigerãtur, ſiccantur, & humectantur, poſteriorẽ ex arte medica, dolorem quemcunque obſederit locum, aut continuitatis ſolutionem, aut ſubitam alterationem oſtẽdere, alterari autem ſubſtantiam caliditate, frigiditate, ſiccitate, & humiditate Reſpõdet Valleriola, ex his nos haudquaquam cogi aſſerere iuxta Galeni doctrinam, ab humiditate, & ſiccitate creari dolorem; non enim expreſsè id affirmare Galenum: ſed cùm dixerit, ab iis quæ alterant, dolorem gigni, exempla eorum quæ alterant afferentem docere, eſſe hæc calida frigida, humida, & ſicca, atque non eſſe neceſſarium ea loquendi ratione, omnia hæc dolorem creare, ſed omnia alterare; alterant igitur omnia, ſed dolorem faciunt ſola frigida, & calida. Adiuuat reſponſionem Valleriola, illa quippe adduci pro exemplis, in exemplis autem non omnino requiri veritatem. Hoc ſanè poſtremum non facilè admittatur, quamquam enim adducantur pro exemplis, adducuntur tamen, vt de illis qualitatibus, quod pertinet ad rationem doloris, habeamus doctrinam. Eorum autem verborum propoſita interpretatio, ſeu ratio illa loquendi ita accepta, poteſt quidem habere locum in ſententia ſcripta libro artis medicæ, vbi tantùm dicitur, humida, & ſicca alterare, non adiecta particula ἀθρόως, id eſt, ſtatim aut confertim; ſed non poteſt accommodari ad locum ſecundi de ratione victus in acutis, in quo ſcribitur, dolorem fieri, cùm corpora ſubitò alterantur, alterari autem ſubitò ab efficientibus qualitatibus, quum ab ipſis corpora calfiunt, re-

frigerantur, ſiccantur, & humectantur: ſi enim alterantur corpora ſubitò ab humiditate, & ſiccitate, ab iis etiam dolorem patientur. Igitur ad hunc locum neceſſe potiùs eſt dicere cum Fuchſio, ſumi hîc qualitates non ſolas, & nudas, ſed cum materiæ affluxu, qua irruente, & continuum ſoluente dolores fiunt: videatur tamen ſcrupulum facere, quod eadem ſententia dicat, dolorem fieri etiam ab iis quæ continuitatem corrumpunt, vt iã hæc videantur à qualitatibus illis ſeparati, nec humiditatẽ & ſiccitatẽ hoc loco ſub eorum cenſum reduci poſſe, quæ continuũ corrumpunt. Reſponderem, continui ſolutionem verè eſſe ſeparatum genus, & tanquam ſeparatum ſumi, quia ad eam, ratione propria nulla requiritur humoris affluxio, vnde, vt apparet, abſque illa fit, quũ tamen ab ea fit ſociis qualitatibus ſiccitate, aut humiditate, iam haſce ad continui ſolutionem euidentem reduci; ita ſeorſim poſſe numerari, quæ ſeorſim aliquando eſt, poſſe etiam ſiccitatem, & humiditatem cum ſociis qualitatibus numeratas, ad illam reduci. Reliqua ſunt duo loca poſtremò propoſita, alter ex libro de inæquali intemperie, alter ex ſecundo de compoſitione medicamentorum, ſecundùm locos. Igitur ſcribit libro de inæquali intemperie, alterari & corrumpi cuiuſque naturam, cùm vel calefit, vel refrigeratur, vel ſiccatur, vel humectatur in temperamento inæquali, potiſſimùm quidem excalfaciendo, & refrigerando, quum efficaciſſimæ qualitates hæ ſint; tum verò exſiccando, vel humectando. Hunc locum ita exponit Fuchſius, tanquam termini, quos vſurpat Galenus *alterari*, & *corrumpi*, accipiendi ſint, non ſimul, & iniunctim de ſingulis qualitatibus, quæ ſequuntur, ſed alter de alteris in hunc modum, vt primus, quod eſt, *alterari*, accommodetur ſiccitati, & humiditati, alter verò, id eſt, *corrumpi*, caliditati, & frigiditati hoc modo. Natura alteratur, & corrumpitur à calido, frigido, humido, & ſicco, hoc eſt, corrumpitur à calido, & frigido, alteratur tantùm ab humido, & ſicco, non tamen ab his poſtremis corrumpitur; ex quo ſequitur ab illis non gigni dolorem: enimuero violenta eſt hæc expoſitio, cùm mentem ſuam Galenus ſatis explicet, & ſenſum ſuũ interpretetur, dicens, *potiſſimum quidem*, vt manifeſtè appareat, velle terminos illos ſingulis quæ ſequuntur accommodari: ſed non pari ratione. Alij ad hunc locum dicunt, ſentire Galenum à ſiccitate, & humiditate fieri dolores, ſi illis iungatur caliditas aut frigiditas, ſicuti ſcripſit libro 1. de ſymptomatum cauſis. Nos autem dicimus, intelligendas eſſe hoc loco qualitates illas alterantes, & corrumpentes cum materiæ affluxu; iam verò ita acceptæ ſingulæ dolores efficiunt, maximè quidem, & euidenter, caliditas, & frigiditas inæqualis, quia maximam ex ſe agendi vim obtinent, tum etiam ſiccitas, & humiditas, ſiccitas ex ſe obſcurè, cum materia autem, facta ſimul continui ſolutione, euidenter, ſicuti etiam contingit ab intemperie humida cum materia, vti diximus: libro autem ſecundo de compoſitione medicamentorũ ſecundùm partes, qui poſtremus omnium

locus.

locus adductus eſt, ſcribit Galenus, ſiccitatem facere dolorem, ſed moderatum, id eſt, obſcurum, à ſolo enim calore, & frigore euidenter, vti diximus; ab humiditate autem nullum, quippe ſumit hic qualitates, ſeu intemperantias abſque materia. Ita determinationi propoſitæ conſona ſunt omnia Galeni loca, nec inuicem pugnant. Quid autem de Auicennæ opinione, calidum & frigidum eſſentialiter, ſiccum accidentaliter, humidũ autem nullo modo dolorem facere? an his quę ex Galeno propoſuimus conſona? ex Galeno ſanè deſumpta videntur, nec tamen illis eadem, ſanè calidum, & frigidum eſſentialiter dicuntur dolorem facere, quia per ſe, & nulla continui ſolutione, vt ipſe exiſtimauit, eum excitant: ſiccum autem accidentaliter quomodo? quia ob ſuæ conſtrictionis fortitudinem, vt ipſe, aut eius interpres loquitur, continuum diſſoluit. At verò cur id humiditati negatur, cùm & ipſa partem replendo tenſionem efficiat? an ſiccitati conceditur, quia per ſe abſque vllo materiæ auxilio id efficit, humiditas non efficit?

Ad vnum, & eundẽ morbum contumaciter perdurantem, diuerſa adeóque prioribus contraria remedia aliquando adhibenda eſſe. Hippocratis, Celſi, & Auicennæ loca ea de re collata. Argenterius aduersùs Galenum, & alios interpretes refutatus.

CAPVT VII.

PRÆCEPTVM in facienda medicina non ita prætereundum, verùm ſtudioſè, ac diligenter attendendum proponit Hippocrates ij. Aphoriſmorum LII. vbi quiſpiam ad morbum tollendum omnia ſecundùm rationem expenderit, & præceperit, quamquam ſecundùm rationem minimè reſpondere videatur effectus, ad alia tamen haud tranſeundum, manente eo, quod à principio viſum eſt. Quippe etſi ſenſui non ſit per initia conſpicua vtilitas, ob affectionis contumaciam, quæ ſtatim minui mollirìve non poteſt, eſſe tamen aliquam innuit, quæ tractu temporis ſe prodat, ſicuti exemplo guttæ aſſiduo illiſu excauantis ſubiectam petram oſtendit Galenus in commentario. Hîc veterem obiectionem renouat Argenterius. quî enim fieri poteſt, vt omnibus ſecundùm rationem peractis, non ſequatur effectus ſecundùm rationem? Facilis eſt reſponſio ex declaratione propoſita: ſequitur effectus, ſed non apparet per initia. At Hippocratis verba ſunt: *Si non ſecundùm rationem euenerit*: at hæc ita intelligenda: ſi non ſtatim appareat ſenſui vtilitas. Arguat Argenterius, cognito morbo, ſicuti ratio inuenit, quod confert, ita tempus certum non etiam definit, quod ſcit definiri non poſſe, & quod ſi exactè definiret, ratio non eſſet; ſub latitudine tamen quadam ex morbi notitia

illud idem conſtituit: quare præſidiis adhibitis, quæ accommodata, & ſatis eſſe exiſtimet, non decipietur in tempore, non enim per naturam effectum expectat, quem ſcit diutius protrahendum eſſe, nec præter rationem fieri exiſtimat, ſi non ſtatim ſubſequatur effectus. Hoc argumento coactus, ſoluit aliter nodum Argenterius, nimirum quòd ait Hippocrates, non euenire ſecundum rationem, perinde accipiendum, ac ſi dicat, iuxta deſiderium, ac voluntatem noſtram: quippe ſi ex ratione cuncta ſint perpenſa, & adminiſtrata, nec ſuccedat, quem volumus effectum, non eſſe tamen cur pro illis in ægroti gratiam qui præ deſiderio feſtinatione nimia properat, alia ſubſtituamus: expectandum enim quod dictabat, & dictat etiamnum ratio, ſpatium temporis accommodatum: ſed non eſt neceſſe Hippocraticæ vocis ſignificationem peruertere, ô Argenteri, cum notione conſueta locus Hippocratis optimè ſe habeat iuxta propoſitam interpretationem: non enim in ratione temporis decipi medicum dicimus, ſed eò quòd certam, & exactam cognitionem illius non habeat, (quam ſi haberi exiſtimaſſet Hippocrates, non erat vt ſententiam illam proponeret) poſſitque tum maturius, tum ſerius reſpondere euentus, de remediorum mutatione cum non cogitaſſe. Quòd autem ſub latitudine quadam præfiniri tempus ait Argenterius, quia periculoſum erat illud ſpatium, ideo minùs peritum, & fortaſſe dubitantem medicum confirmare voluit Hippocrates, quod & Galenus in commentario cognouit, qui non exiguæ ſcientiæ munus eſſe ſcripſit, cùm non appareat ex iis quæ rectè viſa ſunt, manifeſtè adhuc vtilitas ſequi, ad alia non tranſire; cùm enim coniecturis nitatur morbi cognitio, ex qua curatio dependet, & curationis effectus, medicus qui coniectura magis valet, ille peritior artifex eſt: Artificialis enim coniectura, eſt media quodammodo inter exactam cognitionem, & omnifariam ignorantiam, vt ſcribit Galenus primo de locis affectis, capite primo, quam & ad veritatem proximè accedere ſcribit ille idem primo de criſibus. Quàm autem difficile ſit hanc artificioſam coniecturam aſſequi, locus Galeni indicat, qui ſcriptus eſt commentario ſecundo in librum Hippocratis de ratione victus in acutis tex. trigeſimo ſeptimo per hæc verba: *Artificioſè autem conicere, viri eſſe, qui vires omnium, quæ in arte ſunt didicerit, memoriæ mandauerit, atque diligentia omni adhibita, ſeſe in operibus artis exercuerit, paucoſque tales exiſtere*; & cum hoc etiam artificioſas coniecturas aberrare aliquando, proponit libro tertio Aphoriſmorum commentario tertij Aphoriſmi. Porro autem cùm affectionis cognitio reddat artem coniecturalem, vt ſuprà propoſuimus, & ex Galeno patet ij. de compoſitione medicamentorum per loca hiſce verbis: *Artis curandæ coniectura in affectuum dignotione maximè conſiſtit, qui vbi inuenti fuerint, curationem non coniecturaliter, ſed ſcientificè indicant*; id potiſſimum contingit ratione modi, aut menſuræ, ſeu gradus affectionis: ad ſpeciem verò, ſeu qualitatem affectionis dignoſcendam, dantur aliquando quædam ſigna pathogno

gnomonica à Græcis dicta, quæ ipſam vel certò indicare valeant: At modus, ſeu menſura haud poteſt innoteſcere, niſi receſſus à naturali, & proprio habitu exploratus nobis ſit, vt quantùm ſupra ipſum creuerit affectio cognoſcamus: id autem comprehendi haud poteſt, niſi priuatum cuiuſque natura, & habitus exactè à nobis teneatur, quæ *ἰδιοσυγκρασία* à Græcis dicitur; curamus enim non hominem in communi, ſed hunc, & illum ſingularem: hanc autem rem ita difficilem exiſtimat Galenus, vt de ea ita ſcripſerit capite ſeptimo, libri terij de methodo medendi: *Ego ſi cuiuſque priuatim naturam exploratè ad vnguem ſcirem, vtique qualem fuiſſe Æſculapium mente concipio, talem me eſſe putarem, ſed quoniam id fieri non poteſt, certè, vt quod homini licèt, quàm proximè accedam, tum ipſe me exercere decreui, tum alios, vt idem faciant, adhortor.* Si igitur gradus, ad quem vſque ſe intendat affectio, incertus eſt, incerta etiam eſt adhibendorum auxiliorum, menſura, quæ illi à qualitate reſpondere debet, quã auxiliorum incertitudinem artificioſæ coniecturæ indigam, proponit Galenus loco antea recitato ſecundo de ratione victus in acutis, textu xxxvij. Quin etiam in libro de ratione curandi per ſanguinis miſſionem, cap. 12. nihil æquè artem medicam in agendo coniecturalem efficere tradit, ac cuiuſque remedij quantitatem; ob hæc autem, incertum etiam tempus eſſe neceſſe eſt; at verò in hac incertitudine, boni medici manus eſt, ſemper potiùs medicamentis citra ſubſiſtere, quàm vltrà progredi, vt quod debet, tutò curet; ſic autem non ſtatim apparet effectus: quippe affectionis modo, aut gradu, ſiue illa intemperies ſola ſit, ſiue cum materiæ abundantia, minimè cognita, tempus etiam incertum eſt, ac longius, quàm medicus aliquando exiſtimaret, licèt iuxta rationem, & indicationem ille procedat: quod habemus apud eundem Galenum ſecundo de compoſitione medicamentorum per loca capite primo per hæc verba: *& cognoſcere datur, quàm ægrè aliquæ affectiones medicis cedant, in quibus rationabili et iuxta indicationem remedijs vtimur, etiamſi nihil efficere in principio appareat. Atque hoc eſt quod in Aphoriſmo dictum eſt, in quo ait, omnia ſecundum rationem facienti,* vbi Galenus totum recitat Aphoriſmum. Hæc igitur ad antiquam, ſed ab Argenterio renouatam, ab antiquis breuiter, ſed à nobis paulò vberiùs refutatam obiectionem dicta ſint. Cæterùm cum hac Hippocratis ſententia, conferebam Celſi locum ex libro tertio, capite primo, vbi remediorum mutationem proponit his verbis: *Alterum illud ignorare non oportet, quod non omnibus ægris eadem auxilia conueniunt, ex quo incidit, vt alia, atque alia ſummi auctores quaſi ſola indicauerint, prout cuique ceſſerant. oportet itaque vbi aliquid non reſpondit, non tanti putare auctorem, quanti ægrum, & experiri aliud atque aliud.* Vtrúmne exiſtimandum aduerſari Celſum Hippocrati? Enim verò, vt alter magis ad rationem & cauſam, alter verò ad experientiam, & effectus ſpectaſſe videtur, quæ non ſemper conſonare appareant, ita non de eadem omnino re vtrunque auctorem loqui, ſed de alia, & alia, patere poteſt.

poteſt. De vno, & eodem ægro, eadem continenter ægritudine affecto, loquitur Hippocrates, in quo non vult immutanda eſſe remedia; de eodem morbo, ideſt, eadem morbi ſpecie, ſed in variis ægris loquitur Celſus, pro quorum varia natura vult illa eſſe immutanda; quæ enim alicui eodē in morbo fuêre proficua, alicui non itidem ſint, & ideo ſcribit, non omnibus eadem conuenire auxilia: ſunt igitur quæ proponuntur alia, atque alia, non verò repugnantia. Ex eo tamen ad eundem ægrum labitur Celſus; & quoniam idem morbus in variis ægris variis auxiliis curatus eſt, quæ à variis medicis perſcripta ſunt, prout cuique ceſſerunt; fieri autem poteſt, vt ægri naturæ quem tractamus, ex omnibus quæ propoſita ſunt, magis aliud quàm aliud conueniat, ideo ſi aliquod non reſpondeat, ad aliud tranſeundum dicit Celſus. Hæc autem ſicut Hippocratis ſententiæ aduerſari videntur, qui licèt non reſpondeat effectus, vult nos in eodem auxilio manere, vbi maneat quod à principio indicauit, ita quadamtenus conciliari poſſe exiſtimem, déque cæteroꝛa, ex illis quæ ſequuntur, non malè decerni. Primùm, medicamentorum mutationem poſſe eſſe duplicem, vel facultatis, vel materiæ; quippe eadem facultas, ſiue prima, vt calefaciendi, ſeu ſecunda, vt adſtringendi, relaxandi, & ſimilia, poteſt eſſe in varia materia, etiam eadem intenſione, ſeu gradu. Cùm igitur alterutra ratione eſſe poſſit, Hippocrates de mutatione facultatis præceptum poſuit, Celſus de mutatione materiæ locutus eſt. Non licet igitur ex Hippocrate recedere à calefacientibus, ſi illa morbus requirit, licet ex Celſo recedere ab abſinthio, alio calefaciente ſubſtituto, ſi abſinthij vtilitas non appareat, iſthæc autem inuicem minimè pugnant. Verùm ſicuti hæc ad duo recitata loca videntur accommodari poſſe, ita alia ſunt apud Celſum, quæ manifeſtiùs eius auctoris ſenſum exprimunt, & facultatis etiam mutationem ad contrarium, liquidò comprehendunt; hæc enim ad finem proœmij primi libri ita leguntur, *Quin etiam morborum in iiſdem hominibus alia, atque alia proprietates ſunt, & qui ſecundis aliquādo fruſtra curatus eſt, contrarijs ſæpe reſtituitur.* Non igitur alia tantummodo hîc auxilia dicit, ſed contraria, quod in materiæ mutatione non poſſit locum habere. Reperit illud idem lib. 6. cap. 6. per hæc verba: *Hæc enim [balneum & vinum] vt in recentibus malis aliena ſunt, quæ concitare ea poſſunt, & accendere, ſic in veteribus, quæ nullis alijs auxilijs ceſſerunt, admodum efficacia eſſe conſueuerunt: videlicet hic quoque, vt alibi, cùm ſecunda vana fuerint, contrariis adiuuantibus.* Dicimus ad hæc, duplex eſſe morborum genus, alij enim manifeſtis conſtant qualitatibus, qui ſæpius eueniunt, alij occultiorem habēt naturam, & abditam proprietatem quandam, qui & rariùs incidunt. De illis præcepit Hippocrates veluti frequentioribus, ac de his loquitur Celſus; quod ex eiuſdem autoris verbis appareat ex fine proœmij recitatis [morborum in eiſdem hominibus aliæ, atq; aliæ proprietates ſunt] ad morbos igitur proprietates quaſdam in ægris habentes, contrariorum auxiliorum

vſum

vſum innouat Celſus,non ad alios de quibus loquitur Hippocrates; Et verò ſicuti ad morbos manifeſtis qualitatibus lædentes, manifeſtis qualitatibus iuuantia auxilia præſcribenda; ita ad eos,qui occulta quadam natura lædunt,occulta etiam totáque natura iuuantia auxilia valent:hæc autem,etſi ratione aliqua comprehendantur, quam in morborum curatione potiſſimùm ſpectat Hippocrates, non ita tamen illi ſubdita ſunt, vti quæ manifeſtè iuuant, ſed infirmior eſt ratio, quàm vt eorum vſum ſic calleat, vt aliquo non reſpondēte,aliud experiri non debeat medicus, quod proponit Celſus,licèt fortaſſe etiam ex manifeſta aliqua qualitate, quæ ſimul cum abdita medicamento inhæreat, morbo, qui cum occulta natura manifeſtam etiam habeat qualitatem aliquam lædentem,videatur aduerſari.Eſt autem tanti momenti hæc obſeruatio, adeóque vtilis, vt in illis etiam,quæ à manifeſtis qualitatibus iuuāt medicamentis,ſit maximè attendenda,& pluries etiam ita vſueceſſerit.Quippe inter corpora,& medicamenta proportiones,& conſenſus quidam occulti ſunt,qui nō comprehenduntur,niſi cum experientia,vt ſcribit Auicenna lib.4. Vnde quod iuuare poſſe medicamētū ex aliqua manifeſta qualitate exiſtimatur,lædet occulta aliqua eidē hærente; quare illud mutaſſe vtile ſit:ſed & ob aſſuetudinem medicamenti, quod ex repetito ſæpius vſu fit adeò naturæ familiare; vt medicamenti vim non ampliùs obtineat,mutatio eorundem eſt aliquando neceſſaria: quam duplicem mutationis cauſam, ab Auicenna fere etiam propoſitam habemus libro primo, vbi duo hæc Hippocratis, & Celſi loca coniunxiſſe videtur ita ſcribens, vti admodum barbarè vertunt. *Præter hoc quoque tibi caue, ne à rectitudine recedas, licèt videris quod ipſorum tardetur iuuamentum, neque in errore moreris, & ſi videris, quod eius non appareat impedimentum; & cum hoc ſecundùm vnam medicationem, non cum vna tibi ſtandum eſt medicina, immo in vna medicatione medicinas permuta, quoniam ab ipſo, quod conſuetum eſt non fit paſſio, & vnicuique quidem corpori, immo omni membro,immo omni corpori, & vni membro in vna hora, & non in altera, ineſt proprietas ab vna medicina pati, & non ab altera.* Fuit igitur Auicennæ etiam medicamentorum mutatio recepta, etſi an materiæ,an facultatis, an in contrarium,an alio morbo expreſſum non fuerit: expreſſum tamen fuit euidentiſſimè à Celſo illis verbis, quæ nos ſuprà recitauimus. Nec verò aliam rationem adducit Celſus, præterquàm experimentorum. Quippe fallacem admodum cùm exiſtimaret hic auctor medicinæ rationem, experientiæ ſemper plurimum tribuiſſe viſus eſt: medicinam enim coniecturalem artem eſſe, coniecturæ autem rationem talem eſſe dixit,vt cùm ſæpius aliquando reſponderit, interdum tamen fallat nos, vti ſcribit libro ſecundo capite ſexto. Nec ab eo improbari ex toto video curationem propoſitam libro tertio capite nono, qua ex antiquis temporibus reuocata, vterentur ea tempeſtate quidam, traditos ſibi ægros, qui ſub cautioribus medicis trahebantur, interdum contrariis remediis ſanantes; & quamuis temerariam appellet

eam m dicinam, quòd non ſuo tempore, ſed præcipiti quodam periculo vſurpata, ſicuti faciebat Petro, plures interficiat, id tamen ſubiicit, cùm omnibus eadem conuenire non poſſint, fieri vt quos ratio non reſtituit, temeritas adiuuet. Nos verò non temerarium, ſed rationalem medicum ex Hippocrate informamus: nec tamen arbitramur à ratione alienum eſſe medicum, qui diligenter omnia putet ſe expendiſſe, & ex artis præſcripto adhibuiſſe, non reſpondente euentu, ad contraria tranſire. Potuit enim falli ab initio ratio. Et quis eſt, qui certò ſcire ſe arbitretur ſecundùm rationem omnia agere? ſanè Galenus tertio de compoſitione medicamentorum ſecundùm loca, vbi de ſonitu in auribus ſermonem facit, cùm eius ſymptomatis duplicem affectionem eſſe cauſam ſtatuat, flatuoſum ſpiritum, & exquiſitam ſenſus audiendi ſubtilitatem; ex vtra harum fiat ſonitus in principio cognitionem haberi non poſſe dicit: ſed tempore opus eſſe, & poſt vſum pharmacorũ, quæ ex artificiali coniectura ſunt adhibita, id contingere. His enim prout cedit morbus, ita de coniectura artificiali, vtrùm recta, an minus, iudicium fit, & de affectione ipſa certò iudicari poteſt; ex quo etiam ſignorum ille fons defluxit à iuuantibus, & lædentibus, quæ ſæpius ad morbi cognitionem acquirendam in medium adducit Galenus. Igitur in primis auxiliis nihil profectum eſt, & coniectura falſa fuit, ad contraria deſcendit, quomodo proceſſit ipſe Galenus loco recitato, cùm enim incidiſſet in quendam auris ſonitu laborantẽ, qui diſſecantibus, & attenuatoriis, & diſcuſſoriis pharmacis vſus, apophlegmatiſmis etiam, ac totius capitis prouiſione, cùm nihil profeciſſet, opinatus eſt Galenus non flatuoſum ſpiritum, ſed exquiſitam audiendi ſubtilitatem ſonitus cauſam eſſe: quare ad contraria auxilia progreſſus, & ex ſenſum ſtupefacientibus aliquid admiſcens, quale eſt mandragoræ, & papaueris ſuccus, eo ſymptomate ægrum liberauit. Ab eadem doctrina non diſſentit ſeptimi Epidemiorum antiquiſſimus auctor, hic enim eius libri textu ſecundo, cùm morbi Polycratis hiſtoriam deſcriberet, eum decimoquinto die dolores ventris iuxta ſplenem, & ſiniſtram lateris mollitudinem paſſum eſſe dicit, auxilia autem memorans ſcribit calidorum appoſitionem minùs profuiſſe, quàm frigidorum; vt eidem morbo modò calida, & modò frigida adhibita fuiſſe remedia ſatis conſtet. Idem ſentire videtur Auerroës libro quarto Collect. cap. xlv. hic enim cùm ſignorum quæ morbos indicant, infirmitatẽ propoſuiſſet, de auxiliis eorundem ſcribit; ſi illorum vſu lucri aliquid ægro accidit, in eis inſiſtendum, fuiſſe enim veram coniecturam, ſi autem nihil proficitur, dimittenda eſſe illa auxilia, & ad alia tranſeundum.

De capitis ſitu ſomni tempore in iis, qui diſtillatione laborant. Auicennæ locus expenſus. Mercurialis notatus. Ariſtotelis opinio in problematis refutata.

CAPVT VIII.

CVM de curatione catarrhi, ſeu diſtillationis ageret Auicenna libro tertio fen. quinta, tract. primo, capite vltimo inter ea quæ de ſomno præcepit, illud in primis fuit, vt qui catarrhis ſunt obnoxij capite dormiant minimè eleuato, ſed potiùs demiſſo, decliuique puluinari. Hæc Auicenna, aut ipſius potiùs interpretes ita protulerunt. *Et oportet ſecundùm omnem diſpoſitionem, vt aſſiduet demiſſionem capitis, & teneat decliue puluinar, vel capitale.* Iſta ſanè priùs contrario omnino ſenſu legebantur per hunc modum: *& oporte ſecundùm omnem diſpoſitionem, vt regatur eum eleuatione capitis, & eleuetur puluinar.* Sed Bellunenſis, qui pleraque huiuſce auctoris loca optimè emédauit, hunc etiam ita reſtituit ſicuti propoſuimus. Matthæus Gradius in commentario ad nonum librum Rhaſis ad Almanſorem, capite de catarrho, hunc locum recitans, videtur non ex toto habuiſſe corruptum, nec omnino integrum, ita enim legit: *Et oporeet ſecundùm omnem diſpoſitionem, vt regatur cum inclinatione capitis, & eleuetur puluinar.* Præſtat autem totam Gradij orationis ſeriem ſubtexere, quæ ita habet: *Eſt etiam alia cautela habenda circa ſomnum in catarrho, vt ſcilicet puluinar ſit notabiliter eleuatum; ſed nota hoc, ne fiat error & deceptio (in quam etiam incidunt ſcribentes) quòd licèt puluinar, & caput debeat eſſe eleuatum, non tamen ſituari debet cum capite rectè eleuato, quia talis ſitus eleuationis capitis praparat ad catarrhum, & effectiuè, & ad deſcenſum, quia habiliùs aſcendunt vapores, & habiliùs deſcendunt materiæ per colatorium in pectus, & neruos. Ideo hunc errorem Auicenna remouet dicens: & oportet ſecundùm omnem diſpoſitionem, vt regatur cum inclinatione capitis, id eſt, inclinetur, & eleuetur puluinar, & non reſupinatio fiat in ſomno, quaſi innuat, quòd caput non ſit erectum, ſed aliquatenus inclinatum propter cauſas dictas.* Hæc Gradius. Videtur autem ita etiam legiſſe Gentilis, nec diſſimilem ea de re habuiſſe opinionem. Iacobus quoque de partibus manifeſtè ſicuti Gradius legit; ſed quod dicitur ab Auicenna *cum inclinatione capitis*, exponit caput ad anteriores partes vergere debere, vt materia diuertatur ad nares, puluinar autem in ſomno eleuari debere, ſic vt æger capite, & ſpatulis ſatis eleuatis ad puluinar dormiat. Hieronymus Accorombonus, Eugubius in libello de catarrho, iam ante annos ferme octuaginta edito, probat & ipſe lectionem, quam deinde reſtituit Bellunenſis, & antiquam illam à iuuentute ſe habuiſſe ſemper ſuſpe-

ctam dicit, demiſsúmque caput, & humile ceruical in diſtillatione laborantibus approbauit; ac ignoſcendum antiquioribus dixit, qui propter textus deprauationem, pleraque abſurdè circa eam rem propoſuerant. Cùm ſit autem illuſtriſſimus hic Auicennæ locus, & minimè obſcura illis, qui medicorum commentarios cum ſtudio legunt, quæ de figura illa humili, & inclinata Gradius, & Gentilis, & Accorombonus ediderunt, miratus ſum Hieronymum Mercurialem, libro ſecundo variarum lectionum capite decimoquinto, eam de inclinato illo accubitu opinionem, tanquam nouam, & à ſe inuentam propoſuiſſe: ſcribit enim ſic: *Jam verò me ſomnus admonet, vt communem omnium ferè errorem detegam, qui ſi altiore capite dormiant, à diſtillationibus minus tentatum iri ſperant.* Quem autem dicis, ô Mercurialis, communem errorem? an medicorum, an laborantium? ſi medicorum: falſa enim verò dicere te, ex illuſtriſſimo Auicennæ loco, & aliis quos citaui textibus, videre licet; ſi laborantium qui medicinam ignorant, indigna enim verò docti medici aduersùs idiotas obiectio eſt. Non igitur commune hoc medicorum erratum eſt, ſed nonnullorum tantummodo fuit opinio, qui rudi illa ætate corrupto Auicennæ codice vſi, ſenſum illum videre non potuerunt; nec tamen difficultate caret iſta de inclinato accubitu opinio. Quippe habemus apud Oribaſium libro ſexto Collectaneorum capite primo ex Antyllo hæc verba: *Figura autem decubitus eorum quibus caput laborat, in ſublime vergat, prǽterquàm in phreneticis, quoniam in eis humilem, atque inclinatum decubitum volumus, quia decubitus in ſublime elatus, quodam modo eos perturbat.* Si igitur illis qui diſtillatione vexantur, laborat caput, quidni erecti dormiant? laborare autem perſpicuum eſt, quippe ibi colligitur, & concreſcit diſtillationis materia ob virium loci imbecillitatem, quæ firmo alioquin capite, aut tota, aut magna ex parte concoqueretur, & in alimentum cederet, aut diſcuteretur; ſed conſideremus rationes. Ait Gradius præparare ad catarrhum, & effectiuè, & ad deſcenſum, vt ipſe loquitur, quia habiliùs aſcendunt vapores, & habiliùs deſcendunt materiæ per colatorium in pectus, & neruos. Expendamus vtrumque, de aſcenſu tantùm; rem proponit Ariſtoteles decimo Problematum, cuius loci auctoritate eam ſententiam confirmat Mercurialis. At ſi difficilius aſcendunt vapores demiſſo capite, quàm erecto, cur non eundem accubitum in ophthalmia, & dolore à bile, & aliis morbis, qui ex inferioribus elato humore, aut vapore conſtant, approbamus? Conſideremus autem Ariſtotelis rationem, nullam enim alij afferunt. Scribit igitur ille decimo Problematum, ideo brutis animantibus non fieri diſtillationes, ſicuti hominibus, quoniam brutis calor, & humores, qui calorem ſequuntur, in armos ſe efferunt, vnde per refractionem diſiecti, ac diſciſſi, partim quidem ceruicem, & caput, partim autem ſpinam, & lumbos, nimirum non vnam tantùm partem, ſed duas, anteriorem, & poſteriorem petunt, cùm hæc omnia ſint in eadem recta

linea,

linea,non ita in homine, in quo cùm ſit rectæ figuræ,calor non diſiectus, nec diſpertitus, nec partim ad anteriora, & ad caput, partim ad poſteriora, & ad ſpinam, atque lumbos fertur, ſed totus, ac vniuerſus ad caput, quem ſimiliter ſequentes humores, diſtillationem efficiunt. Multò plus igitur humoris in homine quã in brutis ferri ad caput, ea ratione contendit Ariſtoteles, quam rem ſimiliter de ſomno, ſi capite erecto, aut demiſſo capiatur, dicendam ſcribebat Mercurialis. Eam enimuerò Ariſtotelis rationem ſicuti aſſecutus ſum, memini me explicuiſſe in commentariis ad illum librum ſuperioribus annis editis, cuius tamen vim, & efficaciam ad id notandum, quod ſumpſit, non plenè aſſequi me fateor. Valeret forſan, ſi calori, & humoribus, ſeu vaporibus, ad caput via non pateret per venas, & arterias, ſed cùm per vaſa aſcendant, vt hæc procedunt, ita calor, & humores; nec ea re diſcrimen vllum homini & bruto eſt: ita enim vaſa procedunt in brutis, ac in homine, & æquè armos petunt in homine, ac in brutis: Vtriſque enim ab hepate, vt ſentiunt medici, aut corde, vt ſenſit Ariſtoteles, porrecta, eodẽ tramite ad caput ducuntur; vnde qui per ipſa fertur calor, & humores, abſque vlla offenſione caput petunt, nec aliquò impingũt, vnde per refractionem diſiecti diſcindantur, & partim huc, partim illuc progrediantur: recta enim eſt, & eodẽ modo ſe habet in vtriſque via, & æquè per lineã rectam à corde, ſeu hepate ad caput in homine fit trãſitus, ac in brutis. Quinimò ſi humores attendimus, qui ſequuntur calorẽ, cùm illi ſuapte natura graues ſint, difficiliùs erecta figura, quàm demiſſa caput petunt; ad illa enim quæ ſunt ſublimia, difficiliùs perueniunt grauia, quàm ad ea quæ humilia, vnde & Oribaſius ad finem eiuſdem primi capitis dicebat, decubitum à pedibus altiorem, replere caput, & inſtrumenta ſenſuum. De aſcenſu ita ſentiendum. Quòd autem pertinet ad deſcenſum, vera eſt Auicennæ, & medicorum opinio: quamquam in aſcenſu omne fere momentum; quippe ex inferioribus fere origo; ſi tamen in capite iam ſit materia; aut ibi genitæ, aut aliunde illata, erecta decubitus figura, faciliùs deſcendit materia, quæ grauis eſt, ſicuti humor parieti hærens promptiùs labitur, quàm in ſolo effuſus, quod planum eſt. Hoc autem caſu, vel conſideratur caput ex quo diſtillatio eſt, vel partes inferiores ad quas, ſi caput, quoniam depletur onere, & noxia materia, non erit inutilis eiuſmodi figura; ob eandem rationem, vt puto, Oribaſius capite laborantibus ſalutarem eſſe ſcripſit figuram decubitus, quæ in ſublime vergat; & Conciliator differentia cxxiij. capite eleuato dormiendum eſſe; vt quæ ſuperflua ſunt ad viliores partes decumbant: ſi autem attendãtur partes inferiores, illis incommoda eſt ſublimis dormiendi figura, quæ per hunc modum recipiunt, & implentur. Eo igitur caſu conſiderandũ vtrùm magis vrgeat, & iuxta illud, vel hanc, vel illam decubitus figuram eligere: ſi adſit difficultas reſpirandi, quod ſæpe in diſtillatione cõtingit, caput in lecto ſublime habendum eſt, quod præcepit Celſus lib. 4. cap. 4.

Cucurbitulas cum ſcarificatione, etiam incipiente morbo ritè adhiberi aliquando. Auicennæ locus expenſus, & Galeno conciliatus. Coſtæus notatus. Alter itidem, ſeu Galeni, ſeu Apollony locus de cucurbitulis declaratus, de ſcarificatione plura.

CAPVT IX.

QVÆREBAM vtrùm in angina, aut alia inflammatione, corpore exiſtente pleno, ſi aliquid venam ſecare prohibeat, ſtatim inter initia liceat ſcarificatis cucurbitulis vti. Id ſubibat ex illis quæ ex Galeno deſcripta leguntur apud Oribaſium libro 7. Collectaneorum ad Iulianum, capite decimo quinto. (*Cucurbitulæ euacuatis prius corporibus vtiles, ſed in repletis, his non vtemur. Eadem autem ratione in inflammatione cerebri, & membranarum, aut alicuius alius partis, eiſdem non vtimur initio morborum, ſed quum non amplius aliquid influit, & præuacuato vniuerſo corpore, opus eſt vel mouere, vel attrahere, vel ad exteriora reuellere, quod continetur circa particulam laborantem.*) Igitur pleno corpore, quod per initia in inflammationem eſſe conſueuit, non eſſe adhibendas cucurbitulas appareat. At concedere eas videtur Auicenna libro tertio, fen. nona, tractatu primo, cap. 10. vbi de anginæ curatione ſcribens, proponit initio morbi phlebotomiam, & purgationem, & reuellentia auxilia, ſaltem cum ventoſis (vt ipſe loquitur, aut eius potiùs interpres) poſitis ſuper loca longinqua oppoſita. Nodum ſoluere nititur Coſtæus ſcribens in adnotationibus, conſuli ab Auicenna cucurbitas vbi vires nõ conſtant, nec venæ ſectio conuenit, hanc enim antea vſurpandã, ſi liceat; tum ad cucurbitas deueniendum; at ſi non liceat venæ ſectionem vſurpare, cucurbitis nihilominus vtendum, quod & faciat Galenus xiij. methodi cap. 5. vbi vlceri coniuncta inflammatione, ob dolorem, vel venam tundit, ſi vires conſtant, vel membra ſcarificat, quæ læſa non ſunt, ſi vires ſint imbecilles. Inanem operam ſumit Coſtæus, nec ſeu Galeni, ſeu Oribaſij de cucurbitulis locum intelligit. Non enim Galeno aduerſatur Auicenna: cùm enim cucurbitas non eſſe admouendas corpore pleno ſcribit Galenus, ſeu ex eo Oribaſius, quod etiam ex Antyllo ſcribit; de iis intelligit cucurbitulis, quæ euacuationis cauſa admouẽtur ipſi parti affectæ, vt ex verbis facilè colligitur: ſcribitur enim, tum eſſe cucurbitas admouendas cùm vſus poſtulauerit, vt aliquid eorum quæ in parte phlegmone laborante continetur, moueamus, eruamúſque, & ad exteriora extrahamus; At Auicenna apponit reuulſionis cauſa partibus longinquis & oppoſitis, quod ſanè licet, etiam non euacuato

euato antea corpore; ipſimet verò parti affectæ ſeu inflammatæ non licet: ex dolore enim ſcarificationis citaretur fluxio, & plus eſſet quod attraheretur, quàm quod euacuaretur, increſceretque morbus, quod diſertè ſcripſit Galenus xiij. meth odi cap. 19. ex quo fortaſſe loco illa Oribaſij deſumpta ſunt, ita autem habent Latinè: *Verùm vtendum cucurbita in ipſa parte, qua phelgmone afficitur inter initia non eſt, ſed poſteaquam totum corpus euacuaueris, & opus ſit eorum, quæ in inflammata parte continentur, aliquid moueas, & ernas, aut ad exteriora retrahas.* Et eodem capite paulò pòſt: *Et cucurbita in occipite defixa efficax eſt remedium ad oculorum fluxionem ſed oportet antea euacuatum eſſe totum corpus, plethorico enim ipſo exiſtente, in quacunque parte capitis cucurbitam defixeris, totum ipſum implebis.* Abundè etiam libro artis medicinalis capite quinto, & nonageſimo, eundem locum tractat. Ibi enim docens morbos ex inflammatione, ſeu repletione partis alicuius, eſſe curandos merito euacuationis eiuſdem partis, id tamē fieri nō poſſe probat, nec per retroceſſionem humoris, nec per euacuationem partis, ſiue fiat euacuatio per reſoluentia, ſiue per ſcarificantia, aut adurentia, niſi totius corporis præcedat euacuatio: ex calore enim ſi reſoluentibus vtimur: atque ex dolore ſi ſcarificatione, plus eſt quod attrahitur. Puto inſuper Auicennam, cum initio anginæ cucurbitas proponit, intellexiſſe anginam leuem, in qua nō exiſtimat omnino neceſſariam phlebotomiā, & ideo dicit vtēdum phlebotomia, & purgatione, & aliis reuellentibus, ſaltem cum ventoſis; quippe exiſtimat has poſſe aliquando ſolas ſufficere. ſicuti cùm eſt leuis affectio. De leui autem affectione eum agere apparet ex illis quæ paulò pòſt ſubdit, vbi affectionem nominans, de quā ſcribebat, & quam curabat, non ſimpliciter dicit anginam, aut ſynantiam, vt eius interpres loquitur, ſed vuam aut ſynantiam, ita ſcribens. *Cùm incipit paſſio vua aut ſynantia.* Eſt autem vua angina quædam leuis, ſeu potiùs anginoſus affectus, factus à pituitoſa diſtillatione, non propriè angina. At in vera, propria, & grauiori angina nunquam omitti debet phlebotomia ab initio, nec ſufficiunt cucurbitulæ. Et idem Auicenna capite ſubſequenti xj. cùm de angina loqueretur, quæ fit ab humore calido, & grauis angina eſſe ſolet, ita ſcribit: *In calida quidem oportet, vt incipiatur cum phlebotomia.* quibus verbis neceſſitatem auxilij oſtendit, cucurbitas autem tanquam minùs efficaces haud nominat. At ſi vires non ferant venæ ſectionem dicat quiſpiam, quid moliendum? Puto eſſe deſperatam ſalutem: vbi enim acutiſſimus eſt morbus, nec æqualibus auxiliis vti licet, nulla relinquitur ſpes; quare non eſt, vt dicamus, vbi vires non conſtant illis eſſe vtendum, ſi quidem morbus vrget acutiſſimus, & æqualem ſtatim medicinam expoſcit: leuioribus enim vti licet, cùm morbus dat inducias, & natura ipſa paulatim ſuppetias ferre poteſt. Quid autem? an omittendus cucurbitularum vſus viribus imbecillibus, in pueris, ſenibus, & grauidis acuto morbo laborantibus, quibus non licet venam tundere? Non id dico; ſed cùm æquale non ſit

auxilium,

auxilium, non eſſe ſuum morbi, nec illi fidendum, nec tamen omittendum. Pueri autem ac ſenes acutiſſimis morbis corripi non ſolent, vt iuuenes, vnde ſufficiant cucurbitulæ; quòd ſi corripiantur, lethales eſſe ſolent, quod de grauidis expreſſit Hippocrates. Conueniunt igitur cucurbitulæ initio morbi in angina leuiori, ſicuti etiam in aliarum partium leuioribus inflammationibus, non ſanè inflammatis partibus appoſitæ, quod nunquam fieri debet inchoante morbo, ſed longinquis, & oppoſitis ad reuellendum à parte affecta, & ſimul euacuandum totum corpus, quæ euacuatio ex cucurbitulis ſufficiat, quum partes principes, in leui affectione, aut nulla, aut exigua copia oneratæ, magnopere laborent. Nam ad euacuandum totum in acutiſſimis morbis, vt in grauiſſima angina, pleuritide, phrenitide, & ſimilibus, ad internam brachij confugiendum eſt, quod facere Autorem libri quarti de ratione victus in acutis, ſcribit Galenus eo commentario particula xxiv. quia, & velociſſimè, & plurimum euacuat totum corpus ex iis partibus, quæ principes ſunt. At ſi earum partium plenitudo non vrgeat, nec morbus ſit adeò præceps, ſufficere cucurbitulas colligi licet ex loco, qui ex xiij. methodi medendi capite 5. adductus eſt. Quippe ſcarificationis beneficio euacuatur etiam totum corpus, atque reuellitur à parte affecta, cùm oppoſitis locis adhibetur. Ita verò totum corpus euacuari, expreſsè dixit aliquando Galenus, ſicuti libro 13. methodi cap. 5. per hæc verba Latinè: *At ſi vel plethoricum corpus ſit, vel cacochimum, curatio per ea quæ ſic calent, fluxionem ad membrum citat. Atqui nec alia vlla vti datur: cogimur ergo aliàs ſanguinem mittere, idque aut vena inciſa, aut membris iis, quæ læſa non ſunt ſcarificatis.* Atque etiam ſecundo Aphoriſmorum xvij. per hæc: *Euacuatio omnium humorum æqualiter, quæ quidem exquiſitiſſima eſt, fit per venæ ſectionem: proxima autem huic eſt quæ per malleorum ſcarificationem, vt nos facere conſueuimus, & quæ per exercitia, vel frictiones, vel balnea, & præterea ex accidenti per inediam.* Exprimitur etiam quarto de tuenda valetudine, vbi malleolos ſcapello incidere tantundem valere ſcribit, ac venam incidere. Non exprimitur aliquando, verum ſubmiſſione ſanguinis comprehenditur, vt obſeruare licet libro xiij. methodi cap. 6. vbi plethoram euacuantes materias proponens, ſcribit eſſe ſanguinis miſſionem, frequentia balnea, exercitationes, frictiones, digerentia medicamenta, & præter hæc omnia inediam. Eadem verò res manifeſtiſſimè etiam proponitur ab Oribaſio ex Apollonio libro ſeptimo Collectaneorum ad Iulianum cap. 19. vbi comparans crurum ſcarificationem venæ ſectioni, modò hanc, modò illam eligendam dicit per hæc verba: *Ego in maximis periculoſiſſimiſque affectionibus* (venæ ſectionem) *non omitto, in quibus abundè, affatimq́; ſanguinem effundere oportet, nam in vehementibus affectionibus, euacuationes affatim faciendæ ſunt: plethoram verò mediocrem, quæ aliquid mali ſit factura, & iam conuerſionem in morboſum ſtatum attingat, tibia ſcarificationibus vexata, quæq́; ſine moleſtia, & quantam voluerimus ſanguinis extruſionem*

extruſionem reddiderit, cùm [illegible] *commotiorem*, [illegible]
Si igitur ſcarificatione totum corpus mediocri plethora euacuatur, & fluentes humores reuelluntur, eius occaſio aliquando eſſe poteſt initio morbi, ſicuti aliàs venæ ſectio eſt neceſſaria. Verùm aliquis exiſtimet labi me, & ſcarificationem cum ſcarificatis cucurbitulis confundere, quæ aliud & aliud ſint; quæ igitur ex Galeno, & Oribaſio allata ſunt de ſcarificatione, cùm vera ſint, non poſſe tamen ad ſcarificatas cucurbitulas transferri, neque ſi ſcarificatione initio morbi liceat vti, ſcarificatis liceat vti cucurbitulis. Ita autem ſenſiſſe recentiores quoſdam video, qui cùm magnopere laborent ad oſtendendum, ſcarificationem antiquorum, & ſcarificatas cucurbitulas nó fuiſſe vnum & idem apud antiquos, quod vel vltro concedo, non tamen bene colligunt, licere vti initio morbi ſcarificatione, non licere cucurbitulis ſcarificatis, ſi enim licet illa, licet etiam his. Ac ſi ſcarificatione plethora mediocris ſoluitur, ſoluitur etiam cucurbitulis ſcarificatis. Verum ſanè illud eſſe exiſtimo quod ſcribunt, ſcarificatione vſos antiquos abſque cucurbitularum appoſitione, diſtinxiſſeque alterum ab altero, quod apparere ex Galeno video quinto in ſextum Epidemiorum textu primo; vbi ſeiūgit illa duo, & ſeorſim proponit. Enumerat enim medicorum miniſtros, herbarios, vnguentarios, coquos, cataplaſmata adhibentes, humorem conſpergentes, cliſterem ſuffundentes, ſcarificantes, venam ſecantes, & cucurbitulas affigentes. Et verò apponebant antiqui cucurbitulas abſque ſcarificatione, & ſcarificabant cum cucurbitulis, erántque varia variis occaſionibus vſurpata remedia: cucurbitulis enim vtebantur, cùm vi attrahere illis conſilium erat, eſt enim efficax admodum ad trahendum auxilium cucurbicula, vt habetur apud Galenum libro xiij. methodi: ſcarificatione autem vtebantur, vel ad reuellendum ab aliqua parte, quo tempore apponere cucurbitulas ſolebant, & vtile admodum eſt, vel ad euacuandam oppletam partem ex ipſo affecto loco, qua occaſione affectas partes ſcarificabant, vel ad euacuandum totum, quum plethora erat mediocris, & venæ ſectionem non putabant neceſſariam; quinimo damnoſam, tunc enim ſcarificationem ſuſtinebant, hæc autem erat abſque cucurbitulis, & ſemper in tibiis, quippe locis ignobilibus, ex quibus euacuatus ſanguis minimum viribus officeret, vt ex Oribaſio habemus, Apollonij doctrinam recitante ſeptimo libro Collectaneorum ad Iulianum capit. xix. eáque vtebantur potiſſimùm præſeruationis gratia, & ad præcauendum à morbis: quum enim eodem anno venam ſæpius incidere accommodatum non videretur, quum multus ſpiritus animalis vnà cum multo ſanguine effundatur, ideo, non adeò vrgente re, fuit ſcarificatio illa inſtituta, vt ex eodem Oribaſij loco conſtat. Non tamen ea re vllo pacto differebant ſcarificatio, & cucurbitulæ ſcarificatæ, quòd ſcarificare corpore non purgato licuiſſet, aut liceat, cucurbitulis vti non licuiſſet, aut non liceat, hoc enim falſum eſt præceptum, nec id, aut Galenus, aut alij ex anti-

quis dixerint licèt recentiores illi quos ſignificaui, Galeni, ſeu Oribaſij verbis ſupinè acceptis, id affirmarint. Cùm enim ſcribit Oribaſius, ſeu Galenus, cucurbitulas purgatis prius corporibus eſſe adhibendas, intelligit quum illæ adhibentur particulis inflammatis, aut aliter oppletis, ad eum finem, vt particulas exhauriamus, & quod ibi præter naturam inculcatum eſt, inde eruamus, quæ res, vel ex ipſis, ſeu Galeni, ſeu Oribaſij verbis patet, libro ſeptimo ad Iulianum cap. quinto decimo, quo loco ſcribit vtendum eſſe cucurbitula, quum opus eſt vel mouere, vel amoliri quod continetur in parte inflammata. Id autem & ſuperius aduerſum Coſtæum propoſui: eo autem tempore, nec ſcarificatione abſque cucurbitulis vti liceat, quod habemus apud Galenum libro artis medicinalis capite lxxxxv. quem locum etiam antea adduxi; & manifeſtiſſimis verbis apud Aëtium ex Galeno libro tertio capite primo, & vigeſimo, vbi de ſcarificatione agens, eiúſque vſus proponens, ad finem capitis ita ſcribit: *ſanguinis inculcationes quæ factæ ſunt, poſt vniuerſalem totius corporis euacuationem ſoluere per localem ſcarificationem.* Eſt autem, tum cucurbitulæ, tum ſcarificationis eadem ratio, quippe vtraque efficiunt dolorem, ex dolore autem citatur fluxio ad partem, cuius euacuationem quærimus. At cùm præſeruationis gratia ſanas tibias ſcarificamus, licèt dolor creetur, nihil periculi eſt, cum in parte nihil mali ſit; ſcarificatis autem partibus affectis propoſitum imminet periculum. Quinimo, nec venam ſecare in affecto loco liceat, etſi exiguus inde, aut nullus ſecuturus ſit dolor, niſi antea totum corpus fuerit euacuatum, quia ad affectam partem ſanguis eo modo trahitur, qui inde reuellendus eſt. Id autem habemus apud eundem Aëtium libro tertio capite xx, ita ſcribentem: *Illud porrò noſſe expedit, quòd non ſolum localis venæ ſectio detrimento eſt, antequam vniuerſum corpus euacuetur per affectas partes ſanguinem detrahens, ſed etiam cucurbita.* Magis tamen periculoſam ibidem dicit eſſe cucurbitam, quàm venæ ſectionem, quippe pro ratione materiæ quæ affertur ex venæ ſectione, etiam ſanguinis excretio fit cum cucurbita, tum impetu affixionis violenter materiam attrahens, tum multum locum occupans, & tamen neque vaſis ſenſibilem fiſſuram faciens, attrahat quidem memorabilem materiam, non euacuet autem pro ratione attractæ. Si igitur nec locali venæ ſectione vti licet, hoc eſt, non licet in parte affecta ſecare venam, multò minùs liceat vti ſcarificationibus. Quod autem dicunt recentiores iidem, ſcarificatione inſignem extrahi ſanguinis copiam, cucurbitulis ſcarificatis exiguam, ideo ſcarificationem ſubſtitui venæ ſectioni, non autem cucurbitulas ſcarificatas, non eſt ad rem, & falſum eſt. Comparant enim ſcarificationem in tibiis, qua vtebantur antiqui cucurbitulis ſcarificatis in dorſo, quibus nos paſſim vtimur. At qui ſcarificationem dicit, non eam in tibiis dicit, nam ſcarificabant antiqui etiam alias partes, quod patet ex Oribaſio libro ſeptimo Collectaneorum ad Iulianum capite xviij. in quo

docet

docet cruribus, & abdomini adhibendas inciſiones per rectitudinem, eodémque modo in thorace, dorſo, & ceruice: at in capite pro ſitu capillorum, in fronte obliquas. Neceſſe igitur erat comparare ſcarificationem dorſi cucurbitulis ſcarificatis in eadem parte, ſicuti ſcarificationem tibiarum cucurbitulis in eadem parte ſcarificatis. Quæ ab antiquis ſubſtituitur ſcarificatio venæ ſectioni, eſt quam in tibiis moliebantur. Hæc autem etiam adhibitis cucurbitulis poſſit ſubſtitui, ſi modò illæ adſint conditiones; quas pro ſcarificatione tibiarum ipſi obſeruabant: Cruribus enim potiſſimùm fiebant inciſiones, & ſcarificationes ad plenitudinem mediocrem ſoluendam, & præcauendum à morbis, in illis præſertim qui renuem ſanguinem aceruare ſolent, vt in mulieribus albidis, vt habet Galenus libro de curandi ratione per ſanguinis miſſionem, capite xj. Per ſcarificationem enim tenuior ſanguis facilè profluit, non ita craſſus, atque ea ratione commodè præcauebant à morbis. Quippe locus ille, vt propoſui antea ex Oribaſio, qui Apollonij verba recitat, ignobilis cùm ſit, ad eam rem maximè erat aptus, quod & video referri ab Aëtio ex Galeno libro tertio capite xxj. Id verò citra totius corporis euacuationem licebat, nullo ibidem exiſtente morbo: ſed & liceat quoque ad eandem rem ſcarificare dorſum eiſdem conditionibus; quamquam verè crura tanquam ignobiliora, ſint magis ei rei accommodata. Eaſdem autem partes, aut alias, vbi ſint affectæ, & morbo vexatæ, initio morbi, & totius corporis nō præcedente euacuatione, ſcarificare non liceat. Eſt etiam falſum cucurbitularum vſu, quæ dorſo affigantur, & incidātur, minorē extrahi ſanguinis copiam, quàm ſcarificatis cruribus, cùm in dorſo venæ ſint amplæ, ſi modò paulò altiùs affixis cucurbitis velimus infligere plagas. Et experientia ipſa docet, ex dorſo magnam euacuari ſanguinis copiam; quippe in patria mea Genua quotannis per ſacros ſuppliciorum Chriſti Domini dies, ferreis aculeis ſparto appenſis multis dorſum verberantibus, ea fit ſanguinis effuſio nonnullis, ex qua incidunt in animi deliquium, manifeſtóque apparet, quibus non accidit animi deliquium, libras tamen pluſquam duas ſanguinis, quas per ſcarificationem tibiarum ſibi detraxiſſe ſcribit Oribaſius, ex dorſo effundi. Igitur quamquam idem non eſſent omnino ſcarificatio, & cucurbitulæ ſcarificatæ, quum tamen illis conueniat, quod à me ſuperiùs eſt poſitum, ſi ſcarificatione vti licet initio morbi, quod licet aliquando, ſcarificatis etiam licet vti cucurbitulis, ſiue tibiis, ſiue dorſo appoſitis.

Diſſidentes, & variæ antiquorum, ac principum in medicina virorum de mittendo, aut non mittendo ſanguine opiniones, de modo, aut menſura eius, déque ætate, quibus mittatur, & morbi tempore, ac alia ea de re. Galeni loca aliquot de cotyla. Fuchſius reprehenſus.

CAPVT X.

MIRARI ſubit aliquando in medicina auctorum diſcrepantes non modò, ſed omnino etiam contrarias ſententias: nec de iis ſolùm loquor, quæ ad contemplationem magis pertinent, & philoſophica potiùs ſunt, verùm de ipſis medicinæ inſtrumentis, & auxiliis, quæ ſuos cum producerent effectus inſignes, & conſpicuos, opinionis veritatem re ipſa declarare poſſe videbantur. Hanc rem in vno ex præcipuis medicinæ auxiliis, quæ eſt venæ ſectio, in præſentia conſidero: de ea enim maximè repugnantes, atque adeò oppoſitas ſententias clarorum virorum animaduertere licet, ſiue ipſum ſimpliciter auxilium, venæque ſectionem conſideremus, ſiue hominis conditiones, ex quo ſanguis emittitur. In primis, venæ ſectionem antiquiſſimum fuiſſe auxilium ſatis conſtat, vt penè cum ipſa medicina exortum eſſe videatur. Podalyrius enim Æſculapij filius Syrnam Damethi Cariæ regis filiam, quæ excelſo quodam tecti decidens faſtigio, concuſſo corpore periculosè ſe habebat, inciſa ex vtroque brachio vena, ſanguineque inde emiſſo ſanauit, quod præſidium vidiſſe à patre eo in caſu vſurpatum, ab eóque didiciſſe credibile eſt. Tum ex eadem Æſculapij propagia vetuſtiſſimus auctor Hippocrates, in omni grauiori morbo mittendum ſanguinem ſcripſit, modò nihil ſit, quod illud auxilij genus remoretur, quam Hippocratis doctrinam ſecuti ſunt, & Diocles Caryſtius, qui ob artis excellentiam iunior Hippocrates fuit cognominatus, & Praxagoras eadem qua Hippocrates Co patria natus, Philotimus, & Herophilus, & alij veteres. Circiter tamen eadem tempora natus Chryſippus Cnidius celeberrimus & philoſophus, & medicus, iſtud auxilium omnino abdicauit, nec eo vti vnquam voluit, cuius veſtigiis adhærens Eraſiſtratus Iulita eius diſcipulus, & Ariſtotelis ex filia nepos, nullo in morbo venam eſſe ſecandam exiſtimauit, à quo deinde orti Eraſiſtratæi, per multa ſæcula Romæ medicinam facientes, ea in totum abſtinuerunt: inter quos fuit Strato ſumma neceſſitudine Eraſiſtrato iunctus, & Ariſtogenes, & Medies. Pòſt autem multis ſæculis exactis, cùm Romam aduenuiſſet Galenus, & prauas Eraſiſtratæorum curationes aduerteret

cerneret, quibus multi de medio tollerentur, vt puella Chienſis, & Crito, & alij quos Galenus memorat, cœpit eorum inſcitiam redarguere, & Chryſippi, ac Eraſiſtrati dogma refellere, vnde factum eſt vt Eraſiſtratæi ſententiam mutarent, & ſanguinem mitterent; id verò ex Eraſiſtrati decretis facere aſſeuerarent, venæ namque ſectionem ab Eraſiſtrato non fuiſſe omiſſam, licèt vetuſtiores Eraſiſtratæi ita affirmarent: ſed refellit hoſce Galenus, multiſque verbis probat, ab Eraſiſtrato nunquam venæ ſectionis factam eſſe mentionem, neque ab illo tale auxilij genus vnquam vſurpatum. Hæc de re ſimpliciter. De corporibus à quibus tollendus eſt ſanguis, non minor varietas, & pugna: eam vi communi comprehendit Cornelius Celſus libri ſecundi capite nono per hæc verba: *Sanguinem in ſiſa vena mitti nouum non eſt: ſed nullum penè morbum eſſe, in quo non mittatur, nouum eſt. Item mitti iunioribus, & fœminis vterum non gerentibus, vetus eſt: in pueris verò idem experiri, & in ſenioribus, & in grauidis quoque mulieribus vetus non eſt: ſi quidem antiqui primam vltimamque ætatem ſuſtinere non poſſe hoc auxilij genus iudicabant, perſuaſerántque ſibi mulierem grauidam, quæ ita curata eſſet, abortum eſſe facturam.* Nos autem quædam capita exactiùs pertractemus. Pueris mitti ſanguinem vetus non eſſe teſtatur Cornelius, quod eſt dicere, veteres medicos pueris non miſiſſe, recentiores miſiſſe, & vera proponit Celſus. Hippocrates enim qui veterum princeps, libro quarto de ratione victus, in morbis acutis, textu decimo nono, niſi floreat, ac vigeat ætas, à ſanguinis miſſione abſtinet, cuius ſententiæ adhæſiſſe, qui ſubſecuti ſunt, Dioclem, Praxagoram, Philotimum, Herophilum, & alios credibile eſt. Chryſippus enim & Eraſiſtratus, nulla ætate nulloque morbo, vt vidimus, venam ſecabant. At recentiores, Celſique ætati proximiores, qui ſucceſſerunt, iſtud auxilium in pueris vſurpaſſe, etſi ex eorum monumentis, quæ nulla extant, haud cognoſcere liceat, affirmanti Celſo facilè credimus. At poſt Celſi ætatem, qui fuit clariſſimus Galenus, nullo pacto pueris ante annum decimumquartum mitti ſanguinem voluit, quod ſcriptum reliquit libro vndecimo methodi medendi, capite quarto decimo, & libro de curandi ratione per ſanguinis miſſionem, capite tertio decimo, & alibi etiam, licèt annorum numerum non vbique definierit, à qua ſententia non receſſerunt poſteriores Græci, vt Oribaſius, qui libro ſeptimo Collectaneorum ad Iulianum capite quarto, & in ſynopſi ad Euſtathium filium, pueris vſque ad annum quartum decimum non eſſe ſecādam venam propoſuit, eadem afferens quæ Galenus, quòd facilè per halitū pueri digerantur. Longo tamen pòſt tempore, ex Arabibus illuſtris medicus Auenhoar, ante annum quartum decimum adeò mitti ſanguinem poſſe cenſuit, vt filiolo ſuo tertium annum agēti venam ſecauerit, cuius auxilij beneficio à morte euaſit puer, ſicuti idem Auenhoar ſcribit lib. Theiſir, & Auerroës lib. 7. qui inſcribitur Colliget, c. 3. Ex eadem tamen Arabum familia Princeps Auicenna libro primo Canonis, fen quarta, doctrina quinta, c. parte

vltimo, de phlebotomia inſcripto, Galenicæ ſententiæ ad[illegible], cauendum eſſe ſcribit à miſſione ſanguinis in ætate quæ eſt minor [illegible] quatuordecim annis, licèt exiguam detractionem in adoleſcentibus co[illegible]dat, quod & facit Galenus in libro de curandi ratione per ſanguinis [illegible]ſionem, ex quo loco omnia hæc ab Auicenna deſumpta fuére. No[illegible] etiam temporibus haud rarò pueris ſex aut ſeptem annos natis, felici ſucceſſu in brachio vena ſcisſa, ſanguinem ad quinque, aut ſex vncias pro morbi, ac temperamenti ratione fuiſſe miſſum ſcimus, & nos feliciter miſimus non ſemel. Eadem fermè quæ de pueris, de grauidis etiam mulieribus ſententiarum varietas conſiderari poteſt. Nam cùm ea quæ ex Celſo propoſuimus, veteres abſtinuiſſe in grauidis à venæ ſectione oſtẽdant, quod confirmatur Hippocratis teſtimonio Aphoriſmorum libro quinto, aphoriſmo trigeſimo primo ſcribentis, mulierem vterum gerentem ſanguine è vena miſſo abortire, recentiores tamen, & Celſi temporibus proximiores medicos, grauidis ſanguinem detraxiſſe eadem oſtendunt; quod & paſſim noſtris temporibus facimus abſque vllo abortitionis periculo, niſi vi morbi intereat fœtus, à quo magis illi imminet periculum, quàm à ſanguinis moderata emiſſione. Eſt verò etiam, cùm citra morbum vllum grauidis mittere ſanguinem aliquando neceſſitas poſtulat, geſtationis ipſius cauſa, quippe niſi mittatur abortiunt, copia ſanguinis fœtum ſuffocante, qua copia exinanita, retinetur fœtus, & maturè emittitur. Quod ad quantitatem etiam ſanguinis pertinet, obſeruanda eſt noſtrorum, & antiquorum temporum varietas. Hippocrates enim libro ſecundo de ratione victus in morbis acutis, textu decimo; in pleuritide ſanguinem mittit vſque ad coloris mutationem, quippe eſt id argumentum ex inflammata particula eum fuiſſe eductum, diſtat enim hic colore ab eo, qui in aliis corporis partibus continetur: ſi enim aliunde pituitoſus, ex inflammatione rubicundior, ſi autem ex aliis partibus rubicundior, ex inflammata ob aduſtionem liuidus, & nigrefactus prodibit. Similiter quarto eorundem librorum de ratione victus in morbis acutis, textu ſeptuageſimo nono, ſiue Hippocrates, ſiue quiſquis auctor ille eſt, in pleuritide ſanguinem mittit vſque ad animi deliquium: at noſtris temporibus in pleuritide quis vnquam coloris expectat mutationem, aut expectare audet? aut in eadem quis vnquam ad animi vſque deliquium, euacuationis ratione aduenïens, ſanguinem mittit? At hoc idem animi deliquium in ſanguinis miſſione, nonnullos medicos pro termino poſuiſſe non in pleuritide ſolùm, ſed communiter in detractione ſanguinis habemus apud Galenum in libro de venæ ſectione aduersùs Eraſiſtratæos capite quarto, ſicuti alios coloris mutationem, & alios alio modò. Galenus autem licèt eam ſententiam non approbet, vt apparet libro de curandi ratione per ſanguinis miſſionem capite vndecimo, poſſe tamen vſque ad animi deliquium mitti quibuſdam in caſibus, docet Aphoriſmo tertio, & viceſimo libri primi Aphoriſmo

riſſimorum , & exemplis propoſitis ad eum [illegible] fuiſſe a Galeno vſum , apparet libro nono methodi medendi , capite quarto , dum adoleſcentium duorum ſynocha febre laborantium hiſtoriam recenſet, quod & ſcribit eodem libro de curandi ratione per ſanguinis miſſionem , capite duodecimo. Ibidem autem ſanguinis menſuram , quam aliquando vena ſecta fluere permiſerit , definitè exprimens , magis adhuc quod proponimus confirmat. Scribit enim ſe aliquando detraxiſſe cotylas ſex: ſunt autem ſex cotylæ , vnciæ menſurales quinquaginta , & quatuor; quippe cotyla , Attica ſcilicet,quam intelligere puto Galenum (alia autem quæ & Italica adhuc maior) continet vncias menſurales nouem , quod habemus apud Galenum libro primo de compoſitione medicamentorum ſecundùm genera per hæc verba : *Ex multis medicamentis olim conſcriptis priuſquam res Romanæ in tantam potentiam venirent , coniecit, quam illi nominant cotylam , parem eſſe vnciis nouem libræ Romanis nunc conſuetæ.* Libro etiam ſexto eiuſdem operis , non ſolùm cotylam continere vncias nouem menſurales dicit , ſed cotylas ſex vncias quatuor & quinquaginta , per hæc verba: *Conſentaneum igitur eſt Andromachum nouem vnciarum menſuralium oleum ricininum cenſere eſſe iniiciendum, vt ſex cotylæ fiant unciæ menſurales quatuor , & quinquaginta , quod idem eſt cum libris menſuralibus Romanis quatuor , & dimidia.* Porro autem vnciæ menſurales ita dicebantur ; quia per cornua lineis interſecta menſurabantur , & diſcernebantur , vt ſcribit Galenus libro 6. eiuſdem operis. Non erant autem eædem cum ponderalibus. Hæ enim appendebantur; menſuraléſque in omni materia eædem : ponderales non item : ſed variæ pro rei cotyla admenſæ grauitate , aut leuitate , vnde olei cotyla,ſicuti ex Galeni experimento apparet,pendebat vncias ſeptem cum dimidia , ſexto enim libro de compoſitione medicamentorum per genera,hæc habet: *Ego ſanè olim libram Romæ nuncupatam , quam per interſecta cornua metiuntur, appendi aliquando , cupiens ſcire quantum ponderis haberet , inueni verò duodecim vncias menſurales decem ponderalibus æquales.* Si igitur duodecim menſurales. olei vnciæ ſunt decem ponderales , ſex quibuſlibet vnciis menſuralibus olei vna dempta , ponderales erunt , atque ita cotyla olei , quæ admetiendo vncias ſeptem cum dimidia : alia autem ratio in vino , alia in melle , & alia in ſanguine erit. Errat igitur Fuchſius, qui ſimpliciter cotylam vncias ponderales ſeptem cum dimidia continere dicit ; id enim de oleo tantùm ex Galeno aſſerendum eſt. Quòd ſi cotylæ ſanguinis , quæ menſura eſt , pondus exactè ſcire vellemus , quod fecit Galenus , nos facere neceſſe eſſet , vt menſuram illam appenderemus: id tamen conſtare poteſt , ſex cotylas menſurales magnam eſſe quantitatem, & quam noſtris temporibus nemo audeat detrahere , quod tamen ſi facerent aliquando medici , enimuerò morbi nonnulli , qui interim dum vnciolas demimus , maximè inualeſcunt , debellarentur protinus , nec redderētur incurabiles, Sanguinis libra, quā ſemel raò excedimus, exi[illegible]

admodum

[illegible]modum copia videatur exiſtimari à Galeno in libro de curandi ratione per ſanguinis miſſionem, capite [illegible], [illegible] uerſus eos loquerentur, qui lienoſis ſanguinem detrahere negligerent, ita ſcribit: *Haud noui tamen, ob quam cauſam medici lienoſis ſanguinem detrahere neglexerint, ſi quidem ego maximam perpetuò vtilitatem euenire cognoui, & libram vnam tantummodo detraherent.* Quin & eodem libro capite [illegible] ſequenti, œconomo illi diuiti Romani grauiſſima ophthalmia laboranti, vna die libras quatuor ſanguinis exhauſit, nimirum libras tres protinus, & ſemel, tum quatuor horis interiectis libram aliam, & mirum fuit quàm celeriter reſtituta fuerit oculorum acies, & ſanitas illi, cui cæcitatis periculum imminere exiſtimabatur, & iam per viginti dies grauiſſimo dolore conflictatus, lucem videre non poterat, vt incantationi res ſimilis viſa ſit, quod ſcribit ibidem Galenus. Audaciùs igitur ſanguinem euacuantes miras aliquando perficeremus curationes, ſed cauti ac [illegible]æ metu nimirum timidi ſumus, ne quem non ſeruemus, vt ait Celſus, eum perdidiſſe exiſtimemur. In Hiſpania largas fieri ſanguinis miſſiones audio, ſed partitis vicibus, ſic vt per plures morbi dies quotidie aliquid dematur, modò ex vno, modò ex altero brachio, quæ conſuetudo ſanguinem diuidendi, vt laudanda eſt cùm morbus patitur, aut requirit, vt in copia crudorum humorum ex Galeni doctrina, per plures dies modò præparantis, modò euacuantis, ita perpetuò eam tenere conſuetudinem, empirici eſt, non rationalis medici: eſt enim cùm morbus largam affatim, & ſemel ſanguinis miſſionem poſtulat, & eſt cum multis diebus nihil mouendum ſit. Vnum de tempore miſſionis ſanguinis addam, tum finem capiti faciam. Galenus quolibet morbi die, cùm res poſtulat, & nihil impedit, mittendum ſanguinem dicit, & noctu etiam, ex Hippocratis doctrina id hauſtum, qui Anaxioni pleuritico etiam octaua die venam ſecuit: innouatum tamen ab Hippocrate morem, ex Galeno apparet, qui commentario tertio in tertium librum Epidemiorum textu nono, & ſeptuageſimo, medicos eo tempore quaſi lege certa vltra quartum diem ægrotis non ſecuiſſe venam affirmat: quam conſuetudinem, licèt ab Hippocrate neglectam, apud poſteriores etiam manſiſſe, ex Celſo apparet, qui venæ ſectionem poſt diem quartum tanquam minùs vtilem improbat per hæc verba: *Ideóque ei rei videtur aptiſſimus aduerſæ valetudinis dies ſecundus, aut tertius, ſed vt aliquando etiam primo die ſanguinem mittere neceſſe eſt, ſic nunquam vtile poſt diem quartum eſt, cùm iam ſpatio ipſo, materia & exhauſta eſt, & corpus corrumpit, vt detractio imbecillum id facere poſſit, non poſſit integrum.* Hanc autem obiectionem poſtremis verbis propoſitam, medicos illos reſpexiſſe etiam, & aduertiſſe credibile eſt, quæ tamen haud impedit. Non enim ſanguis detrahitur, ſi exhauſtus ex corpore eſt, ſed cùm in eo abundat, at abundat etiam aliquando poſt quartum diem, nec corpus eo tempore corrumpit, aut imbecillum

imbecillum reddit, ſed integrum, & robuſtum, ſi ex ſanguinis copia morbus ſit, aut ſaltem cum morbo, cum fouens ſit abundantia.

De Anginæ nomine, & differentiis, ac de etymo. Celſus notatus. Locus in libro cui titulus Introductio, aut Medicus, ab interprete perperam conuerſus, emendatus.

Capvt XI.

Angina, quæ & anguina aliquando dicta eſt, Latina vox eſt: indicat Celſus, qui eo de morbo verba faciens libri quarti capite quarto, ita ſcribit: *Noſtri anginam vocant.* Habet tamen originem Græcam, vt exiſtimo, ſicuti verbum vnde est deductum morbo nomen; Angina enim ab ango, id eſt, ſuffoco, & ſtrangulo, aut ſpiritus viam præcludo, ango autem Latinorum ab ἄγχω Græcorum. Apud Græcos dicitur συνάγχη, aut κυνάγχη eodem etymo, nimirum ab ἀγχόνη, quæ vox laqueum ſignificat, & eſt ab eodem verbo ἄγχω. Id habemus apud Trallianum libri quarti capite primo, atque etiam apud Cælium Aurelianum, qui aliud tamen etymon proponit, nimirum ἀπὸ τοῦ συνέχειν, id eſt, à continendo, ſeu cohibendo, quia ſpiritum cohibendo reſpirationem neget. Eſt autem Angina apud Latinos commune, & genericum nomen, quamlibet ſuffocationis ſpeciem, in qua tamen afficiantur fauces, denotans, quale apud antiquiſſimos Græcos συνάγχη & κυνάγχη, quæ etiam dicta ſunt σύναγχοι, de omni ſuffocationis genere, in qua afficiantur fauces prolatæ, vt habemus expreſsè apud Trallianum libri quarti capite primo ſcribentem: *Omnem inflammationis ſpeciem circa iugulum, ſiue interiùs, ſiue exteriùs ſuffocationem inducat, apud antiquiores medicos, vt plurimùm fuiſſe appellatam Synanchem: poſteriores autem quadrifariam diuiſiſſe.* Cautè autem accipiatur quod ait, fuiſſe dictam Synanchem; nimirum haud negat fuiſſe etiam dictam Cynanchem, ſed Synanchem genericum, & commune nomen eſſe. Vniuersè autem de quocunque ſuffocationis genere, quod dictum eſt, habemus apud Galenum tertio Prognoſticorum, textu decimo octauo, vbi cùm tres propoſuiſſet Hippocrates anginæ differentias (κυνάγχας nominauerat) maioris, & minoris ratione inter ſe differentes; primam, & alteram, in quibus vehemens eſt ſtrangulatio, ac dolor, nec inflammatio, aut ſacer ignis extrà apparet, κυνάγχας per κ, nonnulli dici volebant: Poſtremam autem in qua fauces, & ceruix, aut ceruix & pectus ruborem traherent, minúſque eſſet pernicioſa, συνάγχην per σ. Deſpicit autem eam de literis illis recentiorum Medicorum contentionem Galenus in commentario, tanquam ad nullam rem vtilem: quin & Hippocra-

codices antiquos adeſſe teſtatur, in quibus non κυνάγχας per κ, ſed συνάγχας per σ, locus ille ſcriptus eſſet, tanquam vtraque voce eædem differentiæ notarentur, & vtro modo appellares, nihil intereſſet. Quod & habemus libro quarto de ratione victus in acutis, textu trigeſimo, per hæc verba; *ſiue Synanchon dicere volueris, ſiue Cynanchon, vel alterum quidem horum Synanchem, alterum verò Cynanchem, ſiue vtrunque Synanchem vocaueris, duas Synanches ſciueris eſſe rationes, ad curationes enim nihil nominibus indigemus*; & ad finem eiuſdem textus: *Sermo hic, & Synancharum ſpecies, & cauſas, & affectos locos, & curationes docuit; neque ſi vel Synanchem, vel Cynanchem, vel Synanchon, vel Cynanchon appellaret, fuit ſollicitus.* Igitur Synanche, aut Cynanche apud Hippocratem, & antiquiſſimos Græcos genericum nomen eſt, quale apud Latinos angina, & cuilibet ſpeciei accommodari poteſt; ſed cùm Latini ſpecierum nominibus caruerint, Græci recentiores nomina adinuenerunt, quibus ſigillatim particulares differentiæ atque ſpecies notarentur, quare & Celſus poſt ea verba, quæ paulò antè recitaui, *noſtri Anginam vocant*, hæc ſubdit: *apud Græcos nomen prout ſpecies eſt.* recentiores nimirum Hippocrates auctores intelligit, qui alia ſpecierum nomina adinuenerant, quæ & proponit ſcribens, aliam fuiſſe appellatam συνάγχην, aliam ὡς συνάγχην, & aliam παρασυνάγχην, quarum etiam vnamquamquam terminis ſuis circumſcribit, & propriis ſignis diſtinguit. Malè autem Celſus, ſecutus recentiores Græcos quos dixi, commune nomen, quale apud Latinos angina videtur, Græcis auferre voluit per ea, *apud Græcos nomen, prout ſpecies eſt*, nec verò vllum ipſe proponit: dari autem genericum & commune nomen apud Græcos, ex Hippocrate, cuius doctrinam magnam partem Latinis literis tradebat, poterat facilè ſicuti Galenus didiciſſe. Cùm careant igitur Latini ſpecierum nominibus, vt diximus, apud Græcos recentiores illa in vſu ſunt, nec tamen eadem ex toto apud omnes. Nam præter ea quæ ex Celſo paulò antè produxi, alia etiam habentur. Tradit enim Galenus libro quarto de locis affectis capite 3. quatuor inuentis nominibus, ſynãche & cynãche, paraſynãche, & paracynãche, illis conſueuiſſe medicos nõnullos ſignificare quatuor affectus, quos etiam proponit ſcribens: *Quæ igitur ſunt quatuor affectiones? Vnum quidem, & primum ipſorum genus, vbi fauces inflammantur, fauces autem voco internum oris ſpatium, vbi ſimul conueniunt, & gula, & gutturis partes extremæ: alterum quum neque fauces, neque reliquæ oris partes, neque etiam externarum partium vlla inflammata videtur, laborans tamen ſuffocationis periculum in guttu e ſentit. Tertium, vbi extrinſecus circa fauces inflammatio apparet. Quartum, vbi gutturis partes tum externæ, tum internæ ſimiliter affectæ ſunt.* Illam porro nominum diligentiam reprehendit eodem loco Galenus, conſtituta enim anginæ natura, quòd affectio eſſet ceruicis, quoquo modo ſpirationem reddens deteriorem, ex Hippocratis doctrina, qui eundem morbum etiam appellauerat Cynanchem, ſubdit hæc verba: *Nondum ſolitis medicis hanc*

quidem

quidem per κ, nominare Cynanchem, illam vero per σ, Synanchem; tantùm abeſt, vt vel paraſynachē, vel paracynanchē aliquam appellarent; quippe vbi circa nomina curioſi cœpêre eſſe homines, tunc rerum ipſarum neglige͂tia cœpit. Haſce tamē quatuor nominum differentias. quotquot poſtea ſucceſsêre medicinæ auctores paulò minùs ſequuti ſunt, variatis tamen aliqua ex parte anginæ ſpeciebus, quibus ea nomina apponerent. Trallianus enim poſtquam ſynanchem annem inflammationis ſpeciem circa gulam apud antiquiores medicos fuiſſe appellatam ſcripſit, quadrifariam recentiores diuiſiſſe proponit, inflammatis enim muſculis interioribus laryngis Cynanchem, exterioribus, paracynanchē, interioribus, pharyngis, aut fauciū ſynanchē exterioribus autē paraſynanchem; quā diuiſionē habemus ſimiliter apud Paulum Æginetā libro tertio capit. vigeſimo ſeptimo. At hæc non eſt illi omnino eadem, quam ex Galeno modò propoſuimus; quam rem cùm poſſit ex ſe quilibet, paululùm modò aduertens, facilè comprehendere, pluribus non perſequar. Aëtius libro octauo capite quadrageſimo ſeptimo, ipſa affert Galeni verba, ſed & illud addit, anginam ex luxatione alicuius vertebræ in collo ad anteriorem regionem, propriè à veteribus fuiſſe appellatam Cynanchem. Cælius Aurelianus, qui methodicam medicinam Latinis literis vtcumque conſcripſit, ſed Græco fonte ductam, tum aliis, tum iiſdem Græcis nominibus ad eas differentias oſtendendas vſus eſt, quæ tamē aliter accommodauit, ſecutus doctrinam Valentis Phyſici. Fuit & hic medicinæ auctor Latinus Vectius nomine, & Scribonij æqualis, atque ſicuti ille L. Apulei diſcipulus (ſi modò ille eſt, vt puto) ſed qui, vt neceſſe erat apud Græcos medicinam apprehendenti, eorum vocibus vteretur; Cælius igitur cùm antè propoſuiſſet, hanc affectionem non ſolùm Cynanchem à canibus dici, ſed etiā Lynanchem à lupis, quòd frequenter hæc animalia afficeret, & quòd luporum ſimiles voces, aut vlulatus in ſynanchica paſſione conſtituti, cùm præfocari cœperint, emittunt, tum ex Valente libro tertio curationum, ita de anginæ ſpeciebus rem proponit. Dicit enim eam quæ ſine manifeſto tumore eſt, abſque nomine fuiſſe relictam (hæc tamen nomine ſeu Synanches, ſeu Cynanches ab Hippocrate fuerat propoſita iuxta Galeni ſententiam, aut Cynanches iuxta alios.) Tum quæ eſt cum manifeſto tumore, & viſibili indicio, in quinque ſpecies aut differentias diuidit: ſi enim eſt in vtraque parte interiorum partium, id eſt, intra oris ſpatium, vt antea loquutus fuerat, Cynanchem vocandam ex accidentibus, quæ inuehit, ab illis non diſſimilibus quæ eueniunt canibus ob res faucibus inhærentes ſuffocatis: ſi verò in altera parte tantùm eiuſdem interioris ſpatij, aut dextra nimirum, aut ſiniſtra, paracynanchem; ſi autem in exterioribus, & vtraque parte, tum dextera, tum ſiniſtra tumor ſit conſtitutus, hyanchem à ſuibus, quod horum animalium colla his ſæpiſſime inflationibus afficiantur, ὗες enim Græci ſues appellant; ſi autem interiùs, atque exteriùs, & in vtraque parte, nimi-

rum dextra, & ſiniſtra, fuerit tumor, tunc proprio nomine ſynanchem eſſe nuncupandam: quòd ſi in altera parte tantùm, nimirum aut dextra, aut ſiniſtra, ſed ſimul extrinſecùs, & intrinſecùs, paraſynanchem. Hæc Cælius ex Valente illo Phyſico. Ferè timeo importunius haberi, rèſque ipſas deſpectui habere exiſtimari poſſe, quod ſuperiùs ex Galeno obiiciebam; qui circa harum vocum ad curationem minimè neceſſariatum minutam explicationem adeò ſim curioſus; ſed quando non curationem, ſed librorum intelligentiam ſpectem hoc loco, haud importunum ſtudium exiſtimetur, ſi adhuc ex Aretæo quædam proponam, qui cynanche, & ſynanche non ita vt alij vſus eſſe videatur, nec rem de hiſce duobus nominibus ſine offenſione aliqua explicuiſſe. Is igitur libro primo capite ſeptimo, quum initio ſtatim proponeret ſynanchem tanquam genus, quam eſſe diceret ſpiritus oppreſſionem, duas eius conſtituit ſpecies, alteram vitio ſpiritus ſolius in ſe ipſo cauſſam habentis, alteram ex inflammatione; hanc poſteriorem tum ſynanchem, quomodo appellauerat genus, tum etiam alio nomine cynanchem appellari ſcribit, & reddit nomenclaturæ huius rationem; vel quia talis paſſio occupet & apprehendat canes, vel quia etiam per ſanitatem ea animalia linguam exerant, quod faciunt qui hóc morbo afficiuntur: tum verò de altera ſpecie agens, quæ ſit vitio ſpiritus, eam ſimiliter appellari dicit συνάγχην, ſynanchem, quæ generis fuerit appellatio, nominiſque rationem reddit eam, quia intus vergat, atque intus ſuffocet, vt videatur particula συν. ea compoſitione interiores, & magis abditas partes reſpicere, iuxta cor, & pulmonem ſitas, has enim in hoc genere maximè laborare tradit, indéque morbi eſſe initium; hanc verò appellari poſſe Cynanchem, iuxta hanc Aretæi doctrinam non appareat. Igitur ſynanche eſt nomen tum commune generis, tum proprium huic, & illi ſpeciei, quarum tamen quæ eſt vitio ſpiritus, proprium alterum habet, nimirum Cynanchem. Ita accipit hæc duo nomina Aretæus loco propoſito; at libro quinto, vbi earundem paſſionum curationem tractat, cùm eaſdem duas ſpecies ſynanches nomine comprehendiſſet, cynanchem nullam appellat, nec eius nominis amplius meminit. Finem faciam huiuſce diſquiſitionis de illis vocibus, ſi vnum adhuc adnotauero ad verba, quæ de eodem morbo in libro, cui titulus eſt Introductio, aut Medicus, cap. xiij. Latinè leguntur in hunc modum, *Angina eſt circa ceruicem inflammatio: eius ſpeciem vnam Græci κυνάγχην appellant, quæ in interiori ipſius parte orta ſubitò ſtrangulat: alteram συνάγχην: hæc in exteriorem partem incumbit, eóque minus ſtrangulat, minúſque periculoſa eſt.* Malè autem feciſſe interpretem exiſtimo; qui his verbis anginam genus conſtituerit cynanches, & ſynanches, quæ non eſt. Latina enim ea vox eſt, nec apud Græcos vlla eſt ſuperior, quæ de duobus hiſce tanquā genus dicatur, nec eam rem exprimunt auctoris verba Græca, quæ ita ſonant: κυνάγχη δὲ καὶ συνάγχη φλεγμοναί εἰσιν περὶ τὸν τράχηλον. ἡ μὲν περὶ τὸ ἔνδον αὐτοῦ ὀξέως πνίγουσα ἡ κυνάγχη, ἡ δὲ συνάγχη εἰς τὸ ἐκτός.

ἐκτὸς μᾶλλον νεύουσα, καὶ διὰ τοῦτο ἧττον πνίγουσα, καὶ ἧττον κινδυνώδης ἐστί. Hæc autem verbum verbo ita ferè reddas: *Cynanche autem & ſynanche, inflammationes ſunt circa ceruicem, altera quidem circa partes ipſius internas acutè ſuffocans, cynanche: ſynanche autem ad exteriores magis vergens, & ob id minùs ſuffocans, & minus periculoſa eſt.*

Inflammatio quomodo gignatur. Repellentium vſus in angina, & qualibet inflammatione, quóque tempore repellentia adhibenda. Varia Galeni loca adducta, & illuſtrata.

Capvt XII.

IN anginæ curatione repellentibus auxiliis vtendum eſſe ſatis conſtat, tum ex iis quæ de inflammatione generatim à Galeno ſcripta ſunt, tum ex illis priuatim quæ de anginæ curatione ille idem proponit commentario 4. in librum de ratione victus in acutis, tex. xxx. Adhibentur autem illa non extrinſecùs collo, ne ad locum interiùs affectum, quâ tranſit ſpiritus, aut cibus, repellant morbum efficientes materias, quæ ad exteriora potiùs trahendæ ſunt, ſed interiùs faucibus per gargariſmata, aut illinitiones. Quæ tamen eorundem repellentium ſit propria in hoc morbo auxiliaris actio, quémue vſum illa peculiariter præſtent, dum ita adhibentur, non ita medicorum vulgo fortaſſe obuium; quare ea de re nonnulla adnotare libuit. Exiſtimarit enim fortaſſe quiſpiam, illius tantùm materiæ gratia, quæ motu cietur, & fluit, adhiberi repellentia auxilia, vt illi obuiam facta, fluere eam non permittant ad partem læſam, ſed vt pars læſa eorumdem vſu adſtricta, & roborata ne recipiat; quem vſum ſicuti repellentia præſtant, ita alium enimuerò preſtant eo non minus neceſſarium, qui pertinet ad materiam, quę iam fluxit ad locum læſum, ibique hæret, & inflammationem facit. Hæc enim materia vſu repellentium ex eo loco educitur, locúſque inanitur, cuius inanitionis modum vt liquidiùs oſtendam, explicandum antea eſt, quomodo generetur inflammatio; eſt enim par replerionis, & inanitionis modus. Non poſſum autem eam rem meliùs oſtendere, quàm ipſis Galeni verbis, quæ non vno loco leguntur. In primis igitur hæc ſunt in libro de inæquali intemperie, capite quarto: *Quippe calida fluxio vbi in muſculum procubuit, primùm maiores arteriæ venæq́ opplentur, ac diſtenduntur, ab iis minores, atque ita res procedit donec ad minimas ſit peruentum; in iis vbi valenter impreſſa fluxio eſt, nec ampliùs contineri poteſt, partim eius per ipſarum ora, partim per tunicas tenuium, foras tranſmittitur, tum verò ſpatia ipſa vacua, quæ inter prima ſunt*

corporis fluxione implentur. Apud eundem Galenum hæc itidem habemus libro artis medicinalis capite lxxxxv. *Supponatur igitur cum in partem aliquam multitudinem ſanguinis influere, adeò vt diſtendantur quæ in eo ſunt vaſa, non maiora tantùm, ſed etiam parua, quæ prius ſenſum effugiebant, nunc verò quia plena ſunt viſu comprehenduntur, ſicuti plerumque in oculis ob tunicæ albedinem manifeſtiſſimè patet: Par autem certè eſt, quòd & alia vaſa, quæ latent ſenſum, iam plena diſtendantur, nondum ea ipſa ob paruitatem ſenſui manifeſta, & iam periculum imminet, ne quod ex vaſis exudat, ad ſpatia vacua, quæ in medio ſunt effundatur, aut ne iam parum aliquod ſit effuſum.* Ex his igitur patet tunc inflammationem fieri, cum ob aliquam cauſam (ſiue illa plenitudo ſit, ſiue alia)ex venis maioribus ad minores delabitur ſanguis,ab iis rurſus ad minimas,túmque demum ex iis ad ſpatia inania,quæ in medio poſita ſunt;dicuntur autem inania hæc ſpatia, atque hæ regiones, non quòd nullum omnino in eis corpus ſit, ſed quoniam nullum adſit ſolidum, quod viſu, aut tactu comprehendatur: ſed aër tantùm, aut ſpiritus. Igitur vbi inflammatæ parti adhibentur ea quæ repellunt, quæ ſunt frigida, & adſtringentia, vt habet Galenus eodem capite nonageſimo quinto artis medicinalis, & quinto de ſimplicium medicamentorum facultatibus, capite decimo ſeptimo, ſanguis, qui in loco inflammato continetur, vi adſtringentium expreſſus, eandem quam iuit viam remeando, retrò pellitur vnde venerat, à venis nimirum minimis ad minores, ex minoribus ad maiores, & inde ad maximas,iuxta Galeni ſententiam: ex ſpatiis enim & regionibus inanibus ac in medio poſitis, remeare in venas & vaſa ſanguinem, negat Galenus loco adducto libri artis medicinalis, ſed qui in illis continetur, eum egere diſpergentibus, aut reſoluentibus: at ſi nullus dum per ea ea ſpatia ſit effuſus ex inflammatione ſanguis, hac via euacuata materia, morbũ tolli. Atqui ex Ariſtotelis opinione Problematum ſectione nona, problemate nono,fieri poſſit ille regreſſus ex ſpatiis inanibus ad venas. Ibi enim rationem reddens, quam ob rem cyathus æris ſtatim appoſitus, vibices diſcuteret, id fieri dicebat, quia ſanguinem effuſum à concretione prohiberet, eam autem prohibere, quia retineret calorem in ſanguine, quo abeunte concreſceret, vbi autem in cute non concreſceret, rurſus diffundi, & redire eò vnde diſceſſerat,atque ita prohiberi cutim à liuore: At cùm ex venis diſceſſerit ſanguis (ſuus enim hic locus eſt) enimuerò ad venas ex Ariſtotelis opinione eundem remeare, dicendum eſt. Id verò mihi in Ariſtotelis Problemata commentarios ſcribenti, qui deinde editi ſunt, cùm durum videretur,nec tamen hic Galeni locus eo tempore memoriæ occurreret, rem eſſe dixi conſideratione dignam, quæ tamen ex Ariſtotelis opinione eſt indubitata; & certè etiam veritati maximè conſona: ſed nos quæ de ſanguinis recurſu ex venis minoribus ad maiores, déque parte inflammata ad vicinas, de Galeni ſententia propoſuimus, eius viri teſtimonio pluribus confirmemus. Ille igitur propoſito capite nonageſimo

geſimo quinto libri artis medicinalis, quum in multitudine ſanguinis, qui in aliquam partem influxiſſet auferenda, propoſuiſſet nobis curandum eſſe, vt euacuato prius toto corpore materia retrocederet, repellentibus ad eam rem vtendum eſſe dicit, quæ aſtringunt & refrigerant. Duplici autem modo retroceſſionem, aut refluxum materiæ repellenlentia iuuant. Primùm enim reprimunt humores occurrentes, & proximos: hoc enim repercutientium aut repellentium proprium eſt munus, vt in altum, & ad corporis partes profundiores proximos ſuccos repellant, vt habemus apud Galenum libro quinto de ſimplicium medicamentorum facultatibus, capite decimo ſeptimo; tum verò naturales actiones ex illis adiuuari cõtingit, nimirum & attractionẽ, & expulſionẽ; attractionẽ, quia vaſa magna, & latiora, quæ antea exinanita ſunt (vniuerſum enim corpus antea purgandum eſſe dixit) trahunt ad ſe quæcunque repelluntur; expulſionem, quia minimæ venæ, & arteriæ partis inflammatæ, in quibus morboſa materia potiſſimùm continetur, vigore aucto ex medicaminibus adſtringentibus, moleſtum excrementum à ſe ad alias partes regerunt; ita tum propria medicamentorum virtute propulſa materia, tum à naturali facultate illinc attracta, hinc abacta remeat, & retrocedit ad laxiores partes à quibus defluxerat. Eundem repellentium vſum habemus etiam libro quinto de ſimplicium medicamentorum facultatibus, capit. quinto, cùm de medela eorum ageret, quæ indurata ex repletione ſunt (illa autem erat inanitio, ſeu euacuatio.) Tria enim auxiliorum proponebat genera, refrigerantia, excalfacientia, & quæ propriè vocantur ſiccantia; ab his enim omnibus inaniri partes & ſuperfluũ euacuari humorẽ, ſed ſua ac peculiari à quoq; ratione: frigida igitur eã rem duobus modis efficere, nimirũ tum repellendo, tum etiã vnà cum calore multã educentia humiditatem. Prior igitur modus, quo refrigerantia exinaniunt partẽ repellendo, & quo durata iuuantur à repellentibus, non eſt alius, quàm modò propoſitus, quòd fiat illius humoris eductio; qui in parte indurata continetur, is enim repellentium vſu refluit, & retrocedit à locis anguſtis ad ſpatia laxiora. Partem autẽ duratam meminerimus dixiſſe Galenum ex repletione, quæ reniten magis propriè appellatur, vt paulò antè ipſe admonuit: ſi.n.ſit pars dura, quia materia in ea contenta ſit dura, & terreſtris, aut vehemẽter impacta, ſic vt obduruerit, iam repellentia renuuntur, vt etiã libro artis medicæ, & alibi ſcribit Galenus. Libro etiã decimo tertio methodi medendi, cap. 16. manifeſtiſſimè de repellentibus eadem habetur ſententia. Ibi enim, ad iecinoris inflammationem docens medicamenta nunquam ſine repellentibus, indicatione à parte ſumpta, eſſe adhibenda, repellentium vſum perſpicuè proponit eum eſſe, vt id educatur, quod in laborante particula continetur. Ait enim inflammato iecinore, mixto vtendum eſſe medicamine, nimirum non abſque repellenti aliquo, idque non ſolùm in ipſa phlegmones generatione, quo tempore nimirum, id aliarum

etiam

etiam partium inflammationi eſt commune; ſed etiam cùm nec affluat quicquam amplius, nec repelli, quod in laborante particula continetur poſſit; quibus poſtremis verbis, hunc de quo loquimur repellentium vſum ſignificat, ſicuti prioribus alterum, quo aduersùs illa, quæ fluunt valent repellentia. Duplici igitur nomine repellentibus vtimur, tum vt prohibeatur ne quid amplius fluat, tum vt retrocedere & remigrare cogatur quod fluxit, & in particula continetur. Alius adhuc addatur locus, priuatim quidem de angina, ſed qui communiter cuique etiam alij inflammationi conueniat, ſcriptus commentario quarto in librum de ratione victus in acutis, particula trigeſima. Ibi enim totius corporis euacuatione, quæ primùm omnium eſt procuranda, propoſita, manifeſtè duplicem reppellentium vſum, quæ poſtea ſunt adhibenda, his verbis commemorat: *Corpus igitur totum vena ſecta vacuare oportet, & purgatione, & cliſteribus; verùm affectas partes medicamentis adſtringentibus, quæ profluentes retrudunt humores, atque ex firmatis eos qui non admodum infarcti ſunt, & glutinoſi, & craſſi.* Sed & manifeſtiſſimis verbis idem patet libro vndecimo methodi medendi, capite decimo quinto, vbi ſcribitur à Galeno, repellentia, quæ adſtringendi vim obtinent, duplici ratione in initiis fluxionum conuenire, & quòd robur affectis particulis inferant, vnde minùs promptè recipiunt, & quòd eorum quæ in viis iam contenta, tenuiſſimum extrorſum exprimunt. Nec minus idem apparet ex decimo tertio methodi capite octauo hiſce verbis: *Quod verò ex eo quod in laborante membro continetur, quidpiam in proximas partes repellit, hoc phlegmones iam genitæ medela eſt.* Poſſimus enim verò eandem rem aliis etiam Galeni locis confirmare, ſed hæc ſufficere arbitramur. Quamquam autem hic ſit repellentium vſus quem oſtendimus, vt ex inflammato loco, eorum beneficio euacuari poſſit vitioſa materia, non tamen exiſtimandum eſt id ita eſſe perpetuum, vt quolibet morbi tempore, & qualibet materiæ conditione, eorum vſu illa euacuetur: ex quo fieri contingit, vt in eorundem vſu non ſit ſemper perſeuerandum. Id enim tunc ſolùm licet, quum principium eſt morbi, & materia eſt tenuis, nec vehementer impacta & vaſa robore prædita, quæ in idem ferè recidunt; initio enim morbi, tenuis eſt materia, neque dum aut craſſeſcere, aut vehementer figi potuit. Id verò ex me non dico, ſed ex Galeno, qui eodem libro decimo tertio Methodi capite decimo ſexto, cùm in iecinoris inflammatione propoſuiſſet vtendum eſſe repellentibus, non ſolùm in initio, & generatione phlegmones (quibus ſolis eo tempore in aliarum partium inflammatione vti liceat) ſed indicatione ſumpta à parte, mixtim cum aliis etiam in vigore, quo tempore in aliarum partium inflammatione, in quibus hæc indicatio non attenditur, eorum nullus ſit vſus, cùm repelli, aut cogi vt refluat eo tempore non poſſit materia; totam hanc rem nos docet, & cauſas proponit, ob quas non poſſit in vigore ad alias partes regeri, & repelli: ſic autem ſcribit:

Accidit

Accidit enim hoc multis de cauſis ſanè in principio, tum parum eſt quod affluit, tum magna ex parte tenuius, tum partis ipſius quæ recipit, virtus nonnunquam valentior, vtpote nondum laſſata, tum quod in affecta continetur parte nondum violenter impactum; At cùm phlegmone in vigore ſuo iam conſiſtit, tum malus in ea ſanguis continetur, iſq; craſſior ſubinde, ac vehementer impactus, tum virtus partis iam eſt debilior, quam alioquin valentem requirimus, quo ſcilicet à ſe ſupervacua amoliatur, quandoquidem haud ſatis potens eſt adſtringentium præſidiorum vis, quæ ſola totum efficiat; quippe poteſt hæc cogendis, ac conſtringendis, & velnti denſandis, & reprimendis corporibus, quæ tenuiora conſiſtentia ſunt, ad circumpoſitas partes expellere; cæterùm niſi etiam laborantis particulæ virtus aliquid auxilietur, nihil adeò magnum efficiat. Hæc Galenus. Quam doctrinam habemus ſimiliter capite nonageſimo quinto artis medicinalis: hic enim cùm repellentia auxilia propoſuiſſet adhibenda, vt eorum beneficio à parte affecta repelleretur morbifica materia, & ad proximas remeare cogeretur, quæ nos paulò ſuprà adduximus & explicuimus, hæc ſubiicit: *Si igitur hac via ſuperfluum omne retroceſſerit, bene ſe res habet: At ſi aliquid fuerit in parte retentum, coniectandum erit, id lentũ, ac craſſum exiſtere atque ea ratione iam coactum, atque adſtrictum, vt cũ difficultate extrahi poſſit. Fieri autẽ poſſet etiam ſi non eius natura ſit, vt ad ſpatia quæ in medio ſunt, ſit effuſum: in quo caſu, tunc ad id veniendum eſſe tempus ſuadet, vt hoc ipſum quod reliquum eſt per patientem locum euacuemus, imponendo ſuperiacentibus partibus ea quæ influentem humorem repellendi vim habent.* Igitur ſi tenuis eſt materia quæ fluit, non craſſa, coacta, & adſtricta; ſi non eſt ad ſpatia quæ in medio ſunt effuſa, vt hîc ſcribitur; ſi vaſa ſunt robuſta, quod habemus libro decimo tertio Methodi, quæ omnia in principio inflammationis contingunt, liceat vſu ſolius repellentis medicamenti, purgato antea toto corpore, curare inflammationem; nec ad reſoluentia, aut aliter euacuantia neceſſe eſt progredi. Si autem copioſa eſt quæ iam fluxit materia, craſſa, ibique vehementer impacta, vaſáq; debilia; aut ſi in ſpatiis, quæ in medio ſunt effuſa, quod in vigore accidere ſolet, non iam nobis illud liceat, ſed ad alia inflammationum præſidia veniendum; eo enim tempore, quod decubuit, & quantitate plus, & violentius adeò impactum eſt, ſeu per ſpatia vacua effuſum, vaſaque ita delaſſata, vt repellentium vſu educi materia non poſſit; vnde ab eorum vſu abſtinendum eſt: quod enim antea paratum magis vinci haud eſt victum, quî ſperemus viribus auctum poſſe à debilioribus ſuperari? ſed & aduerſa eo tempore repellentia mobo ſunt, materiam enim reddunt crudiorem, & minùs aptã, vt concoquatur, ob quam rationem ſcribebat Galenus libro ſexto de compoſitione medicamentorum ſecundùm loca capite primo: *Quouſque quicquam influit, id ipſum repellere conuenit, vbi verò conſtiterit, concoctoria afferre, & deinde conſequenter diſcuſſoria.* Non quo repellentia ſolius materiæ gratia quæ fluit adhibeantur, ſed quia dum fluit materia, quod eſt initio inflammationis, illa quæ iam fluit, & continetur in parte inflam-

mata, eſt exigua, ac tenuis, non impacta, nec ad ſpatia vacua effuſa, vaſáque ſunt valida, vnde licet illam repellere; quum autem conſiſtit, impedimenta illa adſunt omnia, vel magna ex parte; vnde à repellentibus abſtinendum eſt, poſitúmque illud tanquam ſignum eſt à Galeno. Igitur quamquam ad euacuandam materiam, quæ iam fluxit, & in inflammato loco continetur, adhibeantur repellentia, non tamen omnibus morbi temporibus (omitto nunc indicationem à parte) à nobis vſurpari ſine magno detrimento poſſint; materiam enim magis incraſſant, durant, exſiccant, & coctioni reddunt magis ineptam, nec inde eam expellunt; quare ſi initio non videmus inflammationem cedere repellentibus, nec inde regeri materiam, ad alia euacuantium præſidiorum genera nobis tranſeundum eſt. Solo igitur initio morbi adhibebuntur in eum quidem vſum quem dixi; In vigore autem (omitto & hîc indicationem à parte vt in iecinore) quo tempore circa affectam particulam, vti eam exinaniamus, reſoluentibus vtimur, aut ſcalpello incidimus, vt per ipſam euacuemus. Dicit Galenus ad repellendum quæ influere fortaſſe poſſent, & prohibendum quominus ad eandem partem labantur, repellentia etiam eo tempore adhibenda, non tamen parti ipſi affectæ, quæ reſoluentia pura requirit, & præ duritie humoris renuit repellentia, ſed partibus proximis, & ſuperiacentibus: ita enim poſſunt illud præſtare quod quærimus: initio autem inflammationis ad finem eum quem diximus, inflammatæ parti, non ſuperiacentibus, apponi debent.

Anginam dari abſque inflammatione. Galeni ea de re inter ſe contraria loca conciliata. Particularis quædam angina Aretæi explicata.

Capvt XIII.

ANGINA inflammationis genere comprehenditur vulgò, & per eam definitur, veluti ab ea nunquam ſit disiuncta; à Galeno etiam ita alicubi, vt commentario in librum quartum de ratione victus in acutis, textu vigeſimo per hæc verba: ἡ συνάγχη τῶν κατὰ τὸν φάρυγγα μερῶν ἐςὶ φλεγμονὴ, id eſt, *Angina eſt inflammatio partium, quæ ſunt circa guttur*; atque etiam libro ſecundo ad Glauconem capite primo, vbi pharyngis eſſe inflammationem ſcripſit. Abeſſe tamen aliquando ab angina inflammationem, ex eiuſdem Galeni ſcriptis colligitur, libro enim quarto de locis affectis, capite tertio, quintum genus anginæ aliis medicis intactum, ex vertebrarum peruerſione ad interna fieri proponit, adducta etiam Hippocratis ſententia ex libro ſecundo Epidemiorum, non ita paucis verbis conſcripta. Tale autem

anginæ

anginæ genus abſque inflammatione contingere non dicit eo loco expreſsè Galenus, ſed quinto eo genere adinuento, cùm refellat medicorum ſententiam, qui quatuor illis tantùm ex inflammatione obortis, ſynanche, paraſynanche, cynanche, & paracynanche propoſitis, quartum aliud genus ex vertebrarum luxatione relinquerent intactum, eam rem enimuerò ſignificat. Vnde magis vniuersè affectionem eo loco definiens, adducta etiam alia Hippocratis ſententia ex tertio libro Prognoſticorum, anginæ nomine appellat omnes affectiones, quæcunque ceruici accidunt, vbi ſpirationem quoquo modo reddant deteriorem, nomine ceruicis comprehendens quæcunque interiùs, aut exteriùs ad fauces, vel guttur pertinentia, eam difficultatem inducere poſſunt. Fit enim reſpirandi etiam difficultas per morbos thoracis, pleuritidem, peripneumoniam, & alios, ſed illæſis ceruicis partibus: verùm ſi ceruix aliter etiam quàm per inflammationem affici poteſt, ſic vt reſpirandi difficultatem aliquam inducat, neceſſariam eſſe inflammationem non video: poteſt autem; anguſtia enim gutturis abundè eſt, at anguſtia nō ſemper & neceſſariò ex inflammatione, ſed aliter etiam, ex luxatione vertebrarum propoſita ex tractione, tenſione, & euerſione partium neruoſarum ad vertebras pertinentium, quæ abſque inflammatione ab excedenti etiam ſiccitate, aut humiditate contingere poſſunt, ex eodem Galeno libro quarto Aphoriſmorum, commentario ad Aphoriſmum trigeſimum quintum; vnde & eodem loco quarti de locis affectis, cùm doceret, quam ob rem Hippocrates eos qui ita affecti ſunt, anginoſos appellaſſet, diſcrimēnque proponeret inter anginoſum concurſum, & pleuriticum, atque peripneumonicum, duo in medium adducebat; alterum, quòd in affectione ab Hippocrate propoſita, eorum quos anginoſos appellauerat, nullum adfuiſſet in pectore, vel in pulmone vitium, ex quibus etiam difficultas reſpirandi oritur; alterum, quòd anguſtiæ ſenſus in pectore eiſdem adfuiſſet. Dicit igitur Galenus anguſtiæ ſenſum, non inflammationem: ſed ex Hippocratis quoque verbis à Galeno recitatis, inflammationem illis minimè adfuiſſe manifeſtè liquet, quæ ita Latinè leguntur: *fauces licèt inflammatio non angeret, ipſæ tamen moleſtia minimè carebant.* Non ignoro hunc locum aliter etiam legi, apparerēque corruptum, non tamen ſic, vt quacunque lectione inflammationem aliquando abeſſe non conuincatur neceſſariò. Enimuerò cum inflammatione quoque eſſe hoc vertebrarum vitium, ex eodem Galeno appareat ad extremum capitis tertij, vbi de eadem luxatione ad internas partes itidem agens, & accidentia ipſi euenientia percurrens, ſcribit; interdum aſcendente inflammatione, & linguam, & fauces in tumorem attolli: manifeſtiſſimè etiam, & apertiſſimis verbis ita rem ſe habere explicat commentario primo ad librum ptorrheticorum, particula vndecima per hæc verba: *Non feci autem in eo quem percurri ſermone mentionem eorum, qui anginam ex colli vertebris*

in anteriorem partem luxatis perferunt, tum quòd rarò contingat affectio, tum quòd gutturis muſculi, tum quoque ſimul inflammari mihi videantur: non igitur videatur, ab hac anginæ ſpecie, quod propoſuimus, ex Galeni quidem opinione bene confirmari poſſe. Nos horum locorum conciliationem afferemus paulò pòſt. Interim ex Hippocratis verbis rem putamus dilucidè conſtare: ſed & ex illis quæ à Galeno ſcripta comm. ad Aphoriſmum trigeſimum quintum libri quarti nos ſuperiùs adduximus, quibus adiicio ab eodem Galeno deductam rationem: ſcribit enim Galenus, hocce genus anginæ ex luxatione vertebrarum ab Hippocrate propoſitum; rarò etiam à ſe viſum accidiſſe nullo exiſtente in gutture proprio affectu: igitur patitur guttur per conſenſum, qui ei cum luxata vertebra: at ſi muſculi gutturis vnà inflammantur, iam non minùs eorum proprius affectus hæc angina ſit, quàm Cynanche, aut paracynanche. Modos autem quibus patiatur ceruix, quum ad interiora luxantur vertebræ, proponit eodem loco Galenus quinque, vt quinque ſunt huiuſce anginæ genera, ſi ex diuerſitate locorum, quæ patiuntur, anginæ ſpecies aut differentiæ ſunt conſtituendæ, quod faciunt qui quatuor illa, ſynanchem, paraſynanchem, cynanchem, & paracynanchem proponunt. Nouem igitur, non quatuor aut quinque vulgò iactata anginæ genera. Fit igitur angina, eáque propriè dicta, etiamdum abſente inflammatione, vt ex Hippocratis verbis propoſitis abſque controuerſia, ex Galeno itidem, ſed non abſque offenſione. Tollamus autem offenſionem ſi poſſumus, & conciliemus loca, quod antea diximus. Primùm igitur, fortaſſe non certè affirmat Galenus 1. comm. ad prorrhetica, inflammari muſculos gutturis, qui dicat δοκοῦσι mihi videntur, non φαίνεται, id eſt, apparent: tum, quod melius puto, in vertebræ illius luxatione non ex neceſſitate, nec ſtatim cùm morbus incidit, iungitur inflammatio, ſed hæc accidit poſtea, ex illo vitio ſtatim læſa: eſt igitur ibi abſque inflammatione angina, ſed ex accidenti iungitur inflammatio paulò pòſt, Igitur adeſſe, & non adeſſe, iuxta ſenſum quo rem accipimus, & iuxta morbi tempora dicere poſſimus. Libro etiam quarto de ratione victus in acutis, particula vigeſima, vbi anginam per inflammationem definit Galenus, non vniuersè quicquid hoc communi nomine comprehenditur, definit, ſed particulare & potiſſimum anginæ genus, quódque medicis curandum occurrit. vix enim, licèt ex ſe dari poſſit, ad illud aliud curandum acceſſitur medicus, quin iam ſit iuncta inflammatio. Hæc ea de re ſunt à nobis adducta ex Hippocratis & Galeni ſententia. At verò ex Aretæi opinione, anginam abſque inflammatione dari, licèt alius generis, quàm à Galeno propoſitam, maximè perſpicuè, & expreſſis verbis conſtat libro primo cap. ſeptimo: ibi enim duas anginæ facit ſpecies Aretæus: alteram, quæ ſit inflammatio inſtrumentorum ſpiritualium, alteram, quæ ſit affectus ſolius ſpiritus in ſe ipſo cauſam habentis; & cùm in illa ſint inflammationis ſigna, in faucibus, & facie, quæ peccantis

humoris

humoris affluxum, & abundantiam indicant, in hac, humorũ abundantię adeò non adeſſe ſigna, vt defectus potiùs, & inanitionis argumenta appareant, vitiatíque ſpiritus notæ, nimirum inſtrumentorum quæ ſpiritui deſeruiunt, collapſio, & pro ſingulorum natura macies maior, vnà cum vehementi ſtrangulatione. In tali porro angina exiſtimaſſe nonnullos adeſſe inflammationem, eámque abditam in pectore, latentioribúſq; partibus circa cor atque pulmones, ſcribit Aretæus eodem loco, & repetit libri 7. capite 7. vbi eiuſdem morbi curationem proponit; ſed libro primo, animi ſui ſenſum manifeſtè exprimens ſubdit: *Videtur autem mihi ipſius ſolius ſpiritus vitium eſſe, praua conuerſione ad calidiſſimum, & ſicciſſimum conuerſi, nulla corporis parte inflammatione laborante.* Sequitur autem ad docendum, iam minimè mirandum eſſe, citra inflammationem, & ſola ſpiritus immutatione fieri affectum adeò acutum, quando abſque vllo corporis vitio, in charonæis, & barathris, vnica inſpiratione priuſquam corporis partes aliquod malum patiantur, homines intereant; quod ſimiliter illi contingat, in quem dum aërem attrahit, canis rabidus inſpirauerit, licèt eum non momorderit; ſicuti autem ab externa cauſa vitiatur ſpiritus qui in nobis eſt, vt in exemplis propoſitis, ita ab interno principio fieri poſſe ſcribit Aretæus, & probat exemplis aliarum rerum. Qua ratione autem ſpiritus hic, ſeu aër intrò attractus, ad calidiſſimum & ſicciſſimum praua conuerſione immutatus ſtrangulationem pariat, non dicit Aretæus, ſed ex illis dignoſcere licet, quæ tum alibi breuiter, tum longiori ſermone potiſſimùm ſcribit Galenus in libro de vſu reſpirationis; docet enim eius libri capite tertio, ſicuti flamma omnis, vt conſeruetur, nec pereat, indiget aëre externo, qui moderatè ventilet, ſic inſitum calorem noſtrum reſpiratione egere, per quam frigido aëre attracto roboretur, & conſeruetur; ſi autem eiuſmodi refrigeratio non fiat, ſuffocari inſitum calidum, & animal interire, ſicuti illis contingit, qui in balneis diutiùs immorantur, & illis qui ſuper lebetem aquæ calidæ conſiſtentes, progredientem inde vaporem reſpirando hauriunt: fieri enim his ſuffocationem, propter caliditatem reſpirando attractam, non propter exolutionem, probat Galenus aduersùs Eraſiſtratum eius libri capite quarto. Vbi enim ex attracto aëre non ventilatur calor & pulmo, in quem vſum eſt à natura inſtituta reſpiratio, fit perinde ac ſi non traheretur, adſtringitúrque, & denſatur pulmo, tanquam ſi cohibita eſſet reſpiratio; non ventilatur autem pulmo, cùm tale vitium quale proponit Aretæus, concepit ſpiritus, id eſt, aër, qui per inſpirationem attractus intus continetur. Huiuſce autem vitij cauſam intrinſecùs ſpiritui eſſe paratam, cum ſuffocatis inter charonios ſpecus extrinſecùs adueniat, propoſuit antè Aretæus. Enimuerò huiuſcemodi anginæ ſpeciem ex antiquis Auctoribus præter hunc Aretæum memorat nemo, ipſeq; Aëtius, quum de angina ab Aretæo deſumpta quædã etiam

proponeret, reticuit omnino. Ex recentioribus qui partium morbos deſcripſerunt, quod ſciam, nemo illius meminit, præter Ludouicum Mercatum Hiſpanum virum eruditiſſimum, qui cùm ex Aretæo illam ſpeciem proponat, refert tamen eum morbum ad aërem attractum, quem craſſiorem, caliginoſum, denſum, & fuliginoſum effectũ, non poteſt ratione craſſitiei aſpera arteria capere, vnde ſuffocari ab eo contingit animal, ſicuti accidere videmus cùm ſemiaccenſis carbonibus conclaui vndiq; clauſo, coërcentur inde exhalantes vapores, ex quibus ſuffocatos & ipſe vidi non paucos, ac teſtatur etiam Gradius, qui huiuſcemodi anginæ ex carbonibus ſemiaccenſis, mentionem facit in commentariis ſuis ad nonum Rhaſis ad Almanſorem. Non poſſum tamen facilè intelligere, quomodo talis angina ex ſuffocantibus vaporibus, ea ſit, quam ex vitio ſpiritus deſcribit Aretæus. Manifeſtè enim Aretæus in illa angina proponit ſpiritum calidiſſimum, & ſicciſſimum, id eſt, tenuiſſimum; tantùm abeſt, vt craſſiorem dicat. Non obſcurè etiam docet, cauſam affectionis non extrinſecùs eſſe, ſed intrinſecùs, cùm quæ de charoniis tradit, illa ſimitudinis gratia ad rem declarandam afferantur, vt non poſſit quæ ab halitu craſſo extrinſecùs adueniente incidit angina, hæc Aretæi eſſe. Quod etiam exiſtimaſſe videtur Thomas à Veiga Eborenſis in commentario ad quartum caput libri quinti de locis affectis, vbi huius anginæ Aretæi mentione facta, paradoxam, & duram (ſicuti ille dicit) Aretæi ſententiam exiſtimat, quum ab halitu carbonum angina ab omnibus accepta videatur: niſi tamen & hanc eandem reiiceret Veiga. Quæ autem obiicit aduersùs Aretæum Veiga, facilè refelli poſſunt. Quòd enim abſit illi anginæ inflammatio, id verò eam non tollit, non enim ad anginam eſſe neceſſarium probauimus. Vitium autem aëris attracti, ſeu vitij cauſam, non extrinſecùs inquirendam, ſed intrinſecùs eius prauitatem gigni, docet Aretæus exemplis ſimilibus propoſitis; ſanatur verò hæc maligna angina, exteriùs apparente inflammatione, non quia inflammatio interna, id eſt, humoris affluxus, qui nullus erat, ad exteriora vertatur, ſed quia iam ceſſante morbi malitia, roborata natura, & morbi materia non adeò tenui, quippe non tanta caliditate, & ſiccitate vrgente, exteriùs fit, & apparet inflammatio, quæ interiùs nulla erat. Et hæc ferme obiter ſint dicta. Cæterùm ſigna in hac anginæ ſpecie caliditatem, atque ſiccitatem ſpiritus omnia demonſtrantia hæc ſunt: comitatur enim inſtrumentorum collapſio, gracilitas, pallor, oculi ſunt caui, interiùs demerſi, fauces, & gurgulio retracti, tonſillæ multò magis ſubſidentes, vociſque priuatio; eſſe autem ſtrangulatum huiuſce ſpeciei quàm priorem violentiorem, dicit Aretæus, quum in pectore malum ſit, vbi ſpirandi initium ponitur, affici nimirum ipſius ſpiritus fontem, aut ſpiritum (in hoc enim vitium ponitur) in ipſo fonte vitiatum eſſe; quippe circa pulmonem, & cor. Anne igitur per hunc modum omnis ſuffocatio erit angina? non itidem, etſi Aretæus initio

ſtatim capitis eam definiat, ſpiritus comprehenſionem, vt omnem ferè ſuffocationem comprehendere videatur; dicimus enim, illis verbis anginæ tantummodo genus aſſignari:angina autem, etſi abſque inſtrumentorum quæ ſpiritui dicata ſunt, læſione fieri non poſſit (eſt enim ſuffocatio; at ſuffocatio non aliud quàm interitus eueniens propter defectum reſpirationis, qui fit ob anguſtiam alicuius ex inſtrumentis reſpirationi ſeruientibus, quod legimus apud Galenum lib. 5. Aphoriſmorum commentario ad Aphoriſmorum trigeſimum quartum) non tamen dicitur angina, niſi ceruix afficiatur, id eſt, partes ad fauces, aut guttur attinentes, quod fieri in præſenti morbo, ſigna ibidem apparentia argumento ſunt:oritur enim vitium quidẽ ex pectore, & pulmone ibi vitiato ſpiritu, at afficiuntur etiam partes ſuperiores. per quas vitiatus idem ſpiritus redditur, afficiuntur autem non per inflammationem ex ſententia Aretæi, quippe nullus ad eos humoris affluxus; ſed contrario modo, quòd abſumpta, exinanita, & emaciata, ac retracta per ſpiritus ſiccitatem ſint, quippe ab expiratione feruenti inſumpta ſunt omnia humida, nec in illis tantùm partibus, ſed in oculis etiam ob viciniam, ex quo caui facti ſunt. Forma igitur & eſſentia morbi, ſicuti etiam in alia ſpecie anguſtia eſt, ſed aliunde proueniens. Eſt verò anguſtia non ſolùm in pulmone, ſed etiam in gutture anguſtiæ ſenſus, quem ad anginam requirebat Galenus, non ab affluxu humoris, ſed à ſiccitate, & partium conſtrictione. Ita igitur vitio ſpiritus, praua & maligna conuerſione ad calidiſſimum, & ſicciſſimum immutari fit angina, & quibuſcunque in in morbis tale ſpiritus vitium ſuccreſcit, in illis eiuſmodi angina oritur, vnde potiſſimùm in æſtuoſis febribus, quæ ad eam ſpiritus caliditatem, & ſiccitatem perueniunt interdum, vt non ſolùm pulmones, ſed partes etiam ſpiritus ſuperiores afficiant, & in tali febre memini eam me aliquando vidiſſe, quæ etiam ægrotantem de medio tulerit. Illud Galeno aduerſarium in hac doctrina Aretæi eſt, quòd vitium eſt in pectore, & pulmone, quod in anginæ ſpeciebus, quas ipſe proponit, omnino negat. Nos autem hanc non ex Galeno, ſed ex Aretæo proponimus; videtur tamen id etiam conceſſiſſe Hippocrates libro quarto de ratione victus in acutis, in quo quum ſimilem ei, quam apud Aretæum habuimus, anginæ ſpeciem proponeret, tota illa dictionis ſerie, nimirum à textu 31. vſque ad trigeſimum quintum, inter cætera ſcribit, pulmonem fuiſſe incenſum, cæteráque ſigna eadem ferme proponit, violentam ſuffocationem, quam Hippocrates dicit Orthopnœam, ſiccitatem multam, gracilitatem partium, vocem abruptam, ſeu abolitam, Galènus autem in comm. interpretans dictionem illam, *pulmonem incenſum*, cum ardere conſtrictũ, ſpiritus calidi ſuffocationẽ manifeſtè indicat; quin & talem anginæ ſpeciẽ ad melius cõuerti idem ait Hipp. quum ad externas partes malũ fertur, quod etiã de angina ex vitio ſpiritus ſcribebat Aretæus, vt ſimile admodum anginæ genus ab vtroq; proponi appareat.

appareat. Manifeſtè tamen, & expreſsè, non à ſolo ſpiritus vitio eam fieri proponit Hippocrates, ſed ex fluxione calida, ac nitroſa à capite æſtate, vel autumno ad organa ſpiritus decumbente. Galenus autem in commentario etiam in hoc genere adeſſe inflammationem vult, ſed inflammatas partes non videri, quod autem videtur, citra inflammationem exiſtere. Hæc de eiuſcemodi angina. Cæterùm quod initio propoſueramus, dari anginam abſque inflammatione, colligatur etiam ex Cœlio Aureliano, qui ſine febri eam eſſe teſtatur his verbis libri tertij Oxeon capite primo: *Cæterùm cum febricula paſſionum curationem præſcriptis tradimus libris: nunc autem earum, quæ ſine febribus eſſe noſcuntur, ordinabimus: quo cunctarum perfecta diſtinctio compleatur; initium namque à ſynanchica paſſione ſumemus*, &c. Si autem angina ſine febre eſt, quæ ab internis effatu dignis inflammationibus vix, aut ne vix quidem ſeparari poteſt, vt ſine inflammatione ſit, omnino dicendum videtur.

In angina vtrùm ſanguis mittendus vſque ad animi defectum. Græcorum, & Arabum ea de re opiniones. Hippocrates aduersùs Cœlium defenſus. Auicenna refutatus. Hollerij ſententia de menſura ſanguinis in animi deliquium reiecta. Galeni loca duo expoſita.

CAPVT XIV.

VT ſatis conſtat in angina ſanguinis detractionem eſſe neceſſariam, ita inſignine admodum copia, & ad animi vſque defectionem mittere expediat, haud ita certa res eſt; Cùm enim plerique omnes negent, faciunt Auicennæ verba, vt ea de re quærere liceat; nec abeſt ratio etiam ex Galeno petita, qua eam fieri poſſe, nobis perſuaderi poſſe videatur. Proponam antea auctoritates, deinde rationem. Archigenes, vt refert Aëtius libro 8. expreſsè à larga ſanguinis miſſione ſemel facta, & ab animi defectione cauet per hæc verba: *Auferre autem ſanguinem partè, non vſque ad animi defectionem; citiùs enim hi animo linquuntur; & aliàs ſanè ex refrigerationibus, & animi defectione, perfacilè materia à faucibus ad pulmonem defertur, & ineuitabile periculum infert.* Paulus idem cenſuit libro tertio capite vigeſimo octauo. *Reliquis autem* [Synanchicis] *ſanguis protinus è cubito mittendus eſt, & euacuanda multitudo, non ſemel, atque affatim, ſed ſæpius partitis vicibus, aſſeruantes, & cuſtodientes ſanguinem: Ex euacuatione enim confertim facta in animi deliquia incidentibus agris, ſuffocationis periculum ſuperuenit, affatim confluente*

mieria ad patientem particulam. Appoſitè autem vſus eſt Paulus verbo *ταμιευομένης*, vt ſanguinem veluti theſaurum eſſe indicaret, quod nos duobus conuertimus, *aſſeruantes, & cuſtodientes.* Miror autem ab Andernaco in tralatione non fuiſſe iſtud expreſſum; Aëtius pro eo vſus eſt *πεφισμένως.* Non diſſentit Trallianus, qui libro quarto capite primo ea de re ita ſcribit: *Ante omnia quidem angina laborantibus venæ ſectionem adhibere neceſſe eſt, non tamen vniuerſam ſemel, partita enim euacuationes ex ipſis affectis locis cauſam magis ſubtrahunt, quare tertio etiam, & quarto ſanguinem auferre oportet, ſolam animi defectionem euitantes: Nocet enim ſiquid aliud his animi defectio, quæ ſæpenumero efficit vt affatim, & vniuerſè in alium materia confluat.* His addere licet, ſi momentum aliquod facit, Nonni auctoritatem, qui horum virorum doctrinam ſequens ita ſcribit: *His itaque ſtatim ſanguinem detrahere oportet, adhiberéque euacuationem, non tamen vniuerſam, ita enim animi defectione comprehenſi ſuffocantur.* Cœlius Aurelianus libro tertio acutorum capite quarto, eandem ſequitur opinionem: malè tamen facit, qui Hippocrati contraria adſcribens, eum hac de re reprehendit per hæc verba: *Antiquorum Hippocrates libro quem ad ſententias Cnidius conſcripſit, ex vtroque oportere, inquit brachio ſynanchicos phlebotomare; ſed hoc erit euitandum, ſi quidem coaceruata ſanguinis effuſio animi facit defectionem, & propterea prohibet tantum detrahi, quantum ſufficiat ad relaxandum ſtricturam.* At quid vetat, ô Cœli, ex vtroque brachio ſanguinem mittentes, animi defectionem, exiguum detrahentes, minimè inferre? loca vnde mittendus, ô Cœli, oſtendit Hippocrates, quantitatem haud oſtendit; & qui ſanguinem diuidit, eum animi deliquium fugere, ex illis conſtat, quæ modò adduximus ex Paulo, & Alexandro. His autem quæ propoſuimus, ánne contraria ſcribere dicemus Aretæum, qui libro primo capite ſeptimo, hæc de ſanguinis miſſione in angina ſcribit: *Haud ignobile quoque adiumentum præſtat, ſi ad animi vſque defectum ægrum perduxeris, ita tamen ne animo deficiat: nonnulli enim ſub vena percuſſa, ex animi deliquio periêre?* Manifeſtè excludit Aretæus animi defectionem, quod & auctores ſuperiùs nominati. Quid igitur eſt, quod vſque ad animi defectionem mittendum ſanguinem tradit? an, vt quàm fieri poſſit proximè accedamus? periculoſum enimuerò conſilium; quis enim extremos illos præfinitè limites ratione, ac niſi diuinando aſſequi poſſit? Hac etiam re à nominatis auctoribus diſſentire videtur Aretæus, quòd vna modò animi defectione excluſa, citra hanc, vel ſemel & affatim, quàm largiſſimè ſanguinem detrahere videtur; non itidem Aëtius, qui ex Archigene parcè, & ſobriè detrahit, & citra animi defectum longè ſatis, quod illa indicant, *citiùs enim hi animo linquuntur.* Nimirum id præcipit Aëtius. Largam ſanguinis miſſionem in angina caueto, adeóque pluſquàm in aliis morbis, aliis enim celeriùs, &

faciliùs hi animo deficiunt; tum verò aliàs ex refrigeratione, quæ etiam citra animi defectum contingit ob largam ſanguinis miſſionem, timet defluxum materiæ ad pulmonem, vnde ineuitabile malum. cauet eandem largam ſemel ſanguinis miſſionem Paulus, qui veluti bonus quæſtor, ſanguinis theſaurum aſſeruat, naturæque opes non cunctas ſimul, & ad prauos vſus effundit, copioſámque illam, & coaceruatam ſanguinis detractionem adeò non prodeſſe dicit, vt etiam obſit; quippe ex refrigeratione corporis, ad fauces confluente ſanguine, augetur inflammatio, & ſuffocatio aduenit; cauet Trallianus, qui in triduum, & quatriduum diuidit; itaque magis ſalutarem exiſtimat: quippe morbi cauſam ex affectis locis ita magis ſubtrahi, contra ad illa confertim erumpere frequenter. Solam quidem animi defectionem videtur timere Trallianus, qui eam ſolam videtur excludere, ſed timet etiam manifeſtè largam emiſſionem ſemel factam, à qua vix defectio ſeparari poteſt; quippe exigua ſæpius, quàm larga, pluribus collectim diebus conceditur. Interim enim natura, & calor roboratur, nec ita vt lædat refrigeratio conſequi poteſt. De hac re ita Græci. Inter Arabes Auicennas libro tertio fen nona tractatu primo capite vndecimo, contrariis verbis rem ita confudiſſe videtur, vt quid omnino ſentiat non appareat; ita enim apud eum legitur: *In calida quidem oportet, vt incipiatur cum phlebotomia, & non extrahatur ſanguis plurimus ſubitò, & propriè quum iam incœperit virtus debilitari, imò ſumantur in omni hora decima, & decima vſque ad diem tertium cum ſeparationibus continuis; ſi autem debilitari non incipit, tunc oportet, vt ſine ceſſatione extrahatur ſanguis, vſquequo appareat ſyncopis in forti, & oportet vt declinetur cum ſeparatione versùs conſeruationem virtutis, & prætermiſsionem ſyncopis.* Primùm igitur, quod Græcos tres aut quatuor diximus tradidiſſe, non ſubitò, nec ſemel multum ſanguinis extrahit Auicennas, atque tunc id maximè facit, quum virtus incipiat debilitari: in virium enim imbecillitate auxilium diuidit, vt verba manifeſtè ſonant; licèt ipſa particularis partitio, quam expreſſo etiam numero proponit, ſit ſatis obſcurè prolata, & mihi quidem valde ambiguum, quod ad illius explicationem affert Gradius; ſi autem vires conſtant, ſubdit Auicennas, ſemel & nullo interpoſito ſpatio ſanguis detrahendus eſt, donec animi defectus appareat, quibus ea ſtatim ſubiicit, quæ aduerſari eiſdem videantur; rurſus enim partitis vicibus, & ita extrahendum ſanguinem dicit, vt virium conſeruandarum gratia, animi defectio euitetur. Id verò, ô Auicenna, rem confundere, & obſcurare eſt, non docere eſt. Quod de viribus dicitur, ſuperuacaneè proponitur, ſemper enim pro virium robore mittitur ſanguis, virtute autem debili, non minus in aliis quàm hîc, vel nihil, vel parcè, & per interualla ſanguis detrahitur. Conſtante virtute quæro in angina quis modus ſanguinis? parcè, inquit Aëtius, non affatim, nec vniuersè, ſed per interualla Paulus, & Alexander. tu verò ſine ceſſatione, donec appareat ſyncopis; At quomodo cum ſepa-

ratio

ratione(vt loqueris,aut potiùs vt loquuntur interpretes tui) quod illico ſubinciatur? Haud ignoro Ioannem Coſtæum virum cum primis eruditum,qui omnia Auicennæ dicta mordicus retinere, & approbare voluit, hæc ita accipere,tanquam animi deliquium excludat Auicennas, & Paulum æmuletur,cuius verba nos ſuperiùs adduximus.Enimuerò, vt primũ dictionis Auicennæ membrum,excepto virium examine, de quibus nihil Paulus,quod nõ erat neceſſe,idẽ eſt cũ Paulino, ita reliquis nihil cũ Paulo.Conſtat ſibi Paulus,expreſſéque ſententiam ſuam abſque retractione aperit; Cauendum ne ſuperueniat animi defectio,ſanguinem igitur non ſemel,nec vniuersè emittẽdum. Auicennas vult apparere ſyncopim;apparet autem quod eſt , quomodo igitur excluditur? an excluſa apparet procul per vitrum,aut cancellos?Enimuerò,vel per hunc modum, ſuffocationem quoque augeat,& interitum afferat:nec aliam ob rationem in plures dies diuiditur auxilium. Periculoſa ſcilicet hæc exigua interſtitia , quod antea aduersùm Aretæum proponebam.Non excludi, ſuſpicionem etiam facit alius Auicennæ locus, qui ſcriptus eſt libro primo fen quarta,doctrina v.cap. xx.de phlebotomia , hiſce verbis : *Licèt in febribus ſynochis non euremus,ſi vſque ad ſyncopim perueniant,& in principio apoplexiæ,& in ſynantiis, & in magnis apoſtemaribus,pernicioſis,& fortibus doloribus.* Hæc enim ex parte ſumpta ſunt de Galeni commentario ad Aphoriſmum vigeſimum tertium libri primi,quo loco,ad animi vſque detectum ſanguinem mittendum eſſe cùm dicat Galenus , in maximis inflammationibus, ardentiſſimis febribus,& vehementiſſimis doloribus,animi defectum minimè excludit,ſed eum omnino fieri , & ad illam euacuationem ſequi affirmat; quod etiam probabimus paulò pòſt , idque vel maximè in ſynochis febribus, quas iungens anginæ Auicennas , & de vtriſque idem proponens iudicium quod pertinet ad ſanguinis miſſionem , ſanè ſi illis conuenit adeò larga ſanguinis miſſio , & huic ſimiliter conueniet. Videtur igitur Auicennas in angina hanc animi defectionem minimè improbaſſe , qua re cum ab Aëtio , Paulo , & Alexandro maximè diſſentiat , ab Aretæo non ita , qui licèt defectionem excluderet, proximè tamen accedebat , vt eius ſententia Auicennæ multò magis quàm Paulo fauere , apparere poſſit. Reliqui tres Arabes , Serapion , Rhaſis & Haliabbas , Græcorum trium ſententiæ ex toto ſubſcribentes , eandem animi defectionem omnino fieri prohibent. Serapion duas ponit rationes , quarum alteram apud Paulum habuimus , quod ex ſanguine ſemel , & vniuerſim emiſſo , materia præceps agatur ad locum affectum , alteram apud Alexandrum , quod ita meliùs à loco affecto ſubtrahatur noxia materia ; tum aliam addit , anginoſis ob meatus anguſtiam à cibo prohibitis, non adeſſe vires quæ eam ferant ſanguinis miſſionem. Hanc nos deſpicimus , quippe quærimus (diximus etiam antea) virtute haud renuente in angina

quis modus ſanguinis. Rhaſis ad finem libri tertij qui Continens inſcribitur,in plures dies diuidit & ipſe ſanguinis miſſionem:ratio prima eſt,quæ & Alexandri, & Serapionis,ad,materiam ex loco detrahendam, ita enim meliùs res ſuccedit : altera à viribus, non quòd non ferant in præſentia, ſed quia ſit prouidendum, vt poſſint ferre quod poſterius relinquitur,quum ex prohibita deglutione non liceat per cibum virtutem reſtaurare:non igitur ſummè debilitandam ex adeò larga ſanguinis miſſione. Italiabbas libro quinto Practicæ capite ſecundo eadem recinit, multum educendum ſanguinis (ſi virtus, ætas, tempúſque anni aduenerint) non tamen ſemel vniuerſum, ſed paulatim, & ſemel exiguum, ne tranſglutiendi difficultas augeatur; ita præter vnum Auicennam ſibi inuicem contraria proponentem, cauent omnes animi defectionem non ſolùm, ſed largam etiam ſemel ſanguinis miſſionem, præter Aretæum, qui defectionem proponens, quamquam non ſic vt animo deficiat æger, non videtur eam adcò extimuiſſe. Hæc pertinent ad auctoritates. Dixi non deeſſe rationem ex Galeno petitam, qua in angina ex miſſione ſanguinis animi defectio probaretur: afferenda ea modò nobis eſt ex commentario ad Aphoriſmum xxiij. primi libri, cuius etiam paulò antè meminimus.Scribit igitur Galenus eo loco, in ardentiſſimis febribus,in maximis inflãmationibus,& vehementiſſimis doloribus vtile eſſe vſque ad animi defectionem ſanguinem detraxiſſe. Si igitur maxima inflãmatio eſt angina,ita ſanè detrahendũ.Antequã ad argumentũ reſpõdeo, illud cõprobo quod antea dixi me facturũ,animi defectum illis verbis à Galeno ita intelligi, vt ſit ipſe, non vt propè abſit (incluſiuè inquam, ſi ita loquendum eſt, non excluſiuè.) Non ignoro hanc Galeni opinionem fuiſſe ab Auerroe improbatam lib. 7. Coll capit. 8. qui nunquam tentari debere à medico adeò periculoſum auxilium exiſtimauit, quod tamen neceſſarium, & ſalutare,ſi opportunè adhibeatur, nos exiſtimamus, & Auerrois rationes futiles, quas tamen in præſentia diſſoluere non putamus è re eſſe, ab aliis etiam confutatas, & potiſsimum à Conciliatore differentia clxiij. vbi hanc quæſtionem examinat. Nos autem non de re in præſentia, verùm de Galeni ſententiæ explicatione diſſerimus, quem in febribus calidiſsimis, & ſummis inflammationibus, & vehementiſsimis doloribus mittẽdum eò vſque ſanguinem præcipere exiſtimamus, donec in animi defectum incidat æger. Id autem puto faciſlimè colligi ex verbis quæ habet ille auctor in commentario propoſito, quibus ſi animum aduertiſſet Braſauolus, nunquam dixiſſet profectò, animi defectionem excludi, quod ſcribit Braſauolus in commentario ad Aphoriſmum tertium 1.lib. Galenus enim docens,qualis ſit ea animi defectio,de qua loquitur Hippocrates,hanc affectionem diſtinguit,& aliam eſſe dicit ab ea, quæ fit ob metum ægroti: at ſi hæc fit adéſtque,& includitur, non autem excluditur (quomodo enim diceret differre hanc ab ea, quæ ex euacuatione eſt, ſi non fieret, quæ nulla eſſet?) fit etiam, &

ſuccedit

ſuccedit illa. Quin, iterum eandem diſtinguit ab ea quæ fit vitio ſuccorum mordacium in ore ventriculi exiſtentium; ſi autem hæc fit, cur non & illa ſimiliter ad quam comparatur, & cuius diſcrimen proponitur? ſed quid clarius illis verbis; *qua igitur ratione euacuationis fit animi defectio, nunc dicitur ab Hippocrate.* Fit igitur animi defectio; quomodo igitur excluditur, quod eſt dicere non fieri? Nec verò ex hiſce verbis tantùm, ſed illuſtri etiam exemplo à Galeno propoſito liceat idem facilè comprobare. Ille enim libro nono methodi medendi, capite quarto, hiſtoriam recitans adoleſcentis illius palæſtritæ, febre ſynocha abſque putredine laborantis, animi deliquium manifeſtè ex adhibita ſanguinis miſsione ei ſucceſsiſſe ſcribit per hæc verba: *Auferro itaque ab homine eouſque de induſtria ſanguinem, quoad animo linqueretur.* Idem appatet ex alio loco eiuſdem libri capite decimo, vbi quum doceret Galenus tali præſidio opportuno tempore, & debita menſura eſſe nobis vtendum, idque niſi fieret, interfici à mediciis ægrotos, quod duobus contigiſſet, quos in ipſis medicorum manibus interiiſſe viderat, manifeſtè animi deliquium per hæc verba ſucceſsiſſe ſcribit. *Duos igitur in ipſis medicorum manibus periiſſe vidi, qui in animi deliquium vbi incidiſſent, haud amplius reſtituti ſunt.* Sicuti autem lipothymiam aut animi deliquium ex his locis à medico quæri apparet, ita ſyncopem caueri non obſcurum eſt; quos enim memorat Galenus in medicorum manibus interiiſſe, illi ſyncope apprehenſi ſunt. Eſt autem ſyncope præceps virium lapſus, ſicuti definitur à Paulo Ægineta libro tertio capite xxxij. animi autem deliquium ab ea differt, tanquam minus à maiori: vires enim in hoc non ita collabuntur, ſed conſtant; quam differentiam colligere licet apud Alexandrum Trallianum libro duodecimo capite tertio. Nam cùm de variis ſyncopes differentiis, & cauſsis egiſſet, tum de animi deliquio, aut lipothymia ſuſcepto ſermone ita ſcribit: *Quoniam autem lipothymiæ, ſeu animi defectiones ſyncopes inducentes ægris contingunt, viréſque repentè deiiciunt*, & cætera; quod habemus ſimiliter apud Galenum lib. 1. ad Glauconem capite decimo quarto. Idémque colligitur ex eodem Galeno libro duodecimo methodi capite quinto ad finem. Ibi enim dum loqueretur de affectu humorum crudorum, ab iis dicebat dum vel onerant, vel obſtruunt, ſyncopem inferri; ſi autem neutrum ex illis efficiant, non ſanè ſyncopem inferre, ſed quæ animi deliquia appellantur, Græcè λειποψυχίαι: eſt autem λειποψυχία idem quod λειποθυμία. ſicuti etiam lipothymia idem eſt quod ἔκλυσις, hoc eſt, exſolutio, quod habemus apud Galenum primo ad Glauconem capite decimo quarto per hæc verba: *Qualis eſt lipothymia, & exſolutio: nam conſueuêre medici de vna re hæc duo nomina dicere.* Arabes autem vt Auerroëm, & Auicennam, voce ſyncopes pro lipothymia, aut animi deliquio, qui leuior affectus eſt, vſos videmus, quos malè ſecutus eſt Conciliator, qui hanc diſtinctionem, tãquã Grӕcæ linguæ ignarus accipere voluit, & ſyncopem, ac lipothymiã

pro ſynonymis habuit, quæ ex locis propoſitis manifeſtò diſsident. Igitur ad lipothymiam deducendus æger eſt, ad ſyncopem non eſt. At quomodo inter ſecandum venam id cognoſcitur, quáſque notas habemus, adeſſe animi deliquium, vlteriùs tamen haud progrediendum, ne ſyncope ſubſequatur? Hollerius Hempanus in comm. ad Aphoriſmum tertium primi libri, ſcribit ad animi deliquium ſanguinem mittere, apud veteres eſſe detrahere vſque ad viginti quatuor vaſcula, vt vnumquodque vas capiat vncias tres, hanc autem ſanguinis quantitatem, ſcribit paulò pòſt complere ſex libras menſurales; quas in acutiſsimis febribus eam ſanguinis miſsionem requirentibus, detrahere poſſe aliquem ex Galeni conſilio in libro de ſanguinis miſsione itidem ſcribit ille Auctor. Abſurda & ridicula ſententia; eſt enim qui citra trium aut quatuor librarum detractionem animi deliquio corripiatur, quod felici ægroti fortuna me expertum fuiſſe memini, dum iuuenem mulierem calidiſſima febri laborantem curarem, quæ ex ea larga ſanguinis miſsione iugulata febre, illico conualuit, nec recidiuam paſſa eſt: vnde tribus diebus (erat enim hic tertius morbi dies) abſolutus eſt morbus, aliter per multos duraturus, quod pro certo habeo, fore vt ſæpe contingeret, ſi ita copioſas ſanguinis detractiones vſurpare auderemus; ſed nimium, & pluſquam deceret, ſi non reſpondeat auxilium, deterret bonos etiam medicos infamiæ timor. hæc obiter. Igitur præſcribi, aut aſsignari certa ſanguinis menſura vel pondus non poteſt, quo termino animi deliquium præfinitè contineatur, magna enim ſunt naturarum diſcrimina, multáque in ſanguinis abundantia hominum inter ſe differentia. Nec verò eum terminum præſcribit Galenus, qui libro de curandi ratione per ſanguinis miſsionem capite duodecimo, illud tantummodo affirmat, vbi feruеſcentis ſanguinis ineſt plenitudo acutiſsimam accendens febrem, ſubitò ac ſimul eſſe euacuandum plenitudinémque exhauriendam, etiam ad animi deliquium detracto ſanguine, modò vires conſtent, vnde ſe meminiſſe, quibuſdam ſex detractas protinus cotylas, aut poſtridie, aut tertio, quartoue die. Cotylas ſex interpretatur Hollerius ſex libras menſurales, ſcilicet vncias menſurales ſeptuaginta duas, quod vt aliquando factum eſt, ita ſæpius cotyla accipere dicta eſt vncias nouem menſurales; nimirum hæc Attica fuit cotyla, quæ & medica ſæpius, ita vt cotylæ ſex non ſint plus, quàm vnciæ ſexaginta tres menſurales. At quomodo ait idem Hollerius ad finem commentarij: *Hæ autem ſex libræ viginti noſtratia vaſcula continent*, ſi paulò antea dixit: *Eſt autem ad animi vſque deliquium ſanguinem mittere apud veteres, detrahere vſque ad viginti quatuor vaſcula; vt vnumquodque vas capiat vncias tres*; cur hîc quatuor vaſcula demit? an non inter veteres Galenus? an veteres alij à Galeno ea de re aliter ſenſerant? qui verò hi? an alia, & alia vaſcula intelligit? ſed cùm de illis loquatur Hollerius vtrobique, quibus in Gallia vtuntur,

de eiſdem

de eiſdem loqui apparet, non enim de antiquis, niſi apud veteres extiterint vaſcula, de quibus loquatur primo loco, quarum ſingula vncias tres contineat, quibus antiqui illi ſoliti eſſent ſanguinem excipere, quod mihi quidem ignotum eſt. Sed & illud Hollerio faciendum erat, ſi rem definitè tradere volebat, vt cùm libræ, aut vnciæ menſurales quas proponit, non ſint ampliùs in vſu, nec vaſa illa cornea lineis interſecta, & diſtincta, quibus varios humores metiebantur antiqui, quorum vaſculorum mentionem facit Galenus libro primo de compoſitione medicamentorum ſecundùm genera capite decimo ſexto, & eorundem librorum capite ſexto, vt ponderales quibus ſanguinem vaſculis exceptum æſtimare licet, adſcriberet: ſunt enim menſurales à ponderalibus aliæ: quippe menſurales eædem in omnibus, quorum pondus æſtimamus; ponderales autem iuxta corporis quod pondere æſtimatur grauitatem, aut leuitatem variæ; ponderales enim vnciæ grauitatem corporum, menſurales molem decernunt, vt ſcribit Galenus primo de compoſitione medicamenrorum ſecundùm genera, cap. xiij. Cùm autem Galenus aliquando, diſcendi cupidus quantum grauitatis pondus cótineret olei libra Romana menſuralis, eam ponderaſſet, inuenit, ſicuti ſcriptum habemus lib. vj. de cópoſitione medicamentorum ſecundùm genera ca. viij. duodecim olei menſurales, decem vnciis ponderalibus æquales; quam eandem proportionem etiam alibi refert. Diligenter igitur rem appendere eſt neceſſe, ſi pondus ſex cotylarum ſanguinis, vbi ad menſurales vncias reducantur, exactè habere volumus; quod tamen nos hoc loco importunum minimè faciemus. Sed redeuntes ad propoſitum dicimus, detractionem ſex cotylarum ſanguinis nequaquam fuiſſe poſitam à Galeno terminum definitum, ſub quo animi defectio eueniret, ſed ita aliquando contigiſſe, ſe recordari: nimirum id in aliquibus obſeruauerat, quod tamen aliquando etiam aliter accideret, vnde non ſemper ad hanc quantitatem detrahendus erit. Auicennas meliùs eandem rem deſignaſſe & præfiniſſe videtur libro tertio ſen xj. tractatu ij. cap. viij. de ſignis ſyncopis; cùm enim ibidem nonnullas eius affectionis notas propoſuiſſet, deſumptas à pulſus compreſſione, inæqualitate, & paruitate, ſanguinis fuga, coloris faciei mutatione, palpebrarum dimiſſione, oculorũ debili motu, coloris mutatione, hallucinatione, frigiditate extremorum, ſudore frigido, nauſea quandoque ac totius corporis quandoque frigiditate, ſubdit hæc. *Quum igitur incipit aliquid horum ſignorum poſt phlebotomiam, aut ſolutionem ventris, aut adminiſtrationem rei neceſſario facientis læſionem, abſtineatur ab ea, & remoueatur cauſa, quoniam tam perducet ad ſyncopem, ſi non abſcindatur.* Sane enim ſicuti eædem notæ, aut magnæ aut paruæ, eundem morbum, maiorem, vel minorem, debiliorem, aut vehementiorem oſtendunt, ita vel lipopothymiam, vel ſyncopem, quæ non niſi maioris & minoris ratione differunt, eædem notæ maiores, vel minores indicabunt. Patitur autem in animi

animi deliquio virtus tum animalis, tum etiam vitalis; quippe propriè cordis eſt affectus, tum animi deliquium, tum ſyncope. Indicat id lipothymiæ nomen, θυμὸς enim ad cor pertinet, ſecuti λειποψυχία ad animales etiam virtutes eum affectum pertinere ſignificat. Malè igitur exiſtimauit Mena Hiſpanus, virtutes tantummodo animales affici, nimirum neruorum, & muſculorum, quod ex Auicennæ loco comprobare conatus eſt, qui legitur libro tertio fen vndecima tractatu ſecundo capite nono hiſce verbis: *Et ſcias, quòd caſus virtutis quandoque perducit ad ſyncopem, & quandoque ad id quod eſt infra ſyncopem, vbi virtus non deſtruitur, niſi à neruis, & lacertis ipſis exiſtentibus ab ea vacuis, quare homo fit non motus, neque remouetur à ſuo ſitu, & ſtatione, niſi cum labore; & cauſa illius eſt accidens eius quod diximus. Nam cùm vehemens ſit, facit cadere virtutem integrè: & ſi non ſit vehemens, facit cadere virtutem neruorum, & lacertorum.* Auicenna tamen hoc loco non loquitur de ſyncope, aut lipothymia, de quibus ſatis locutus fuerat capite præcedenti; ſed de alio affectu, qui vt propriè pertinet ad caput, ita virtutem animalem lædit, ac tollit ſenſum, & motum, licèt aliquando ita augeatur, vt affecta etiam vitali virtute, ſyncopem acceſſat, in qua virtus cadit integrè, id eſt, omnes virtutes, tum animales, tum vitales collabuntur: læditur autem & inſigniter vis animalis in lipothymia, vt etiam pereat ſenſus, & motus, quod ſcribit Aëtius libro quarto capite 101. per hæc verba: *Differre autem animi deliquium à ſyncope, quòd animi deliquium derepentè inuadit, ſenſu, & motu hominem priuans, & omnino non ſudans, ſyncope verò, & vigilantes, & dormientes inuadit, & omnino cum ſudoribus, qui ſyncoptici appellantur.* Nec tamen ea virtutis animalis læſio ita eſt accipienda, vt ſemper ſenſu, & motu hominem ex toto priuet, aut deſtruatur virtus neruorum, fit enim aliquando cùm vehementior eſt lipothymia, non fit aliquando, cùm non adeò vehemens, ſunt enim in eadem lipothymia, antequam perueniat ad ſyncopem, gradus, quod & in me ipſo, & aliis non ſemel vidi. Affici autem cor & virtutem vitalem, licèt non æquè ac in ſyncope, apparet non ſolùm ex voce ſeu vocabulo quod ſuperiùs proponebam, ſed etiam ex pulſu, quem variè mutari docuit Auicenna, quique notas illas exhibet, quæ, vt in ſyncope maximæ, ita in animi deliquio quod illam præcedit, exiguæ ſunt; quam etiam rem in iis obſeruare quotidie licet, qui animo linquuntur: ſed expreſsè, & nominatim, ſi neceſſe eſt, illud affirmat Galenus comment. ad Aphoriſmũ octauum libri ſeptimi per hæc verba: *Commune autem eſt omnium ruptionum exſolutio, & animi deliquium, ob vitalis ſpiritus excretionem, vt alibi oſtenſum eſt.* Et iterum comm. ad Aphoriſmum quadrageſimum primum libri ſecundi: *Quicunque verò nulla tali de cauſa ſæpius ac fortiter exſoluuntur, ij ob virtutis vitalis imbecillitatem hoc patiuntur.* Exſolutionem autem idem eſſe ac lipothymiam antea diximus. Aduertẽdum autem, in Græco Aldino Codice pro illis quæ ſcripſimus τῆς ζωτικῆς δυνάμεως, id eſt, *virtutis vitalis*, legi, τῆς ψυχικῆς δυνάμεως,

id eſt,

id eſt, *virtutis animalis*; Leonicenum tamen legiſſe ζωτικῆς, qui vertit *vitalis*, quam lectionem nos approbauimus, quia candẽ etiam reperimus manu exaratam ad marginem eiuſdem codicis Græci, quem habemus, in quo infinitæ etiam aliæ, vulgatis meliores lectiones continentur, quę nobis nõ leue aliquando auxilium afferunt. Sed & ex cauſis vnde lipothymia fit, illę euacuationes, ſiue repletiones, aut dolores ſint, quas diſtinctè percurrit Galenus libro primo ad Glauco. capite decimo quarto, facilè colligere liceat, lædi ac debilitari vitalem virtutem. Et verò quid opus foret inciſa vena dum ſanguis effluit, pulſuum mutationi, tanquam indicio haudquaquam mendaci, animum diligenter attẽdere, & è veſtigio quieſcere, pulſu alteraſcente, ſeu in magnitudine, ſeu quauis inæquabilitate, quod præcipit Galenus libro de curandi ratione per ſanguinis miſſionem capite decimo quarto, ſi in lipothymia ex ſanguinis detractione vitales vires haud paterentur, nulloq; pacto concideret pulſatilis virtus, quod ait Hiſpanus ille auctor? Lipothymiã autem eſſe dicere, neruorum & muſculorũ imbecillitatem, quid aliud eſt, quàm communem & perpetuum omnium ferè morborum ſymptoma dicere? Ferè pudet ad eam rem tot argumenta attuliſſe. Iam igitur ad argumenti ex Galeno propoſiti diſſolutionem, quod multò antea debebam, redeo poſt multa; Eo autem probabatur, in angina ſanguinẽ mittendum eſſe vſq; ad animi deliquium, quod eſſet ſumma inflãmatio, in ſummis autem inflammationibus ea ſanguinis detractio conueniret. Reſpondemus, primùm, non omnem anginam eſſe ſummam inflammationẽ: quippe magnum & paruum, non ſpeciẽ morbi, ſed magnitudinem, & vehementiam indicant: tum concedentes in propoſito caſu anginam eſſe talem, ibique maximam ſubſiſtere inflãmationẽ, dicimus ratione affectus, qui adeò magnus eſt, conuenire ei miſſionem ſanguinis vſque ad animi deliquium, ſed eſſe quod impediat, reſpirationis difficultatem, quæ cùm ſit actio vitæ ſic neceſſaria, vt exiguo admodum tempore abſq; ea perdurare viuus homo poſſit, primã & omnium digniſſimam prębeat indicationem. Docet autem Galenus lib. 7. methodi medendi capite duodecimo, in complicatione affectionum, primum omnium attendendum eſſe, à quo maximè diſcrimen ægro impendere videatur. Igitur in ſummis inflammationibus, quatenus ſummæ inflammationes ſunt, & proprias exhibent indicationes, ſanguis ad animi vſque deliquium mittendus ęſt; cum hoc tamen, ne id fiat, ſi aliquid impediat. At impedit in angina difficultas reſpirationis, quæ ex animi deliquio augeretur ſuccedente ad eam largam ſanguinis miſſionem, vnde illico ex ſuffocatione interiret æger. Quare copioſiùs etiam liceat mittere, vbi minor eſt reſpirandi difficultas, cum quo tamen ſtat magna anginæ vis, ſicuti inflammatis pharyngis, ſeu faucium muſculis; maxima autem reſpirationis difficultate vrgente, ſicuti inflammatis laryngis muſculis accidit, ratione huiuſce ſymptomatis quod cauendum maximè eſt, vtque

proponeret, reticuit omnino. Ex recentioribus qui partium morbos deſcripſerunt,quod ſciam,nemo illius meminit,præter Ludouicum Mercatum Hiſpanum virum eruditiſſimum,qui cùm ex Aretæo illam ſpeciem proponat,refert tamen eum morbum ad aërem attractum, quem craſſiorem,caligno ſum,denſum,&fuliginoſum effectũ,non poteſt ratione craſſitiei aſpera arteria capere, vnde ſuffocari ab eo contingit animal, ſicuti accidere videmus cùm ſemiaccenſis carbonibus conclaui vndiq; clauſo, coërcentur inde exhalantes vapores,ex quibus ſuffocatos & ipſe vidi non paucos,ac teſtatur etiam Gradius, qui huiuſcemodi anginæ ex carbonibus ſemiaccenſis, mentionem facit in commentariis ſuis ad nonum Rhaſis ad Almanſorem. Non poſſum tamen facilè intelligere , quomodo talis angina ex ſuffocantibus vaporibus , ea ſit , quam ex vitio ſpiritus deſcribit Aretæus. Manifeſtè enim Aretæus in illa angina proponit ſpiritum calidiſſimum , & ſicciſſimum, id eſt , tenuiſſimum ; tantùm abeſt, vt craſſiorem dicat. Non obſcurè etiam docet, cauſam affectionis non extrinſecùs eſſe , ſed intrinſecùs , cùm quæ de charoniis tradit , illa ſimitudinis gratia ad rem declarandam afferantur , vt non poſſit quæ ab halitu craſſo extrinſecùs adueniente incidit angina, hæc Aretæi eſſe. Quod etiam exiſtimaſſe videtur Thomas à Veiga Eborenſis in commentario ad quartum caput libri quinti de locis affectis,vbi huius anginæ Aretæi mentione facta , paradoxam , & duram (ſicuti ille dicit) Aretæi ſententiam exiſtimat , quum ab halitu carbonum angina ab omnibus accepta videatur : niſi tamen & hanc eandem reiiceret Veiga. Quæ autem obiicit aduersùs Aretæum Veiga, facilè refelli poſſunt. Quòd enim abſit illi anginæ inflammatio , id verò eam non tollit , non enim ad anginam eſſe neceſſarium probauimus. Vitium autem aëris attracti , ſeu vitij cauſam , non extrinſecùs inquirendam , ſed intrinſecùs eius prauitatem gigni , docet Aretæus exemplis ſimilibus propoſitis ; ſanatur verò hæc maligna angina , exteriùs apparente inflammatione , non quia inflammatio interna , id eſt, humoris affluxus , qui nullus erat , ad exteriora vertatur , ſed quia iam ceſſante morbi malitia , roborata natura, & morbi materia non adeò tenui , quippe non tanta caliditate , & ſiccitate vrgente , exteriùs fit,& apparet inflammatio , quæ interiùs nulla erat. Et hæc ferme obiter ſint dicta. Cæterùm ſigna in hac anginæ ſpecie caliditatem , atque ſiccitatem ſpiritus omnia demonſtrantia hæc ſunt: comitatur enim inſtrumentorum collapſio , gracilitas , pallor , oculi ſunt caui , interiùs demerſi , fauces , & gurgulio retracti , tonſillæ multò magis ſubſidentes , vociſque priuatio , eſſe autem ſtrangulatum huiuſce ſpeciei quàm priorem violentiorem , dicit Aretæus , quum in pectore malum ſit , vbi ſpirandi initium ponitur , affici nimirum ipſius ſpiritus fontem , aut ſpiritum (in hoc enim vitium ponitur) in ipſo fonte vitiatum eſſe;quippe circa pulmonem,& cor. Anne igitur per hunc modum omnis ſuffocatio erit angina ? non itidem,etſi Aretæus initio

ſtatum

ſtatim capitis eam definiat, ſpiritus comprehenſionem, vt omnem ferè ſuffocationem comprehendere videatur; dicimus enim, illis verbis anginæ tantummodo genus aſſignari:angina autem,etſi abſque inſtrumentorum quæ ſpiritui dicata ſunt, læſione fieri non poſſit (eſt enim ſuffocatio; at ſuffocatio non aliud quàm interitus eueniens propter defectum reſpirationis, qui fit ob anguſtiam alicuius ex inſtrumentis reſpirationi ſeruientibus, quod legimus apud Galenum lib. 5. Aphoriſmorum commentario ad Aphoriſmorum trigeſimum quartum) non tamen dicitur angina, niſi ceruix afficiatur, id eſt,partes ad fauces, aut guttur attinentes, quod fieri in præſenti morbo, ſigna ibidem apparentia argumento ſunt:oritur enim vitium quidé ex pectore,& pulmone ibi viciato ſpiritu, at afficiuntur etiam partes ſuperiores,per quas viciatus idem ſpiritus redditur,afficiuntur autem non per inflammationem ex ſententia Aretæi, quippe nullus ad eos humoris affluxus; ſed contrario modo, quòd abſumpta, exinanita, & emaciata, ac retracta per ſpiritus ſiccitatem ſint, quippe ab expiratione feruenti inſumpta ſunt omnia humida, nec in illis tantùm partibus, ſed in oculis etiam ob viciniam, ex quo caui facti ſunt. Forma igitur & eſſentia morbi, ſicuti etiam in alia ſpecie anguſtia eſt, ſed aliunde proueniens. Eſt verò anguſtia non ſolùm in pulmone, ſed etiam in gutture anguſtiæ ſenſus, quem ad anginam requirebat Galenus, non ab affluxu humoris,ſed à ſiccitate, & partium conſtrictione. Ita igitur vitio ſpiritus, praua & maligna conuerſione ad calidiſſimum,& ſicciſſimum immutati fit angina,& quibuſcunque in in morbis tale ſpiritus vitium ſuccreſcit, in illis eiuſmodi angina oritur, vnde potiſſimùm in æſtuoſis febribus, quæ ad eam ſpiritus caliditatem, & ſiccitatem perueniunt interdum, vt non ſolùm pulmones, ſed partes etiam ſpiritus ſuperiores afficiant, & in tali febre memini eam me aliquando vidiſſe, quæ etiam ægrotantem de medio tulerit. Illud Galeno aduerſarium in hac doctrina Aretæi eſt, quòd vitium eſt in pectore,& pulmone,quod in anginæ ſpeciebus, quas ipſe proponit, omnino negat. Nos autem hanc non ex Galeno, ſed ex Aretæo proponimus; videtur tamen id etiam conceſſiſſe Hippocrates libro quarto de ratione victus in acutis, in quo quum ſimilem ei, quam apud Aretæum habuimus, anginæ ſpeciem proponeret, tota illa dictionis ſerie, nimirum à textu 31. vſque ad trigeſimum quintum, inter cætera ſcribit, pulmonem fuiſſe incenſum, cæteráque ſigna eadem ferme proponit, violentam ſuffocationem, quam Hippocrates dicit Orthopnœam, ſiccitatem multam, gracilitatem partium, vocem abruptam,ſeu abolitam, Galenus autem in comm.interpretans dictionem illam, *pulmonem incenſum*, eum ardere conſtrictũ, ſpiritus calidi ſuffocationẽ manifeſtè indicat;quin & talem anginæ ſpeciẽ ad melius cõuerti idem ait Hipp. quum ad externas partes malũ fertur,quod etiã de angina ex vitio ſpiritus ſcribebat Aretæus, vt ſimile admodum anginæ genus ab vtroq; proponi appareat.

appareat. Manifeſtè tamen, & expreſsè, non à ſolo ſpiritus vitio eam fieri proponit Hippocrates, ſed ex fluxione calida, ac nitroſa à capite æſtate, vel autumno ad organa ſpiritus decumbente. Galenus autem in commentario etiam in hoc genere adeſſe inflammationem vult, ſed inflammatas partes non videri, quod autem videtur, citra inflammationem exiſtere. Hæc de eiuſcemodi angina. Cæterùm quod initio propoſueramus, dari anginam abſque inflammatione, colligatur etiam ex Cœlio Aureliano, qui ſine febri eam eſſe teſtatur his verbis libri tertij Oxeon capite primo: *Cæterùm cum febricula paſſionum curationem preſcriptis tradimus libris: nunc autem earum, quæ ſine febribus eſſe noſcuntur, ordinabimus: quo cunctarum perfecta diſtinctio compleatur; initium namque à ſynanchica paſſione ſumemus*, &c. Si autem angina ſine febre eſt, quæ ab internis effatu dignis inflammationibus vix, aut ne vix quidem ſeparari poteſt, vt ſine inflammatione ſit, omnino dicendum videtur.

In angina vtrùm ſanguis mittendus vſque ad animi defectum. Græcorum, & Arabum ea de re opiniones. Hippocrates aduerſus Cœlium defenſus. Auicenna refutatus. Hollerij ſententia de menſura ſanguinis in animi deliquium reiecta. Galeni loca duo expoſita.

CAPVT XIV.

VT ſatis conſtat in angina ſanguinis detractionem eſſe neceſſariam, ita inſignine admodum copia, & ad animi vſque defectionem mittere expediat, haud ita certa res eſt; Cùm enim plerique omnes negent, faciunt Auicennæ verba, vt ea de re quærere liceat; nec abeſt ratio etiam ex Galeno petita, qua eam fieri poſſe, nobis perſuaderi poſſe videatur. Proponam antea auctoritates, deinde rationem. Archigenes, vt refert Aëtius libro 8. expreſsè à larga ſanguinis miſſione ſemel facta, & ab animi defectione cauet per hæc verba: *Auferre autem ſanguinem parcè, non vſque ad animi defectionem; citiùs enim hi animo linquuntur; & aliàs ſanè ex refrigerationibus, & animi defectione, perfacilè materia à faucibus ad pulmonem defertur, & ineuitabile periculum infert.* Paulus idem cenſuit libro tertio capite vigeſimo octauo. *Reliquis autem* [Synanchicis] *ſanguis protinus è cubito mittendus eſt, & euacuanda multitudo, non ſemel, atque affatim, ſed ſæpius partitis vicibus, aſſeruantes, & cuſtodientes ſanguinem: Ex euacuatione enim confertim facta in animi deliquia incidentibus agris, ſuffocationis periculum ſuperuenit, affatim confluente*

mate

mueria ad patientem particulam. Appoſitè autem vſus eſt Paulus verbo τεταμιευμένης, vt ſanguinem veluti theſaurum eſſe indicaret, quod nos duobus conuertimus, *aſſeruantes, & cuſtodientes.* Miror autem ab Andernaco in tralatione non fuiſſe iſtud expreſſum; Aëtius pro eo vſus eſt πεφεισμένως. Non diſſentit Trallianus, qui libro quarto capite primo ea de re ita ſcribit: *Ante omnia quidem angina laborantibus venæ ſectionem adhibere neceſſe eſt, non tamen vniuerſam ſemel, partitæ enim euacuationes ex ipſis affectis locis cauſam magis ſubtrahunt, quare tertio etiam, & quarto ſanguinem auferre oportet, ſolam animi defectionem euitantes: Nocet enim ſiquid aliud hic animi defectio, quæ ſæpenumero efficit vt affatim, & vniuersè in alium materia confluat.* His addere licet, ſi momentum aliquod facit, Nonni auctoritatem, qui horum virorum doctrinam ſequens ita ſcribit: *His itaque ſtatim ſanguinem detrahere oportet, adhiberéque euacuationem, non tamen vniuerſam, ita enim animi defectione comprehenſi ſuffocantur.* Cœlius Aurelianus libro tertio acutorum capite quarto, eandem ſequitur opinionem: malè tamen facit, qui Hippocrati contraria adſcribens, eum hac de re reprehendit per hæc verba: *Antiquorum Hippocrates libro quem ad ſententias Cnidius conſcripſit, ex vtroque oportere, inquit brachio ſynanchicos phlebotomare; ſed hoc erit euitandum, ſi quidem coaceruata ſanguinis effuſio animi facit defectionem, & propterea prohibet tantum detrahi, quantum ſufficiat ad relaxandum ſtricturam.* At quid vetat, ô Cœli, ex vtroque brachio ſanguinem mittentes, animi defectionem, exiguum detrahentes, minimè inferre? loca vnde mittendus, ô Cœli, oſtendit Hippocrates, quantitatem haud oſtendit; & qui ſanguinem diuidit, cum animi deliquium fugere, ex illis conſtat, quæ modò adduximus ex Paulo, & Alexandro. His autem quæ propoſuimus, ánne contraria ſcribere dicemus Aretæum, qui libro primo capite ſeptimo, hæc de ſanguinis miſſione in angina ſcribit: *Haud ignobile quoque adiumentum præſtat, ſi ad animi vſque defectum ægrum perduxeris, ita tamen ne animo deficiat: nonnulli enim ſub vena percuſſa, ex animi deliquio periêre?* Manifeſtè excludit Aretæus animi defectionem, quod & auctores ſuperiùs nominati. Quid igitur eſt, quod vſque ad animi defectionem mittendum ſanguinem tradit? an, vt quàm fieri poſſit proximè accedamus? periculoſum enimuerò conſilium; quis enim extremos illos præfinitè limites ratione, ac niſi diuinando aſſequi poſſit? Hac etiam re à nominatis auctoribus diſſentire videtur Aretæus, quòd vna modò animi defectione excluſa, citra hanc, vel ſemel & affatim, quàm largiſſimè ſanguinem detrahere videtur; non itidem Aëtius, qui ex Archigene parcè, & ſobriè detrahit, & citra animi defectum longè ſatis, quod illa indicant, *citiùs enim hi animo linquuntur.* Nimirum id præcipit Aëtius. Largam ſanguinis miſſionem in angina caueto, adeóque pluſquàm in aliis morbis, aliis enim celeriùs, &

faciliùs hi animo deficiunt; tum verò aliàs ex refrigeratione, quæ etiam citra animi defectum contingit ob largam ſanguinis miſſionem, timet defluxum materiæ ad pulmonem, vnde incurabile malum. cauet eandem largam ſemel ſanguinis miſſionem Paulus, qui veluti bonus quæſtor, ſanguinis theſaurum aſſeruat, naturæque opes non cunctas ſimul, & ad prauos vſus effundit, copioſámque illam, & coaceruatam ſanguinis detractionem adeò non prodeſſe dicit, vt etiam obſit; quippe ex refrigeratione corporis, ad fauces confluente ſanguine, augetur inflammatio, & ſuffocatio aduenit; cauet Trallianus, qui in triduum, & quatriduum diuidit; itaque magis ſalutarem exiſtimat: quippe morbi cauſam ex affectis locis ita magis ſubtrahi, contra ad illa confertim erumpere frequenter. Solam quidem animi defectionem videtur timere Trallianus, qui eam ſolam videtur excludere, ſed timet etiam manifeſtè largam emiſſionem ſemel factam, à qua vix defectio ſeparari poteſt; quippe exigua ſæpius, quàm larga, pluribus collectim diebus conceditur. Interim enim natura, & calor roboratur, nec ita vt lædat refrigeratio conſequi poteſt. De hac re ita Græci. Inter Arabes Auicennas libro tertio fen nona tractatu primo capite vndecimo, contrariis verbis rem ita confudiſſe videtur, vt quid omnino ſentiat non appareat; ita enim apud eum legitur: *In calida quidem oportet, vt incipiatur cum phlebotomia, & non extrahatur ſanguis plurimus ſubitò, & propriè quum iam inceperit virtus debilitari, imò ſumantur in omni hora decima, & decima vſquè ad diem tertium cum ſeparationibus continuis; ſi autem debilitari non incipit, tunc oportet, vt ſine ceſſatione extrahatur ſanguis, vſquequo appareat ſyncopis in forti, & oportet vt declinetur cum ſeparatione versùs conſeruationem virtutis, & prætermiſſionem ſyncopæ.* Primùm igitur, quod Græcos tres aut quatuor diximus tradidiſſe, non ſubitò, nec ſemel multum ſanguinis extrahit Auicennas, atque tunc id maximè facit, quum virtus incipiat debilitari: in virium enim imbecillitate auxilium diuidit, vt verba manifeſtè ſonant; licèt ipſa particularis partitio, quam expreſſo etiam numero proponit, ſit ſatis obſcurè prolata, & mihi quidem valde ambiguum, quod ad illius explicationem affert Gradius; ſi autem vires conſtant, ſubdit Auicennas, ſemel & nullo interpoſito ſpatio ſanguis detrahendus eſt, donec animi defectus appareat, quibus ea ſtatim ſubiicit, quæ aduerſari eiſdem videantur; rurſus enim partitis vicibus, & ita extrahendum ſanguinem dicit, vt virium conſeruandarum gratia, animi defectio euitetur. Id verò, ô Auicenna, rem confundere, & obſcurare eſt, non docere eſt. Quod de viribus dicitur, ſuperuacaneè proponitur, ſemper enim pro virium robore mittitur ſanguis, virtute autem debili, non minus in aliis quàm hîc, vel nihil, vel parcè, & per interualla ſanguis detrahitur. Conſtante virtute quæro in angina quis modus ſanguinis? parcè, inquit Aëtius, non affatim, nec vniuersè, ſed per interualla Paulus, & Alexander. tu verò ſine ceſſatione, donec appareat ſyncopis; At quomodo cum ſepa-

ratione(vt loqueris,aut potiùs vt loquuntur interpretes tui) quod illico ſubijciatur? Haud ignoro Ioannem Coſtæum, virum cum primis erudi-tum,qui omnia Auicennæ dicta mordicus retinere, & approbare voluit, hæc ita accipere,tanquam animi deliquium excludat Auicennas, & Paulum æmuletur,cuius verba nos ſuperiùs adduximus.Enimuerò, vt primū dictionis Auicennæ membrum,excepto virium examine, de quibus nihil Paulus,quod nō erat neceſſe,idē eſt cū Paulino, ita reliquis nihil cū Paulo.Conſtat ſibi Paulus,expreſſéque ſententiam ſuam abſque retractione aperit; Cauendum ne ſuperueniat animi defectio;ſanguinem igitur non ſemel,nec vniuerſe emittēdum. Auicennas vult apparere ſyncopim;apparet autem quod eſt , quomodo igitur excluditur? an excluſa apparet procul per vitrum,aut cancellos?Enimuerò,vel per hunc modum,ſuffocationem quoque augeat,& interitum afferat:nec aliam ob rationem in plures dies diuiditur auxilium. Periculoſa ſcilicet hæc exigua interſtitia , quod antea aduersùm Aretæum proponebam.Non excludi, ſuſpicionem etiam facit alius Auicennæ locus, qui ſcriptus eſt libro primo fen quarta ,doctrina v.cap. xx.de phlebotomia , hiſce verbis : *Licèt in febribus ſynochis non euremus,ſi vſque ad ſyncopim perueniant,& in principio apoplexiæ,& in ſynantiis, & in magnis apoſtematibus, perniciosis,& fortibus doloribus.* Hæc enim ex parte ſumpta ſunt de Galeni commentario ad Aphoriſmum vigeſimum tertium libri primi,quo loco,ad animi vſque defectum ſanguinem mittendum eſſe cùm dicat Galenus , in maximis inflammationibus, ardentiſſimis febribus,& vehementiſſimis doloribus,animi defectum minimè excludit,ſed eum omnino fieri , & ad illam euacuationem ſequi affirmat, quod etiam probabimus paulò pòſt , idque vel maximè in ſynochis febribus, quas iungens anginæ Auicennas , & de vtriſque idem proponens iudicium quod pertinet ad ſanguinis miſſionem , ſanè ſi illis conuenit adeò larga ſanguinis miſſio , & huic ſimiliter conueniet. Videtur igitur Auicennas in angina hanc animi defectionem minimè improbaſſe , qua re cum ab Aëtio , Paulo , & Alexandro maximè diſſentiat , ab Aretæo non ita , qui licèt defectionem excluderet , proximè tamen accedebat , vt eius ſententia Auicennæ multò magis quàm Paulo fauere , apparere poſſit. Reliqui tres Arabes , Serapion , Rhaſis & Haliabbas , Græcorum trium ſententiæ ex toto ſubſcribentes , eandem animi defectionem omnino fieri prohibent. Serapion duas ponit rationes , quarum alteram apud Paulum habuimus , quod ex ſanguine ſemel , & vniuerſim emiſſo , materia præceps agatur ad locum affectum , alteram apud Alexandrum , quod ita meliùs à loco affecto ſubtrahatur noxia materia ; tum aliam addit , anginoſis ob meatus anguſtiam à cibo prohibitis, non adeſſe vires quæ eam ferant ſanguinis miſſionem. Hanc nos deſpicimus , quippe quærimus (diximus etiam antea) virtute haud tenuente in angina

quis modus ſanguinis. Rhaſis ad finem libri tertij qui Continens inſcribitur,in plures dies diuidit & ipſe ſanguinis miſſionem:ratio prima eſt,quæ & Alexandri, & Serapionis,ad,materiam ex loco dettahendam, ita enim meliùs res ſuccedit : altera à viribus, non quòd non ferant in præſentia, ſed quia ſit prouidendum, vt poſſint ferre quod poſterius relinquitur,quum ex prohibita deglutione non liceat per cibum virtutem reſtaurare:non igitur ſummè debilitandam ex adeò larga ſanguinis miſſione. Italiabbas libro quinto Practicæ capite ſecundo eadem recinit, multum educendum ſanguinis (ſi virtus, ætas, tempúſque anni aduenerint) non tamen ſemel vniuerſum, ſed paulatim, & ſemel exiguum, ne tranſgluriendi difficultas augeatur; ita præter vnum Auicennam ſibi inuicem contraria proponentem, cauent omnes animi defectionem non ſolùm, ſed largam etiam ſemel ſanguinis miſſionem, præter Aretæum, qui defectionem proponens, quamquam non ſic vt animo deficiat æger, non videtur eam adeò extimuiſſe. Hæc pertinent ad auctoritates. Dixi non deeſſe rationem ex Galeno petitam, quia in angina ex miſſione ſanguinis animi defectio probaretur: afferenda ea modò nobis eſt ex commentario ad Aphoriſmum xxiij. primi libri, cuius etiam paulò antè meminimus. Scribit igitur Galenus eo loco, in ardentiſſimis febribus,in maximis inflāmationibus,& vehementiſſimis doloribus vtile eſſe vſque ad animi defectionem ſanguinem detraxiſſe. Si igitur maxima inflāmatio eſt angina,ita ſanè detrahendū. Antequā ad argumentū reſpōdeo, illud cōprobo quod antea dixi me facturū,animi defectum illis verbis à Galeno ita intelligi, vt ſit ipſe, non vt propè abſit (incluſiuè inquam, ſi ita loquendum eſt, non excluſiuè.) Non ignoro hanc Galeni opinionem fuiſſe ab Auerroe improbatam lib. 7. Coll capit. 8. qui nunquam tentari debere à medico adeò periculoſum auxilium exiſtimauit, quod tamen neceſſarium, & ſalutare,ſi opportunè adhibeatur, nos exiſtimamus, & Auerrois rationes futiles, quas tamen in præſentia diſſoluere non putamus è re eſſe, ab aliis etiam confutatas, & potiſsimum à Conciliatore differentia clxiij. vbi hanc quæſtionem examinat. Nos autem non de re in præſentia, verùm de Galeni ſententiæ explicatione diſſerimus, quem in febribus calidiſsimis, & ſummis inflammationibus, & vehementiſsimis doloribus mittēdum eò vſque ſanguinem præcipere exiſtimamus, donec in animi defectum incidat æger. Id autem puto facillimè colligi ex verbis quæ habet ille auctor in commentario propoſito, quibus ſi animum aduertiſſet Braſauolus, nunquam dixiſſet profectò, animi defectionem excludi, quod ſcribit Braſauolus in commentario ad Aphoriſmum tertium 1.lib. Galenus enim docens,qualis ſit ea animi defectio,de qua loquitur Hippocrates,hanc affectionem diſtinguit,& aliam eſſe dicit ab ea, quæ fit ob metum ægroti: at ſi hæc ſit adéſtque,& includitur, non autem excluditur (quomodo enim diceret differre hanc ab ea, quæ ex euacuatione eſt, ſi non fieret, quæ nulla eſſet?) fit etiam, & ſuccedit

ſuccedit illa. Quin, iterum eandem diſtinguit ab ea quæ fit vitio ſuccorum mordacium in ore ventriculi exiſtentium; ſi autem hæc fit, cur non & illa ſimiliter ad quam comparatur, & cuius diſcrimen proponitur? ſed quid clarius illis verbis; *qua igitur ratione euacuationis fit animi defectio, nunc ducitur ab Hippocrate.* Fit igitur animi defectio; quomodo igitur excluditur, quod eſt dicere non fieri? Nec verò ex hiſce verbis tantùm, ſed illuſtri etiam exemplo à Galeno propoſito liceat idem facilè comprobare. Ille enim libro nono methodi medendi, capite quarto, hiſtoriam recitans adoleſcentis illius palæſtritæ, febre ſynocha abſque putredine laborantis, animi deliquium manifeſtè ex adhibita ſanguinis miſsione ei ſucceſsiſſe ſcribit per hæc verba: *Auferre itaque ab homine euuſque de induſtria ſanguinem, quoad animo linqueretur.* Idem apparet ex alio loco eiuſdem libri capite decimo, vbi quum doceret Galenus tali præſidio opportuno tempore, & debita menſura eſſe nobis vtendum, idque niſi fieret, interfici à mediciis ægrotos, quod duobus contigiſſet, quos in ipſis medicorum manibus interiiſſe videtat, manifeſtè animi deliquium per hæc verba ſucceſsiſſe ſcribit. *Duos igitur in ipſis medicorum manibus periiſſe vidi, qui in animi deliquium vbi incidiſſent, haud amplius reſtituti ſunt.* Sicuti autem lipothymiam aut animi deliquium ex his locis à medico quæri apparet, ita ſyncopem caueri non obſcurum eſt; quos enim memorat Galenus in medicorum manibus interiiſſe, illi ſyncope apprehenſi ſunt. Eſt autem ſyncope præceps virium lapſus, ſicuti definitur à Paulo Ægineta libro tertio capite xxxij. animi autem deliquium ab ea differt, tanquam minus à maiori: vires enim in hoc non ita collabuntur, ſed conſtant; quam differentiam colligere licet apud Alexandrum Trallianum libro duodecimo capite tertio. Nam cùm de variis ſyncopes differentiis, & cauſsis egiſſet, tum de animi deliquio, aut lipothymia ſuſcepto ſermone ita ſcribit: *Quoniam autem lipothymiæ, ſeu animi defectiones ſyncopes inducentes ægris contingunt, viréſque repentè deiiciunt*, & cætera; quod habemus ſimiliter apud Galenum lib. 1. ad Glauconem capite decimo quarto. Idémque colligitur ex eodem Galeno libro duodecimo methodi capite quinto ad finem. Ibi enim dum loqueretur de affectu humorum crudorum, ab iis dicebat dum vel onerant, vel obſtruunt, ſyncopem inferri; ſi autem neutrum ex illis efficiant, non ſanè ſyncopem inferre, ſed quæ animi deliquia appellantur, Græcè λιποψυχίας: eſt autem λιποψυχία idem quod λιποθυμία, ſicuti etiam lipothymia idem eſt quod ἔκλυσις, hoc eſt, exſolutio, quod habemus apud Galenum primo ad Glauconem capite decimo quarto per hæc verba: *Quæ eſt lipothymia, & exſolutio: nam conſueuère medici de vna re hæc duo nomina dicere.* Arabes autem vt Auerroëm, & Auicennam, voce ſyncopes pro lipothymia, aut animi deliquio, qui lenior affectus eſt, vſos videmus, quos malè ſecutus eſt Conciliator, qui hanc diſtinctionem, tāquā Grçcæ linguæ ignarus accipere voluit, & ſyncopem, ac lipothymiā

pro ſynonymis habuit, quæ ex locis propoſitis manifeſtò diſsident. Igitur ad lipothymiam deducendus æger eſt, ad ſyncopem non eſt. At quomodo inter ſecandum venam id cognoſcitur, quaſque notas habemus, adeſſe animi deliquium, vlteriùs tamen haud progrediendum, ne ſyncope ſubſequatur? Hollerius Hempanus in comm. ad Aphoriſmum tertium primi libri, ſcribit ad animi deliquium ſanguinem mittere, apud veteres eſſe detrahere vſque ad viginti quatuor vaſcula, vt vnumquodque vas capiat vncias tres, hanc autem ſanguinis quantitatem, ſcribit paulò pòſt complere ſex libras menſurales; quas in acutiſsimis febribus eam ſanguinis miſsionem requirentibus, detrahere poſſe aliquem ex Galeni conſilio in libro de ſanguinis miſsione itidem ſcribit ille Auctor. Abſurda & ridicula ſententia; eſt enim qui citra trium aut quatuor librarum detractionem animi deliquio corripiatur, quod felici ægroti fortuna me expertum fuiſſe memini, dum iuuenem mulierem calidiſſima febri laborantem curarem, quæ ex ea larga ſanguinis miſsione iugulata febre, illico conualuit, nec recidiuam paſſa eſt: vnde tribus diebus (erat enim hic tertius morbi dies) abſolutus eſt morbus, aliter per multos duraturus, quod pro certo habeo, fore vt ſæpe contingeret, ſi ita copioſas ſanguinis detractiones vſurpare auderemus; ſed nimium, & pluſquam deceret, ſi non reſpondeat auxilium, deterret bonos etiam medicos infamiæ timor. hæc obiter. Igitur præſcribi, aut aſsignari certa ſanguinis menſura vel pondus non poteſt, quo termino animi deliquium præfinitè contineatur, magna enim ſunt naturarum diſcrimina, multáque in ſanguinis abundantia hominum inter ſe differentia. Nec verò eum terminum præſcribit Galenus, qui libro de curandi ratione per ſanguinis miſsionem capite duodecimo, illud tantummodo affirmat, vbi feruеſcentis ſanguinis ineſt plenitudo acutiſsimam accendens febrem, ſubitò ac ſimul eſſe euacuandum plenitudinémque exhauriendam, etiam ad animi deliquium detracto ſanguine, modò vires conſtent, vnde ſe meminiſſe, quibuſdam ſex detractas protinus cotylas, aut poſtridie, aut tertio, quartoue die. Cotylas ſex interpretatur Hollerius ſex libras menſurales, ſcilicet vncias menſurales ſeptuaginta duas, quod vt aliquando factum eſt, ita ſæpius cotyla accipere dicta eſt vncias nouem menſurales; nimirum hæc Attica fuit cotyla, quæ & medica ſæpius, ita vt cotylæ ſex non ſint plus, quàm vnciæ ſexaginta tres menſurales. At quomodo ait idem Hollerius ad finem commentarij: *Hæ autem ſex libræ viginti noſtratia vaſcula continent*, ſi paulò antea dixit: *Eſt autem ad animi vſque deliquium ſanguinem mittere apud veteres, detrahere vſque ad viginti quatuor vaſcula; vt vnumquodque vas capiat vncias tres*; cur hîc quatuor vaſcula demit? an non inter veteres Galenus? an veteres alij a Galeno ea de re aliter ſenſerant? qui verò hi? an alia, & alia vaſcula intelligit? ſed cùm de illis loquatur Hollerius vtrobique, quibus in Gallia vtuntur, de eiſdem

de eiſdem loqui apparet, non enim de antiquis, niſi apud veteres extiterint vaſcula, de quibus loquatur primo loco, quarum ſingula vncias tres contineat, quibus antiqui illi ſoliti eſſent ſanguinem excipere, quod mihi quidem ignotum eſt. Sed & illud Hollerio faciendum erat, ſi rem definitè tradere volebat, vt cùm libræ, aut vnciæ menſurales quas proponit, non ſint ampliùs in vſu, nec vaſa illa cornea lineis interſecta, & diſtincta, quibus varios humores metiebantur antiqui, quorum vaſculorum mentionem facit Galenus libro primo de compoſitione medicamentorum ſecundùm genera capite decimo ſexto, & eorundem librorum capite ſexto, vt ponderales quibus ſanguinem vaſculis exceptum æſtimare licet, adſcriberet: ſunt enim menſurales à ponderalibus aliæ: quippe menſurales eædem in omnibus, quorum pondus æſtimamus; ponderales autem iuxta corporis quod pondere æſtimatur grauitatem, aut leuitatem variæ; ponderales enim vnciæ grauitatem corporum, menſurales molem decernunt, vt ſcribit Galenus primo de compoſitione medicamentorum ſecundùm genera, cap. xiij. Cùm autem Galenus aliquando, diſcendi cupidus quantum grauitatis pondus cõtineret olei libra Romana menſuralis, eam ponderaſſet, inuenit, ſicuti ſcriptum habemus lib. vj. de cõpoſitione medicamentorum ſecundùm genera ca. viij. duodecim olei menſurales, decem vnciis ponderalibus æquales; quam eandem proportionem etiam alibi refert. Diligenter igitur rem appendere eſt neceſſe, ſi pondus ſex cotylarum ſanguinis, vbi ad menſurales vncias reducantur, exactè habere volumus; quod tamen nos hoc loco importunum minimè faciemus. Sed redeuntes ad propoſitum dicimus, detractionem ſex cotylarum ſanguinis nequaquam fuiſſe poſitam à Galeno terminum definitum, ſub quo animi defectio eueniret, ſed ita aliquando contigiſſe, ſe recordari: nimirum id in aliquibus obſeruauerat, quod tamen aliquando etiam aliter accideret, vnde non ſemper ad hanc quantitatem detrahendus erit. Auicennas meliùs eandem rem deſignaſſe & præfiniſſe videtur libro tertio fen xj. tractatu ij. cap. viij. de ſignis ſyncopis; cùm enim ibidem nonnullas eius affectionis notas propoſuiſſet, deſumptas à pulſus compreſſione, inæqualitate, & paruitate, ſanguinis fuga, coloris faciei mutatione, palpebrarum dimiſſione, oculorũ debili motu, coloris mutatione, hallucinatione, frigiditate extremorum, ſudore frigido, nauſea quandoque ac totius corporis quandoque frigiditate, ſubdit hæc. *Quum igitur incipit aliquid horum ſignorum poſt phlebotomiam, aut ſolutionem ventris, aut adminiſtratio nem rei neceſſario facientis læſionem, abſtineatur ab ea, & remoueatur cauſa, quoniam eam perducet ad ſyncopem, ſi non abſcindatur.* Sanè enim ſicuti eædem notæ, aut magnæ aut paruæ, eundem morbum, maiorem, vel minorem, debiliorem, aut vehementiorem oſtendunt, ita vel lipopothymiam, vel ſyncopem, quæ non niſi maioris & minoris ratione differunt, eædem notæ maiores, vel minores indicabunt. Patitur autem in

animi

animi deliquio virtus tum animalis, tum etiam vitalis; quippe propriè cordis eſt affectus, tum animi deliquium, tum ſyncope. Indicat id lipothymiæ nomen, θυμὸς enim ad cor pertinet, ſecuti λειποθυχία ad animales etiam virtutes eum affectum pertinere ſignificat. Malè igitur exiſtimauit Mena Hiſpanus, virtutes tantummodo animales affici, nimirum neruorum, & muſculorum, quod ex Auicennæ loco comprobare conatus eſt, qui legitur libro tertio fen vndecima tractatu ſecundo capite nono hiſce verbis: *Et ſcias, quòd caſus virtutis quandoque perducit ad ſyncopem, & quandoque ad id quod eſt infra ſyncopem, vbi virtus non deſtruitur, niſi à neruis, & lacertis ipſis exiſtentibus ab ea vacuis, quare homo fit non motus, neque remouetur à ſuo ſitu, & ſtatione, niſi cum labore; & cauſa illius eſt accidens eius quod diximus. Nam cùm vehemens fit, facit cadere virtutem integrè: & ſi non fit vehemens, facit cadere virtutem neruorum, & lacertorum.* Auicenna tamen hoc loco non loquitur de ſyncope, aut lipothymia, de quibus ſatis locutus fuerat capite præcedenti; ſed de alio affectu, qui vt propriè pertinet ad caput, ita virtutem animalem lædit, ac tollit ſenſum, & motum, licèt aliquando ita augeatur, vt affecta etiam vitali virtute, ſyncopem accerſat, in qua virtus cadit integrè, id eſt, omnes virtutes, tum animales, tum vitales collabuntur: læditur autem & inſigniter vis animalis in lipothymia, vt etiam pereat ſenſus, & motus, quod ſcribit Aëtius libro quarto capite 101. per hæc verba: *Differe autem animi deliquium à ſyncope, quòd animi deliquium derepentè inuadit, ſenſu, & motu hominem priuans, & omnino non ſudans, ſyncope verò, & vigilantes, & dormientes inuadit, & omnino cum ſudoribus, qui ſyncoptici appellantur.* Nec tamen ea virtutis animalis læſio ita eſt accipienda, vt ſemper ſenſu, & motu hominem ex toto priuet, aut deſtruatur virtus neruorum, fit enim aliquando cùm vehementior eſt lipothymia, non fit aliquando; cùm non adeò vehemens, ſunt enim in eadem lipothymia, antequam perueniat ad ſyncopem, gradus, quod & in me ipſo, & aliis non ſemel vidi. Affici autem cor & virtutem vitalem, licèt non æquè ac in ſyncope, apparet non ſolùm ex voce ſeu vocabulo quod ſuperiùs proponebam, ſed etiam ex pulſu, quem variè mutari docuit Auicenna, quique notas illas exhibet, quæ, vt in ſyncope maximæ, ita in animi deliquio quod illam præcedit, exiguæ ſunt; quam etiam rem in iis obſeruare quotidie licet, qui animo linquuntur: ſed expreſsè, & nominatim, ſi neceſſe eſt, illud affirmat Galenus comment. ad Aphoriſmũ octauum libri ſeptimi per hæc verba: *Commune autem eſt omnium ruptionum exſolutio, & animi deliquium, ob vitalis ſpiritus excretionem, vt alibi oſtenſum eſt.* Et iterum comm. ad Aphoriſmum quadrageſimum primum libri ſecundi: *Quicunque verò nulla tali de cauſſa ſæpius ac fortiter exſoluuntur, ij ob virtutis vitalis imbecillitatem hoc patiuntur.* Exſolutionem autem idem eſſe ac lipothymiam antea diximus. Aduertẽdum autem, in Græco Aldino Codice pro illis quæ ſcripſimus τῆς ζωτικῆς δυνάμεως, id eſt, *virtutis vitalis*, legi, τῆς ψυχικῆς δυνάμεως, id eſt,

id eſt, *virtutis animalis*; Leonicenum tamen legiſſe ζωτικῆς, qui vertit *vitales*, quam lectionem nos approbauimus, quia candē etiam reperimus manu exaratam ad marginem eiuſdem codicis Græci, quem habemus, in quo infinitæ etiam aliæ, vulgatis meliores lectiones continentūr, quę nobis nō leue aliquando auxilium afferunt. Sed & ex cauſis vnde lipothymia fit, illę euacuationes, ſiue repletiones, aut dolores ſint, quas diſtinctè percurrit Galenus libro primo ad Glauco. capite decimo quarto, facilè colligere liceat, lædi ac debilitari vitalem virtutem. Et verò quid opus foret inciſa vena dum ſanguis effluit, pulſuum mutationi, tanquam indicio haudquaquam mendaci, animum diligenter attēdere, & è veſtigio quieſcere, pulſu alteraſcente, ſeu in magnitudine, ſeu quauis inæquabilitate, quod præcipit Galenus libro de curandi ratione per ſanguinis miſſionem capite decimo quarto, ſi in lipothymia ex ſanguinis detractione vitales vires haud paterentur, nulloq; pacto concideret pulſatilis virtus, quod ait Hiſpanus ille auctor? Lipothymiā autem eſſe dicere, neruorum & muſculorū imbecillitatem, quid aliud eſt, quàm commune & perpetuum omnium ferè morborum ſymptoma dicere? Ferè pudet ad eam rem tot argumenta attuliſſe. Iam igitur ad argumenti ex Galeno propoſiti diſſolutionem, quod multò antea debebam, redeo poſt multa; Eo autem probabatur, in angina ſanguinē mittendum eſſe vſq; ad animi deliquium, quod eſſet ſumma inflāmatio, in ſummis autem inflammationibus ea ſanguinis detractio conueniret. Reſpondemus, primùm, non omnem anginam eſſe ſummam inflammationē: quippe magnum & paruum, non ſpeciē morbi, ſed magnitudinem, & vehementiam indicant: tum concedentes in propoſito caſu anginam eſſe talem, ibique maximam ſubſiſtere inflāmationē, dicimus ratione affectus, qui adeò magnus eſt, conuenire ei miſſionem ſanguinis vſque ad animi deliquium, ſed eſſe quod impediat, reſpirationis difficultatem, quæ cùm ſit actio vitæ ſic neceſſaria, vt exiguo admodum tempore abſq; ea perdurare viuus homo poſſit, primā & omnium digniſſimam prębeat indicationem. Docet autem Galenus lib. 7. methodi medendi capite duodecimo, in complicatione affectionum, primum omnium attendendum eſſe, à quo maximè diſcrimen ægro impendere videatur. Igitur in ſummis inflammationibus, quatenus ſummæ inflammationes ſunt, & proprias exhibent indicationes, ſanguis ad animi vſque deliquium mittendus eſt; cum hoc tamen, ne id fiat, ſi aliquid impediat. At impedit in angina difficultas reſpirationis, quæ ex animi deliquio augeretur ſuccedente ad eam largam ſanguinis miſſionem, vnde illico ex ſuffocatione interiret æger. Quare copioſiùs etiam liceat mittere, vbi minor eſt reſpirandi difficultas, cum quo tamen ſtat magna anginæ vis, ſicuti inflammatis pharyngis, ſeu faucium muſculis; maxima autem reſpirationis difficultate vrgente, ſicuti inflammatis laryngis muſculis accidit, ratione huiuſce ſymptomatis quod cauendum maximè eſt, vtque

reſpiratio cum impediatur, largam ſemel factam ſanguinis miſſionem, & [illegible] declinamus, euacuationem potius partientes.

De purgatione in angina. Hippocratis loca duo ex quarto de ratione victus in acutis declarata, alterius vera lectio demonſtrata aduersùs Maſſariam.

Capvt XV.

IN angina propulſanda maximè proficuum, atque adeò neceſſarium eſſe, ſicuti venæ ſectione, ita medicamento purgante confeſtim vti, ſcriptum habemus apud omnes propemodum de medicina auctores, Aretæum, Celſum, Galenum; Alexandrum, Paulum, & apud Arabes, Rhaſim, Auicennam, & Meſuem, quorum præcepta deinde alij, in medicina faciēda admodum clari ſecuti ſunt, vſque ad noſtra tempora penè omnes; Alexander tamen Maſſaria Vicentinus inſignis eruditionis vir, purgationis hunc vſum adeò non conceſſit, vt vehementer damnauerit, & peſtiferum exiſtimauerit; & quoniam aduerſariam exiſtimabat ſe habere auctoris ſententiam libri quarti de ratione victus in acutis, textu trigeſimo, ſiue ille Hippocratis ſit, ſiue alius, vbi in anginæ curatione medicamenta attractoria auctor ille proponit; idcirco eius loci auctoritatem, interpretes qui ea loca Latina fecerunt coarguendo, ſibi conciliare conatus eſt. Nos qui de auxilij vtilitate, tot auctoribus certi ſumus, eius rationes aut proponere, aut expendere non laborabimus in præſentia; ſed ad Hippocratis locum, in cuius gratiam hæc de Maſſaria dicimus, quædam adnotabimus. Mirandum autem eſt, Maſſariam, tanquam aduerſarium Hippocratis ſelegiſſe locum, qui ex nullius quod ſciam interpretis, Galeni certè ſententia, haudquaquam eius opinioni aduerſaretur, neglecta interim eiuſdem Galeni auctoritate, qui expreſsè ac diſertis verbis, non vno in loco purgationem in angina proponit, vt Sole clarior res ſit; Nam quòd non laboret Maſſaria de Alexandro & Aëtio, & ſimilibus, vt ipſe ait, ferri fortaſſe aliquo pacto poſſet, at Aretæum, Celſum, & Galenum quis ferat ita contemni? ſed veniamus ad Hippocratis locum, quem excurere mihi inſtitutum eſt. Dixi non aduerſari eum Maſſariæ ex interpretum ſententia: quippe Latina Hippocratis verſio ex Cornario, quæ paſſim legitur, non *medicamentis quibuſdam attractoriis* habet, ſed, *eclegmatum delinctu curans*, quomodo etiam conuertit, & locum expoſuit Franciſcus Valleſius, ita ſcribens, *& curans ecligmatis.* In Hippocratis quidem textu ad quem Galeni habemus commentarios, inter Galeni

opera

opera à Iuntis edita, ex Vaſſæi interpretatione ita locus legitur, quomodo adducit cum Maſſaria: quam verſionem recepit ſimiliter Hieremias Thriuerus, qui in eundem librum commentarios ſcripſit, vt facile fuerit Maſſariæ, in re tamen minimè neceſſaria, locum de ecligmatis, ſicuti facit, non de purgatoriis accipere; nec tamen qui de attractoriis pharmacis locum exponunt, purgatoria medicamenta intelligunt. Galenus enim perſpicuè intelligit, vel de medicamentis acrioribus, quæ & ſecare, ac in tenuia diuidere, ac tum glutinoſa, tum craſſa confringere poſſint, nimirum ad gargariſandum exhibita, per hæc enim verba quæ habet Galenus in commentario, puto illa Hippocratis exponi καὶ ἀναγαργαρίζων θερμοῖσι, id eſt, *& calida exhibens gargariſmata*. Quod enim dixit Hippocrates θερμοῖσι, id eſt, calida, actia intelligit Galenus, nimirum, quæ calida facultate ſunt; etſi de iis quæ actu calefaciunt, Hippocratis verba velit accipit Valleſius, Galeni fortaſſe non aduertens ſententiam, aut ab ea vltrò diſcedens; vel rurſus, attractoria Galenus intelligit medicamenta illa, quæ exteriùs collo apponuntur, cùm ſcribit, *Praeterea & ad externam ſuperficiem reuellere oportet, circumpoſitis collo, quæ attractoria polleant facultate medicamentis.* Vtroque autem modo, quæ de attractoriis ſcribit Galenus, accipi poſſe propoſui; Nam cùm Hippocrates, cuius verba exponit Galenus, tum attractoriis medicandum ſcribat, tum ceratum collo, & capiti circumponendo, dubium eſſe poſſit, vtra ex his à Galeno intelligantur, quum ex Hippocratis doctrina vtendum attractoriis dicit; vtraque enim attractoria ſunt & calida. At vtrouis modo accipiamus, de purgatoriis ne litera quidem. Conſpicuum tamen eſſe poteſt, legiſſe Galenum eo loco, non vocem quæ ecligmata, ſed quæ attractoria ſignificaret; quare ſi ab ea quidem voce tantùm timet Maſſaria, nec in Galeni expoſitione ſibi ſatis auxilij putat, næ illi alia procuranda eſt defenſio. Quod enim tanquam nouum, multam enimuero oſtentans Græcæ linguæ peritiam ait, ſcriptum eo loco eſſe ἐκλεικτοῖσι, quod eſt ab ἐλλείχω, id eſt, *lingo*, facilè euerti poſſit; quid enim ſi leuiſſima immutatione dicamus legendum ἑλκτικοῖσι? & verò ita legendum eſſe docet Galeni commentarius, qui de ecligmatis, aut linctibus, ſeu arteriacis ne verbum quidem, de attractoriis autem, Græcè ἑλκτικοῖσι, plurima, vt vidimus. Volo tamen pro Maſſaria pugnare, & pro iis qui ἐκλεικτικοῖσι receperunt; ita enim legendum, ex alio Hippocratis loco confirmari poſſit eodé quarto de ratione victus in acutis textu vigeſimo primo, qui ita ſcriptus eſt: *Porrò ſi angina fuerit, & ſi aliud quodpiam ex pleuriticis malum, ecligmate repurgato.* Reſpondere igitur ſibi videntur loca; & verò ibidem non aliter legiſſe Galenum apparet, qui de repurgatione quæ fit per ſputa, Hippocratis locum expreſsè interpretatur. Nec verò auſim, vt ſuperiorem, ita etiam hunc locum immutandum eſſe proponere, cùm

deſtituta Galeni auctoritate, quæ contrarium potius ſuadet. Dicam tamen, quod ex loci ſententiæ conſideratione ſuccurrit, aliter quàm Galenus faciat, cum locum exponi meliùs; & quod dicitur eclignate repurgari, intelligi de medicamento purgante; Primum enim eclegmata, non tantùm linctus, & arteriaca eſſe, ſed alia etiam potionum genera, apparere poteſt ex Paulo Ægineta, qui libro 4.cap. xvij. ad lumbricos latos eclegmata apparat, cùm tamen ad lumbricos non lambendo, vel lingendo, aut ſenſim deglutiendo, ſic vt per aſperam arteriam medicamenta deferantur, ſed in ipſum protinus ventriculum delabi è re ſit; ſi autem alia quàm arteriaca, eclegmatum voce, potionum, aut medicamentorum aſſumptorum genera intelligere poſſumus; quid vetet intelligi purgantia, ſi ad Hippocratis ſententiam de eclegmatis, id eſt, linctibus ſeu arteriacis ineptus ſenſus, de purgantibus maximè accommodatus ſit? Et verò rem ita ſe habere oſtendo; nam cùm Hippocrates eo loco vniuersè in morbis magnis ſanguinem eſſe mittendum propoſuiſſet; de angina & pluriticis malis particulatim loquutus, aliáque proponens auxilia, ſcribit hoſce morbos eclegmate eſſe repurgandos, quòd ſi ægri imbecilliores appareant, vel plus ſanguinis quàm oportet miſſum fuerit, clyſma tertio quoque die infundendum. Vult igitur clyſma eclegmati ſubſtitui, eiúſque vicem ſuſtinere, ſi modò ægri vires ſint debiliores; At verò quomodo clyſmata debilioribus conueniant magis quàm arteriaca; ſi clyſmata vires reddunt debiliores, maiorem ſpirituum copiam educentia? aut quomodo clyſmatum vicem ſuſtinere poſſint eclegmata, cùm illa totum corpus, ſed potiſſimùm inferiora, hæc verò exiguam quandam partem, & ſuperiùs poſitam euacuacent? Nec verò de arteriacis illud dici poteſt, maiores ab ipſis requiri vires. quòd per ſpiritus viam fiat humoris eductio, quod abſque virtutis animalis robore contingere non poſſit, quod multi medicinæ profeſſores aduertetunt: id enim verum eſt, quum à longinquo loco, vt à pulmone aut thorace eductio fit, at à gutture, & faucibus adeò proxima via eſt, adeóque facilis tranſitus, vt minimo virium robore indigeamus, ſi quidem per eas partes expurganda ſit quæ anginam efficit materia, quod tamen cùm vix contingat, déque ea expurgatione vix à medicinæ ſcriptoribus quicquam ſcriptum fuerit, præterquàm loco de quo agimus (qua de re etiam fuit à nonnullis Hippocrates, ſeu auctor ille reprehenſus) ideo de purgatione, quia totum corpus euacuatur, intelligi locum exiſtimo, quam purgationē ſi non ferant præ imbecillitate ægri, clyſterem ſubſtituet, qui eandem humoris ſpeciem, & per eandem viam, ſed minori cum virium neceſſitate, earúmque minori diſpendio, purgãtis medicamenti vicem gerit, quod in multis etiam aliis morbis, & ipſe Galenus ſcribit, & alij de medicina auctores. Si autem de medicamento purgante hic locus accipiendus eſt, vbi eclegma ſcribitur; multò magis de eodem accipiam locum alterum ſcriptum tex.xxx. quem initio propoſui, & quo attractorus etiam medicandũ

proponebat

proponebat Hippocrates, ſi quidem lectionē Galeni ſequimur, quæ enim purgant attrahendi vi purgant, vt ex Galeno in primis notum eſt. Cùm.n. ibi vetuſtiſſimus auctor omnia ferè auxiliorum genera ad anginæ curationem proponat, quare auxiliū adeò efficax, aut potiùs ſummè neceſſarium prætermiſiſſe dicamus? Non igitur ἐκλεικτοῖσι legendū, qua voce nitebatur Maſſaria, ſed ἑλκτικοῖσι ex Galeni commentario, quod ſi ſit, iam non de arteriacis, ſed de purgantibus totum corpus, locus meritò accipendus videatur; quod etiam dicimus, ſi legatur ἐκλεικτοῖσι, & eodem modo accipiendus alter, in quo eclegma abſque controuerſia ſcriptum eſt. Cùm hæc ſcripſiſſem, conſului Aldinæ editionis codicem Galeni Græcum quem habeo, ad cuius oram calamo exaratæ penè infinitæ ſunt locorum variæ lectiones, cuius libri antea quoque mentionem feci: erat autem ex illis vna hæc: nam pro ἐκλεικτοῖσι, repoſitum erat ἑλκτικοῖσι. Ego autem mirificè lætatus ſum, quod coniectura aſſecutus fueram, eius codicis auctoritate confirmari, nec lectorem ea de re celare volui.

De laryngotomia ſeu gutturis ſectione in angina. Pauli locus expenſus, & declaratus. Veterum, & recentiorum ea de ſectione opiniones. Aretæus refutatus.

Capvt XVI.

SCita eſt Hippocratis ſententia primo libro Aphoriſmorum ſcripta, extremis morbis extrema conuenire remedia. Inde cùm in venæ ſectione, aut purgatione nihil fuit auxilij aduersùs malum, ad ferrum & ignem confugiunt Medici, quæ auxiliorum eſſe extrema idem vetuſtiſſimus auctor memoriæ prodidit. Fuerunt autem ſectiones, & vſtiones magis vſitatæ temporibus antiquis: quippe earundem vſum, vt credibile eſt, meliùs nouerant, & audentiores erant antiqui: ſecabant enim, & vrebant non ſolùm hydropicos, pleuriticos, & purulentos paſſim, ſed in variis capitis affectionibus, ſumma cum vtilitate temporum arterias, multáſque alias partes variè, vt legere licet apud Paulum libro ſexto, & apud Albucaſim, quarum partium ſectiones hodie penitus omiſſæ ſunt. Inter has ſynanchicorum ſectio fuit, de quibus ſolis in præſentia quædam addere libet. Dicebatur hæc operatio λαρυγγοτομία à Græcis, & Græco ſimiliter nomine laryngotomia dicitur à Cœlio Aureliano, medicinæ Latino ſcriptore lib. tertio acutarum paſſionum cap. quarto, ſcilicet laryngis, aut ſupremæ gutturis partis ſectio. Hanc antiquiſſimam fuiſſe ex eodem Aureliano diſcere licet, qui Aſclepiadem refutat, eam tanquam à veteribus accetam approbantem. Hoc Aſclepiadis placitum legimus etiam in libro, cui

titulus Introductio, aut Medicus, cap. xiv. vbi cùm ad anginam varia propoſuiſſet auxilia, hæc ſubiicit: *Aſclepiades autem in iis, qui extremè ſuffocantur, laryngo omia etiam vtitur.* Paulus Ægineta cap. vigeſimo tertio libri ſexti, hanc operationem ex Antyllo proponit, eiúſque modum adſcribit. Verba autem, quæ initio capitis protinus ſcripta ſunt, quoniam non vno modo leguntur, impoſuerunt Nicolo Florentino, atque etiam Rhaſi, vnde fortaſſe in Nicolum deductus eſt error, vt exiſtimarent à Paulo, ſeu potius ab Antyllo improbatam eſſe eam gutturis ſectionem, quæ ab ipſis recepta fuerat. Altera enim lectio ita habet: ἐπὶ μὲν τῶν συναγχικῶν ὡς κατὰ τὸν διαιτητικὸν παραδώσομεν τρόπον, ἀποδοκιμάσομεν τὴν χειρουργίαν, ἀνωφελοῦς γινομένης τῆς διακοπῆς ἐφ' ὧν πᾶσα ἡ ἀρτηρία, καὶ ὁ πνεύμων πέπονθεν. ἐπὶ δὲ τῶν περὶ στόμα, καὶ ἀνθερεῶνα τὴν φλεγμονὴν ἐχόντων, ἢ καὶ ἀντιάδων ἐπιπωματιζουσῶν τὸ τοῦ βρόγχου στόμα, ἀπαθοῦς μὲν οὔσης τῆς ἀρτηρίας, εὔλογον χρῆσθαι τῇ φαρυγγοτομίᾳ πρὸς τὸ ἐκφυγεῖν τὸν τοῦ πνιγμοῦ κίνδυνον, id eſt, *In ſynanchicis quidem, vt dicemus, cùm locum tractabimus de ratione victus, Chirurgiam improbamus, quippe inutilis eſt diſſectio, in quibus tota arteria, & pulmo affectus eſt: in ore autem, ac gula inflammatione detentis, aut etiam tonſillis aſpera arteria os operientibus, arteria haudquaquam affecta, rationi conſonum eſt vti pharyngotomia, ad euitandum ſtrangulationis periculum.* Altera autem lectio ſic: ἐπὶ μὲν τῶν περιπνευμονικῶν, ὡς κατὰ τὸν διαιτητικὸν παραδώσομεν τόπον, ἀποδοκιμάσομεν τὴν χειρουργίαν, ἀνωφελοῦς γινομένης τῆς διακοπῆς, ἐφ' ὧν πᾶσα ἡ ἀρτηρία, καὶ ὁ πνεύμων πέπονθεν. ἐπὶ δὲ τῶν συναγχικῶν, καὶ περὶ στόμα, καὶ ἀνθερεῶνα τὴν φλεγμονὴν ἐχόντων, ἢ καὶ ἀντιάδων ἐπιπωματιζουσῶν τοῦ βρόγχου στόμα, hoc eſt, *In peripneumonicis autem, ſeu pulmonariis, vt dicemus cùm locum tractabimus de ratione victus, chirurgiam improbamus, inutilis cùm ſit diſſectio, in quibus tota arteria, & pulmo affectus eſt. In ſynanchicis autem, & circa os atque mentum inflammationem experientibus, aut etiam tonſillis operientibus aſperæ arteriæ os, arteria haudquaquam affecta, rationi conſentaneum eſt vti pharyngotomia, ad euitandum ſtrangulationis periculum.* Idem autem in præſentia eſt pharyngotomia, ac laryngotomia, pharynx enim & larynx idem aliquando ſunt, vt ſcribit Galenus. Si igitur locus ita legitur, vt poſteriùs propoſuimus, ſicut nonnulli codices habēt, res caret ambiguitate: Quippe improbatur illud chirurgicum opus, ſeu manualis adminiſtratio in peripneumonicis, aut pulmonariis; dicitur autem rationi conſentanea in anginoſis. Si autem legatur priori modo, res quidem non ita expedita eſt, ſed tamen aduertenti non obſcura; ſentit enim Paulus, laryngotomiam non in omnibus anginoſis vſurpandam eſſe, ſed in quibuſdam improbat, in quibus nimirum vnà cum larynge affecta eſt tota arteria, & pulmo: ita enim inſanabile eſt malum, nec per ſectionem illi ſuccurritur, quare veluti inutile auxilium reiiciendum eſt: At in ſynanchicis, in quibus tota arteria haud affecta, opportunum & ſalutare eſt auxilium, cuius vſurpandi rationem ac modum ſequitur ad oſtendendum. Ex Græcis hanc gutturis ſectionem videtur habere ſuſpectam Aretæus, auctor

ctor non paulùm Ægineta antiquior. Ille enim libro quinto capite ſeptimo ea de re ita ſcribit : *Quicumque autem ſtrangulationem, quæ ab angina eueniet, quo laxius ſpiritus duceretur, arteriam ſecuerunt, non ſanè experimento rem comprobaſſe videntur. Nam & caliditas inflammationis maior ex vulnere efficitur, & ſtrangulatum adauget ac tuſſim commouet. Quin etiam ſi aliqui periculum id euaſerunt, vulneris ora in vnum coaleſcere nequeunt, ambæ enim cartilagineæ, atque inter ſe inglutinabiles ſunt.* Improbauit eandem ſectionem Cœlius Aurelianus methodicæ medicinæ ſcriptor Latinus, qui & Aſclepiadem ea de re libro tertio acutarum affectionum capite quarto reprehendit. Cùm enim illius opinionem tanquam à veteribus ductam propoſuiſſet Aurelianus, paulò pòſt eam refutans ſcribit : *Eſt etiam fabuloſa arteriæ ob reſpirationem diuiſura, quam laryngotomiam vocant, & quæ à nullo ſit antiquorum tradita, ſed caduca, atque temeraria Aſclepiadis inuentione affirmata, cui ne nunc occurrentes, Latinis reſpondere videamur, aut tantum ſcelus anguſta oratione damnemus, libris quos de adiutoriis ſumus ſcripturi, reſpondebimus.* At Arabes omnes eandem receperunt. Rhaſis enim tertio libro continentis capite ſeptimo ſcribit, ſe vidiſſe Ancilifium quendam medicum ea curatione vtentem, rationémque ſectionis & ipſe proponit, quam tamen non eſſe vſurpandam niſi ſub ipſo extremo vitæ diſcrimine affirmat; tum iuxta Pauli ſententiam, hoc curationis genus euitandum eſſe dicit, qua tamen in re deceptus eſt, vt antea oſtendimus. Auenhoar libro primo tractatu decimo capite xiv. eiuſdem ſectionis ſummi gutturis meminit, qua tamen ſe nunquam vſum fuiſſe dicit, quòd admodum difficilem exiſtimaret, nec vnquam ab aliquo ea tempeſtate in vſum reuocatam vidiſſet : fieri tamen poſſe ſcribit, inciſionémque debere eſſe ad quantitatem foraminis naris, aut parum minorem; id reſpexit vt puto Auenhoar, quòd reſpirationis gratia facta inciſione, quæ naris vno foramine fit, ſufficiat ad vitam; & quoniam erant qui dicerent, Galenum eiuſmodi inciſionis nunquam meminiſſe, eos mentiri ſcribit Auenhoar, meminiſſe enim Galenum ex loco quo etiam incidere ſiphac, id eſt, abdomen præceperat. Ego tamen huius loci nullam habeo notitiã. Subdit Auenhoar voluiſſe ſe inciſionem experiri in capra, cuius in aſpera arteria incidit corium, & pelliculam, nimirum membranam quæ ſubtus poſita eſt, & de ipſa aſpera arteria ſeu canna pulmonis, vt ipſe dicit, aliquid minus lupino : tum abluto quotidie vulnere aqua mellis, & inſperſo puluere aſtringenti, fuiſſe capram ſanitati reſtitutam. Cum hoc tamen, quia neminem viderat, qui ea curatione in anginoſo vſus eſſet, primus inſtituere eam minimè voluit. Eandem gutturis ſectionem habemus apud Auicennam lib. 3. fen nona, tractatu primo capite xj. qua vtendum eſſe ait, quum anginæ ſunt vehementiſſimæ, & nihil proficiunt medicinæ, & certa creditur futura perditio, vt ipſe loquitur, aut eius interpres. Docet autem modum ſectionis, nimirum ſcindenda

denda eſſe ligamenta quæ ſunt inter duos annulos cannę,vt ibidem ſcribitur, & reliqua, quæ apud ipſum videre eſt, quem modum legimus etiam apud Rhaſim. Alpharanius tractatu xj. cap. tertio eandem probat vbi reliqua auxilia nihil profuêre, quod in libris chirurgiæ ſe determinaſſe ſcribit: Albucaſis parte ſecunda chirurgiæ, capite quadrageſimo tertio, hanc eandem, vt multas alias noſtris temporibus minùs conſuetas ſectiones proponit: non admittit autem ſemper, ſed Pauli Æginetæ verbis recitatis, nomine omiſſo videtur eam improbare, cùm eodem modo ac Paulus probet, referens ad finem capitis hiſtoriam ancillę cuiuſdam quæ gladio, inflicto ſibi in guttur vulnere, partim gutturis incidit, quæ tamen ſanitati fuit reſtituta. Apparet igitur falſum eſſe quod Aretæus proponebat, vulnus in gutture non poſſe glutinari, quippe & Albucaſis in ancilla, & Auenhoar in capra fuiſſe glutinatum affirmant. Docent autem, qui modum ſectionis præſcribunt, non eſſe cartilagines abſcindendas, ſed vincula quædam membranoſa, annulos illos alterum alteri colligantia, quod nominatim ex Auicenna ſuperiùs propoſuimus. Hæc de eiuſmodi ſectione ex auctoribus antiquis. Inter recentiores approbauêre multi, aliqui etiam in vſum reuocauerunt. Scribit enim Hollerius Stempanus libro primo de morborum curatione capite vigeſimo tertio in ſcholio, quum quidam ægrotus angina ſuffocaretur, iuſſiſſe ſibi abſente medico gurgulionis finem amputari, & ſeruatum fuiſſe. Ioacchinus Emporienſis in commentario ad librum nonum Rhaſis ad Almanſorem capite de angina, poſt multa propoſita remedia, ea de re ita ſcribit: *Poſtremũ in deſperatis remediũ eſt arteriæ aſperæ inciſio, quod etiam veterũ inuentũ fuit: ætate noſtra, quod ſciam, factum non eſt; quomodo autem fieri debeat, optime declarant, & eſt citra periculum, interim enim aut reſoluitur prorſus, aut ad ſuppurationem venit, & liberantur.* In his tamen non poſſum approbare, quod dicit Ioacchinus, hanc ſectionẽ eſſe citra periculum, quæ ab antiquis ſcriptoribus, vt vidimus, maximè timetur, & præſertim ab Aretæo. Et verò quomodo poſſit eſſe citra periculum, quum & vaſa inſignia ſint admodum proxima, quorum inciſio periculi plena eſt, & difficilè glutinari poſſit vulnus? non eſt tamen eiuſmodi, vt in extrema neceſſitate non ſit tentanda, quod iidem antiqui auctores præcipiũt. Similiter quod ſubiicit Ioacchinus: *Interim enim, vel reſoluitur prorſus, vel ad ſuppurationem venit, & liberantur*, quid valeat neſcio; non enim ſectio illa aut ad reſolutionem, aut ad ſuppurationem quicquam facit, ſed ad reſpirationem ſolam adiuuandam, quæ cùm ſua & conſueta via fieri non poſſit, nouus aditus incluſo ſpiritui eſt aperiendus. Braſauolas in commẽtario ſuper quartum librum de ratione victus in acutis, teſtatur ſe cùm imperitus quidam chirurgus non auderet in anginoſo iam morti propinquo, eam ſectionem aggredi, propriis manibus ægroti guttur diſſecuiſſe, quod & in aliis pluribus felici cum ſucceſſu ſe tentaſſe ſcribit. Antonius Beniuenius Florentinus in libro de abditis morborum cauſis, non quidem guttur diſſecuiſſe,

diſſecuiſſe,ſed anginoſo ab aliis medicis omnino derelicto, & cuius erat deſperata omnino ſalus,iamq; funeri deſtinato, adhortantibus etiam aliis qui ægroto adſtabant,locum ſub ipſis maxillis,ac etiam ſupra collū, altioribus plagis incidiſſe ſcribit;ex quo quum ſanies multa prorupiſſet, adeo morbum leuatum eſſe ſcribit,vt faucibus ipſis ſpiritū ſimul & cibum capientibus,facilis deinde ad bonam valetudinē daretur recurſus.Hæc autē plagarum inflictio altè ſub ipſis maxillis & ſupra collum propoſita etiam fuit à Celſo libro quartó capite quarto, non tamen guttur attingit; aut ipſum vulnerat. Hæc igitur, quæ alioquin nonnullis temeraria videri medicina poſſit, tot virorum auctoritate poſſit à nobis in deſperatis anginoſis cum ratione tentari. Nec deterrent Aretæi rationes. Quippe de vulneris glutinatione iam exemplis res eſt comprobata. Quod autem ſcribit ex vulnere augeri caliditatem inflammationis, augeri ſtrangulationem, & oboriri tuſſim, reſpondemus, haud eſſe credendum, ex ſectione augeri caliditatem inflammationis effuſo ſanguine ex partibus inflammatis, aut ei proximis, in quo ſanguine poſita eſt caliditas; tum quantumuis ea augeretur, præſtat adhuc, vel cum incremento caliditatis incluſo ſpiritui aditum patefacere, ex eo præpropera imminente morte, quum caliditati incolumi, vita aliis deinde ingeniis prouideri poſſit. Augeri autem ſtrangulationem, ô bone Aretæe,concede vt tibi non credam, quî enim hoc fiat, ſi reſeratur aditus ſpiritui, qui antea erat clauſus? & licèt quantumuis fingas ex vulneris dolore, aut etiam calore, ſanguinem confluere ad locum inflammatum, ſemper enim data porta ingredietur, & egredietur ſpiritus. Quod verò de tuſſi adiicit, neque locum habet: non enim ſectio impedimentum aliquod curſui ſpiritus apponit, vt tuſſis excitetur: quandiu autem per viam læuem & æqualem ſpiritus fertur, nec aliquo offendit, tuſſis non eſt; exit autem ſpiritus, cùm ad vulneris foramen peruenit.

Sanguis ſpumoſus unde feratur. Qualis ex neceſſitate à pulmone. Qualis ab aliis partibus. Locus Hippocratis ex Coacis prænotionibus declaratus.

CAPVT XVII.

INter ſanguinis indicia à pulmone excreti, præcipuum quod obſeruatur ex Hippocratis Aphoriſmo tertio decimo libri quinti, ſpuma eſt. Duo autem hîc quæruntur. Alterum: vtrùm quicunque à pulmone reiicitur ſãguis, ille ſit ex neceſſitate ſpumoſus, nec niſi eiuſmodi ab eo reiici poſſit; vt ſic argumentari liceat; non eſt ſanguis ſpumoſus, igitur non eſt à pulmone. Alterum: vtrùm quicunque ſpumoſus eſt, ille ſẽper, & neceſſariò ſit à pulmone, vt ſic; colligere poſſimus, Sanguis eſt ſpumoſus, igitur à pulmone. Ad primum reſpondet Galenus in commentario Aphoriſmi propoſiti, atque etiam commentario ad Aphoriſmum x x x. libri ſeptimi. Non verè dici, vlcerato pulmone ex neceſſitate ſpumoſum ſanguinem expui, poſſe quippe etiam non ſpumoſum ex pulmonis vulnere prouenire: dicimus autem in præſentia vulnus, quod vlcus dixit Galenus, quia eo nomine verè vulnus magis quàm vlcus intelligit hoc loco Galenus, vt paulò pòſt liquidò patebit. Dictum probat Galenus experimento: ſe enim vidiſſe ſæpius, quibuſdam ab alto cadentibus, aut calce petitis, aut percuſſis in palæſtra ea ictus forma, qua altera ad ſolum ruenti, aliter ſuper pectus incidit, ſanguinem plurimum cum tuſſi optimè coloratum, abſque vllo dolore excretum, quem ratio dictaret, ab aliquo pulmonis vaſe diſrupto prodire. Ex his colligitur, nomine vlceris, vulnus paulò antea intellexiſſe, ad vaſorum enim raptionem pertinet potiùs vulnus, quàm vlcus. De ſanguine aũtem ſpumoſo, eodem commentario agens Galenus, ac etiam commentario ad Aphoriſmum trigeſimum libri ſeptimi, ſcribit prodire cum de carnoſa pulmonis ſubſtantia, quod eſt ipſius proprium corpus, atque adeò de ipſius viſceris propria carne aliquid inde ſimul auferri, eiúſque vlcus ideo indicari, qui verò abſque ſpuma prodire dictus eſt de pulmone, ſanguis ille de venis eſt pulmonem nutrientibus. Pulmonis enim corpus leue exiſtens, rarum, & veluti ex ſpuma quadam ſanguinea concreta conflatum, ſicuti ſcribit Galenus vj. de vſu partium capite decimo, vbi ex ſe aliquid emittit, tale enimuero, hoc eſt, rarum, & ſpumoſum, apparere neceſſe eſt: ſed qui ex venis redditur, quamquam tenuior, leuior, & magis vaporoſus ſit, quàm qui in aliis venis, non eſt tamen ſicuti ille qui de ſubſtantia viſceris auffertur, ſpumoſus. Ita qui de ſubſtantia, & carne pulmonis emittitur, ille ex neceſſitate eſt ſpumoſus, qui autẽ de venis, non talis. Eandem doctrinam,

de

de Galeno, vt credere par eſt, deſumptam, habemus apud Auicennam capite de ſputo ſanguinis, vbi ſanguis de ſubſtantia pulmonis excretus, ſpumoſus proponitur, de alio autem, qui ex venis, dicit eum non eſſe ſpumoſum. Hæc vera cum ſint, indigent tamen aliqua diſtinctione. Quippe ex pulmonis vaſis etiam aliquo pacto ſpumoſus prodire poteſt ſanguis, quæ res in alterius quæſtionis explicatione patebit vberiùs, quam iam aggredimur. Quærebamus igitur, num ſpumoſus ſãguis aliunde etiam quàm ex pulmone offendi poſſit? Reſpondet autem ſimiliter Galenus eodem libro quinto Aphoriſmorum xiij. ſolius pulmonis vlcera à ſpumoſo ſanguine indicari, vt bene colligere liceat, Sanguis eſt ſpumoſus, igitur à pulmone, quod alij etiam de medicina auctores affirmare videntur, præſertim Arabes, vt Rhaſis, Serapion, & Alfarauius, qui ſanguinem ſpumoſum vulnerati pulmonis indicium proprium proponunt, & Galenus quinto de locis affectis, cum ſanguinem efficaciſſimum ſignum eius rei eſſe dicit. Verùm non caret difficultate, & controuerſia hæc reſponſio. Nam idem Galenus commentario ad Aphoriſmum trigeſimum libri ſeptimi ſcribit, eos qui morbo laterali laborant, aliquando ſpumoſum expuere, licèt rarò, & eos etiam, quamquam rariùs, qui pulmonis inflammationem patiuntur. Et Auicennas etiam, hoc idem ex ſpuma ſignum ſanguinis de pulmone excreti cùm proponeret, tanquam non ſoli pulmoni conueniret, addit & ipſe; *Et quandoque expellunt ſpumoſum pleuretici, & peripneumonici.* Præterea qui ex pectore educitur, eundem cum ſpuma eſſe dicit, & qui ex aſpera arteria, per hæc verba, *& quandoque eſt ſpumoſus ex canna pulmonis*, quod etiam habemus apud Aretæum, ac Paulum. Poſtremum Hippocrates in libro de Coacis prænotionibus, de hepate ſpumoſum prodire ſcribit per hęc verba Latinè: *Quicunque ſanguinem ſpumoſum ſpuunt, dextrum præcordium dolentes, de hepate ſpuunt, & multi pereunt.* Primùm dico, quod pertinet ad cognitionem affectus rem non eſſe difficilem, quæ enim propoſitæ ſunt ex membrana ſuccingente coſtas in pleuritide, aſpera arteria, thorace, & iecinore ſanguinis reiectiones, illæ vt alia indicia ab eiſdem auctoribus comprehenſa omittantur, cum dolore plus minus ſunt; at de pulmone abſque dolore, quod teſtatur Galenus eodem commentario ad Aphoriſmum xiij. libri quinti, ſed ex Hippocratis, Galeni, & Arabum dictis obortam difficultatem hac ratio non expedit. Quippe nil aliud intuentem, ita ex illis Auctoribus ratiocinari licere diximus: ſpumoſus eſt ſanguis, igitur à pulmone. Si vero aliunde ſpumoſus prodeat, vt ex membrana ſuccingente, aſpera arteria, thorace, atque iecinore, iam ita malè colligatur. Hollerius Stempanus adeò certum putauit ex auctoribus recitatis, ſpumoſum ſanguinem affecti pulmonis eſſe ſignum, vt in commentario ad locum allatum ex Coacis prænotionibus, ſententiam illam tanquam minùs veriſimilem non acceperit, ſed potiùs damnauerit. Sed quando, & hic ex Coacis locus noſtris ſit ſuſtinendus, & alia præter eum

M 2 ſint

ſint adiuncta, omnibus vt ſatisfaciamus enitendum eſt. Non incommodè igitur rem totam mihi diſtinguere videtur Gentilis, cuius ſententiam video etiam ſecutos recentiores clariſſimos, & eruditiſſimos viros: quare vtile eſſe putaui de re adeò neceſſaria eius opinionem totam comprehendere. Scribit igitur eruditiſſimus hic Auctor ſanguinem de ſubſtantia pulmonis emiſſum, neceſſariò eſſe ſpumoſum, quippe non diſſimiliter affectus eſt ſanguis pulmonis ac ſubſtantia ipſa pulmonis; inde ſequitur eum ex neceſſitate eſſe ſpumoſum: ſicuti enim in pulmonis ſubſtantia aër, & vapores continentur, minimis particulis diuiſi in minimis anfractibus ſpongioſæ carnis pulmonis, eodem modo ſanguis in ſubſtantia pulmonis diuiditur & ſpumeſcit. Verumtamen poteſt etiam ſanguis, ex aliis quoque corporis partibus per os redditus, eſſe ſpumoſus: qui enim per hanc partem commixtione ſaliuæ egreditur, poteſt apparere ſpumoſus duabus ex cauſis. Altera eſt, mixtio aëris, non enim poteſt ab illis regionibus venire, niſi ſocio aëre, cuius impetu extrà fertur, commixtus autem aër; & minimis particulis diuiſus ſpumam efficit. Altera cauſa eſt, quia fieri poteſt, vt vehemens calor in partibus reſpiratoriis coniungatur, ſicuti cùm in pleuritide ea peripneumonia expuitur ſanguis; *huius* enim feruore fit ſpuma, velut in viridi ſpumoſo ſputo, quod proponitur libro ſecundo Pronoſticorum, commentario quarto, ſed hoc non eſt perpetuum, licèt frequenter contingat. Non enim propoſitæ ſpumæ ſemper concurrunt: nam calor igneus raro, aëris autem vicinia & ſocietas non reddit ſanguinem perpetuò, & ex neceſſitate ſpumoſum; fieri enim poteſt, vt ſanguis ſit adeò viſcidus & craſſus, vt ab aëre ſocio non poſſit diuidi, nec ideo ſpumeſcere. Hinc fit, vt cum breui itineris, temporiſque ſpatio ſocium ſe præbet ſanguini aër, contingat & non contingat eſſe ſpumoſum, ſicuti cùm mittitur ex aſpera arteria, quare cautè dixit Auicenna, *& quandoque eſt ſpumoſus ex canna pulmonis*; qui autem ſanguis à pectore redditur, longo iteneris ſpatio ſocius aëri eſt, frequentiúſque ideo contingit eſſe ſpumoſo, & raro fit, vt ſpumam aliquam non habeat, & ideo abſolutè de eo dixit Auicenna: *eſt cum ſpumoſitate quadam, & ſpuma.* Tum proponit Gentilis, quod propriè pro locorum conciliatione quærimus ſpumæ carnis pulmonis, & aliarum partium diuerſitatem. Dixit enim Gentilis multùm differre ſpumoſitatem in ſanguine qui eſt ex carne pulmonis, à ſpumoſitate ſanguinei venientis ab aliis quibuſdam partibus: Primùm quidem ratione formæ, & habitus ipſius ſpumæ, ſpuma etenim, quæ in ſanguine apparet veniente à ſubſtantia pulmonis eſt minuta, profunda, infinitíſque penè bullis diſtincta per vniuerſam ſanguinis ſubſtantiam, vt ſanguis fermè vniuerſus videatur quædam ſpuma; tum ratione coloris, qui ad albedinem quandam inclinare

dinæ videtur, idque ob duas cauſas. Altera, quoniam iam aliquatenus ſpes recedit a forma ſanguinis, ac tendit ad formam humiditatis ſecundæ. Altera, quòd aër minis partibus ei commixtus reddit ipſum magis lucidum, id enim aër ſua natura efficit. At ſi ſanguis ab aliis partibus effundatur, non erit per eum modum ſpumoſus; non enim ſpuma imis illius partibus ſic inhæreſcit, nec minutis illis bullis ita diſtincta eſt, cùm in ſanguine non ſit aër per ſingulas quaſque minimas particulas ita diuiſus, ſicuti in eo qui in carne pulmonis continetur. Subiicit poſtremum Gentilis, rarò contingere ſputum ſanguinis de carne pulmonis excreti, quin ſit ei etiam iunctum ſputum ſanguinis ex vena in eodem viſcere diſſoluta, ſicuti etiam, neque hoc abſque illo, quanquam æſtimatione hoc frequentiùs contingere poſſe videatur, ſenguinem à vena ſine carnis ſolutione prodire. Hæc omnia à Gentili propoſita ſunt. Cuius ſententiam præſertim de ſpumæ diuerſitate, vel ex pulmonis carne, & ſubſtantia, vel ex venis delati, ſecutus eſt Thomas Rodericus à Veiga in commentario ad caput ſextum libri quarti de locis affectis, vbi Galenus, ſicuti diximus, ſpumam proponit eſſe efficaciſſimum ſignum ſanguinis de pulmone excreti, Rodericus tamen ſpumæ tres veluti gradus conſtituit per hæc verba: *Alterum caput alterius curaturo ſummopere neceſſarium, ſeparare thoracis ſanguinem ab eo, qui affecto pulmone prodit; vocat autem efficaciſſimum pulmonis ſignum ſpumam: & quod magis miremur in Aphoriſmis habet; ſi ſpumoſus eſt ſanguis, è pulmone prodit, ſi ex pulmone non ſemper ſpumat, nempe vbi ex vaſis prodit, quæ non ſatis cohærere videntur cũ eo, quod legimus ab Hippocrate, in pluritide nonnunquam ſputum ſpumans videri. Et Paulus ex gutture ſpumoſum ſanguinem prodire docet, propter commercium reſpirati aëris: & Auicenna ex pectore ob eandem ipſam cauſam, ſed aliud eſt, nonnihil ſpuma permixtum educi, quod in illis caſibus apparet, aliud ex toto ſpumeſcere, quod ſolius ſubſtantiæ pulmonis proprium eſt. Ita poſſunt tres ſpumæ veluti gradus in excreto notari ſanguine, aut enim omnino ſpumans eſt ex viſceris carne, cuius induit ſimilitudinem: eſt enim pulmo coagulata ſpuma, aut plurimum ſpumans è pulmonis vaſis, aut ſpuma permixtus ex thorace ipſo, & gutture.* Hæc ferè ad verbum ſecutus eſt Iacotius in commentario ad locum ex Coacis recitatum, cùm enim controuerſiam propoſuiſſet, & vtriuſque ſanguinis diſtinguentes aliquas notas antea comprehendiſſet, tum pro locorum conciliatione de ſpuma ita ſcribit: *Quod ad ſpumam verò pertinet, vndecumque fluat, nonnihil ſpuma permixtum habere poteſt, ex viſcida, & aërea ſubſtantia ſecum mixtus: At ex toto ſpumeſcere ſolius ſubſtantiæ pulmonis proprium eſt. Itaque rectiſſimè ſpumam in tres veluti gradus diſtinguunt. Nam cùm leuiter ſpumæ permiſcetur ſanguis, ex gutture, thorace, hepate prodire poteſt, cùm verò plurimùm ſpumat, è pulmonis vaſis effunditur, cùm totus ſpuma eſt ex viſceris carne, cuius induit ſimilitudinem*

tudinem: Eſt enim pulmo, veluti coagulata ſpuma. Hæc manifeſtè Iacotius a Veiga ſumpſit, ſed vt Veiga Gentilis nomen ſubticuit, ex cuius penu ſua locupletabat, ita iure Veigæ nomen à Iacotio eſt ſuppreſſum. Nos autem ſua vnicuique reddere probi viri munus eſſe putantes, cui illa deberentur palàm fecimus. Atque hæc quidem ab illis Auctoribus per eum modum & optimè dicuntur, atque ex ſpumoſi ſanguinis varietate inuicem conciliantur: at verò Aphoriſmi tertij decimi veritas, alia etiam ratione ſuſtineri fortaſſe poſſit. Quippe omnem ſpumoſum ſanguinem, præter eum qui eſt ab aſpera arteria, qui ſupra pulmonem eſt, a pulmone ferri dicimus, vel mediatè, vel immediatè, vt loquuntur; qui enim à membrana ſuccingente coſtas, à thorace, & ab hepate fluit, non funditur quidem à pulmone primùm, ſed cùm ipſi per pulmonem via ſit, ab eo etiam fertur; vt non falſa dicat, qui dicat eum ex pulmone ferri. Et Aretæus quum ſanguinem de thorace excretum, minimè ſpumantem eſſe propoſuiſſet, ſubdit: *ſi autem & pulmo, ex tranſitu ſanguinis ſimul patiatur, aliquid ſpumæ conſequitur, via enim ex thorace in arteriam per pulmonem eſt*; tanquam ſpumam trahat ille ſanguis à pulmone. Eadem porro tandem via pergit etiam, qui à ſuccingente membrana, ea à iecinore prodit; hic enim per venæ cauæ ramum in dextrum cordis ventriculum, tum in pulmonem aſcendit. Solus non attingit pulmonem, qui ab aſpera arteria fluit: at verò hæc cùm pulmonis meatus ſit, pulmonis nomine ſi eam comprehendamus, iam ſpumoſus omnis ſanguis qualiſcunque eſt, ille à pulmone erit, quod per Hippocratis Aphoriſmum vniuersè dicitur.

De Rheumate, Catarrho, Influxione, & diſtillatione; Alcomarij lapſus. Duo Galeni loca ad catarrhum pertinentia malè de Græco verſa, emendata. Argenterius notatus.

CAPVT XVIII.

PROPONAM in hoc capite quædam pertinentia ad catarrhum ſeu diſtillationem, ex quibus occaſio erit emendandi duo Galeni loca, alterum lib. tertio Aphoriſmorum duodecimo, alterum libro tertio de cauſis ſymptomatum capite quarto, quorum ille à Leoniceno, hic à Linacro ita conuerſi ſunt, vt falſam ſententiam continere videantur. Igitur duo ſunt nomina, ſeu duæ voces apud Græcos medicos, ſed potiſſimùm apud Galenum, cuius doctrinam proponimus ῥεῦμα & κατάῤῥος, quibus apud Latinos fluxio, & diſtillatio reſpondeant, licèt aliquando fuerint confuſa, vt oſten

oſtendemus. Sed Græcas primùm voces, quibus iam ſatis noſtrorum etiam medicorum aſſuetæ ſunt aures, explicabo; de Latinis deinde dicam. Igitur Rheuma ſignificat vniuersè omnem motionem cuiuſlibet humoris, à qualibet parte noſtri corporis ad quamlibet, vnde & à Galeno dicitur aliquando ἐπιῤῥοὴ τῶν ὑγρῶν, id eſt, *affluxio humoru*: Catarrhus autem particularis quædam fluxio eſt, particularémque adeò affectionem, ſeu morbum, ſeu ſymptoma magis propriè indicat. Igitur ex rheumate omnis ferè morbus eſt, in materia quæ mouetur poſitus, vt inflammatio quælibet, cuius potiſſimùm occaſionem eſſe rheuma, expreſsè ſcribit Galenus ſecundo ad Glauconem capite ſecundo. Morbus etiam articularis, tumores, & abſceſſus cuiuſlibet partis, à rheumate rectè fieri dicuntur; non ita à catarrho, ſi Galeni doctrinam ſequimur. Auicennas tamen, ſeu eius interpres, ita ſenſiſſe viſus eſt, Catarrhum appellans omne genus rheumatis, libro enim tertio fen ſecunda, tractatu primo capite xi. anginam & pleuritidem, & peripneumoniam à catarrho pendere dixit, ſicuti etiam libro primo generatim catarrhum vocari ſcribit omne genus apoſtematis, cuius cauſa corporalis, (vt loquitur interpres) monſtrat materiam de vno membro ad aliud, quod eſt ſub eo. Et ita acceperunt etiam nonnulli auorum noſtrorum memoria, Arabum doctrinam ſecuti, ſed illam rheumatis è catarrho diſtinctionem, vel etiam à Platone colligere liceat, qui libro tertio de republica ſub perſona Socratis, rheumata & flatus, tanquam generales morborum cauſas proponit, catarrhos autem, & inflationes tanquam ab iiſdem productos particulares morbos: quæ etiam catarrhi, & inflammationis nomina, noua & portentoſa ibidem eſſe dicit; ex Timæo etiam illa diſtinctio appareat, vbi νοσήματα καταῤῥοϊκὰ, id eſt, *catarrhales morbos*, ab acida, & ſalſa pituita, veluti à fonte pendere dicit, cùm ex rheumate orti ad alios etiam referantur humores; ſed nos Galeni videamus opinionem. Galenus igitur catarrhi nomine ſolam ex capite fluxionem intellexit; & hæc omnium maximè communis ſignificatio eſt: hæc autem fluxio aliquando per venas fit ad partes inferiores, & ſimiliter dicitur catarrhus, aliquando per aſperam arteriam ad pulmonem, & catarrhus ſimiliter appellatur, ſicut ſcribit Galenus in commentariis ad Aphoriſmum duodecimum tertij libri: fit etiam ad os, & eodem nomine inſignitur, ſicuti habemus apud Galenum libro tertio de cauſis ſymptomatum capite quarto. Sunt igitur tres Catarrhi ſignificationes, ex capite per venas ad partes inferiores, ex capite per aſperam arteriam ad pulmonem, & ex capite ad os. Ex his autem prima meritò videatur appellanda communis, ſubſequentes duæ propriæ, aut particulares. Quomodo igitur Galeni verba in commentario duodecimi Aphoriſmi libri tertii, videntur dicere communem ſecundo loco poſitam, cùm ita Latinè legantur? *Per hæc verba videtur Hippocrates indicare, non quas valde communi vocabulo diſtillationes, ſeu catarrhos conſueuimus nominare, quæ ſcilicet ex capite*

fluunt

fluunt ad pulmonem per aſperam arteriam , ſed omnes quæ feruntur fluxiones per venas a capite ad partes inferiores. An verò commune vocabulum cenſendum eſt catarrhus, cũ eo ſignificatur fluxio a capite per aſperam arteriam ad pulmonem , quæ eſt adeò adſtricta ſignificatio, non communis, quum fluxiones omnes,quæ per venas ad partes quaſlibet inferiores deferuntur,quæ latius multò patet,locus enimuero non bene verſus à Leoniceno hanc difficultatem parit , Græcè enim ita legitur : διὰ τούτων ἔοικεν ὁ Ἱπποκράτης οὐ τοὺς πάνυ συνήθεις λεγομένους καταῤῥοῦς δηλοῦν τοὺς ἐκ τῆς κεφαλῆς εἰς τὸν πνεύμονα διὰ τῆς τραχείας ἀρτηρίας γιγνομένους, ἀλλὰ πάντα τὰ καταφερόμενα ῥεύματα διὰ τῶν φλεβῶν ἀπὸ τῆς κεφαλῆς εἰς τὰ κάτω μόρια:quæ ita rectè conuertãtur : *Per hæc verba videtur Hippocrates ſignificare , non qui maximè conſueto more catarrhi dicuntur , qui ex capite per aſperam arteriam ad pulmonem; ſed omnes, quæ à capite per venas deferuntur fluxiones ad partes inferiores*; quæ ſi ita conuerſa habuiſſet Donatus Antonius Altomarius , eorumque veram ſententiam percepiſſet , in libro de arte medendi cap. de diſtillatione , aut catarrho , ſanè non dixiſſet , Galeni locum adductum recitans, communiter ſumptum catarrhum accipi pro omni defluxione , quæ ex capite ad pulmonem per aſperam arteriam fluat , aut pro omni ea , quæ à capite per venas ad partes inferiores defluat. Dupliciter enim in hiſce peccat Altomarius. Primùm,quia non ex æquo poſſunt illæ dici communiter defluxiones , quum prior qua ex capite ad pulmonem per aſperam arteriam fluit humor , ſit minùs communis , adeoque minus communiter ſumenda , locus enim ad quem , & per quem fluxio fit , non ita latè patet , tum verò nec à Galeno , quod Leonicenus vertit , *communi vocabulo* , & Altomarius interpretatur *communiter* , de vtraque fluxione dicitur , ſed de priori tantùm , quæ à capite ad pulmonem per aſperam arteriam fit , ſicuti manifeſtiſſimè apparet ex verbis , eo modo quo à me de Græcis fideliter conuerſa ſunt; Erat enim illa maximè vulgata catarrhi notio. Malè igitur illud *commune* huc inculcauit Leonicenus , illo reddens quod in Græcis eſt πάνυ , nimirum *valde.* Hoc igitur Altomario erroris fuit cauſſa. Verùm Græcè τοὺς πάνυ συνήθεις λεγομένους καταῤῥοὺς , ad verbum eſt,*valdè conſuetos dici catarrhos* , nimirum qui vulgò,& paſſim ita appellarentur. Veruntamen benigna quadam interpretatione Leoniceni verba accepta , vbi verum ſenſum loci quiſpiam perceperit , ad veritatem etiam reducere liceat in hunc modum ; *Per hæc verba videtur Hippocrates ſignificare , non quas valde communi vocabulo diſtillationes conſueuimus nominare* , id eſt , quas paſſim , & vulgò conſueta appellatione dicimus diſtillationes , aut catarrhos , quæ ſcilicet ex capite , & reliqua. Et hæc de prioris loci emendatione. Veniemus ad alterum , vbi pauca quædam priùs de fluxione , & diſtillatione , quæ à Latinis auctoribus nominata ſunt , attulerimus. Fluxionem igitur diximus reſpondere rheumati : id verò , tum ex vocabuli notione appareat , tum ex Plinij verbis libro xxv. capite octauo , quæ ita leguntur de plantagine. Nulla res æquè ſiſtit fluxiones,

ſtillationes, quas Græci [illegible] idem a[illegible] &
[illegible] ſimul, niſi quòd illud magis [illegible], hoc autem magis [illegible]
[illegible] & motionem deſignat. Celſus, quod in [illegible] meminerim,
[illegible] vocem nunquam vſurpat, [illegible] eandem, & decur-
[illegible] catarrhum autem deſtillationem eſſe apud Latinos,
[illegible] vetus oſtendit, quod ita [illegible] eam vocem; & Celſus
[illegible], qui in pulmonem, & ad os quæ feruntur fluxiones, deſtillatio-
nes ſemper dixit, nec [illegible], qui ſæpe ea voce per hunc modum
vtitur, vt demum [illegible] libro xxiij. cap. viij. tuſſiæ & deſtillationi me-
medentur, tuſſi quoque veteri; & libro xix. cap. vi. de allio, Tuſſim,
& deſtillationem thoracis, pulmonis, & arteriæ vitia ſanat: & alibi ſæ-
pius. Hæc [illegible] haud vidiſſe, aut ſaltem haud meminiſſe videtur Argen-
terius, quum ad quadragesimum ſecundi Aphoriſmorum, Latinos au-
ctores dixit non habere proprium nomen, quo catarrhum ſignificent,
ſicuti iterum eodem loco [illegible]tur, Græcos dicens generali vocabulo vti
in re particulari, catarrhum cum fluxu humorum confundens, Græcaque
Latinis malè ad[illegible] humorum apud Græcos eſt rheu-
ma, quæ vox A[illegible] fuiſſe [illegible], rheuma autem apud
Græcos à catarrho [illegible], ſicuti ſuprà declarauimus. Apud Latinos
autem fluxio, & deſtillatio eum in [illegible] diſtinguuntur, confundun-
tur tamen aliquando, vt ſuprà admonuimus. Cælius enim Aurelia-
nus medicinæ Latinus auctor, etſi non ita elegans, influxiones dixit
quæ propriè deſtillationes appellantur; ſeptimum enim caput ſecun-
di libri tardarum paſſionum, inſcribit de influxione, quam Græci ca-
tarrhum vocant, & ſequitur: *Fit influxio nunc ad nares, quæ appellatur
coryza, nunc ad fauces, quæ appellatur branchos, nunc ad thoracem, vel
pulmonem, quæ appellatur ptyſis.* Plinius etiam libro xxij. cap. xxiij. cùm de
fungis ſuillis dixit, *Hi fluxionibus alui, quas rheumatiſmos vocant, meden-
tur*, ſi motionem humoris ad aluum intellexit, ſicuti eo locutionis ge-
nere vti conſueuit, non verò diarrhæam, aut ventris deiectionem, at-
que motus ille humoris ex capite ſit, eo nomine intellexit deſtillationem
& catarrhum, voluit tamen eam appellare fluxionem alui, & rheuma-
tiſmum: poteſt verò non malè generis vocabulum ſpeciei accommoda-
ri, ſicuti etiam Græci in his ipſis vocabulis de quibus loquimur, fece-
runt aliquando; ipſo tamen particulari nomine vti, magis euidens, & ex-
plicata locutio eſt. Huiuſce igitur catarrhi, ſeu deſtillationis cauſam
cum proponeret Galenus libro tertio de ſymptomatum cauſis capite
quarto, vt iam locum quem diximus emendemus, eam dicit eſſe cere-
brum, tum ratione propria, tum [illegible] materiæ, ratione autem pro-
[illegible]bus modis, vel tanquam partem ſimilarem, vel tanquam par-
tem [illegible] iam. Eam autem rem quum liquidiùs declararet Ga-
lenus, [illegible]bet, vt quidem legitur in Linacri verſione: *Catarrhi, &
coryzæ cauſa eſt cerebrum,] quum perfrigeratum quidem eſt, ceu ſimilaris pars*

in ... m[illegible] ... autem tanquam instrumentalis impletum. [illegible] [illegible] illam ſententiam continentia; non enim cerebrum cum æſtuat, [illegible] tanquam inſtrumentum [illegible] tanquam par[illegible] inſtrumentalis, ſed tanquam ſimilaris intemperie aff[illegible]cta. Græca autem verba, & [illegible] illam ſententiam continentia, quæ ita leguntur, καταῤῥου δὲ καὶ κορύζης αἴτιος ὁ ἐγκέφαλος, ἐν μὲν ταῖς ψύξεσιν ὡς ὁμοιομερὴς εἰς δυσκρασίαν ἀγόμενος, ὁμοίως δὲ κατὰ τὰς ἐκθερμάνσεις, ὡς ὀργανικὸς δὲ πληρούμενος, id eſt, *Catarrhi autem & coryzæ cauſa eſt cerebrum, cum perfrigeratum quidem eſt, tanquam ſimilare in intemperiem verſum, ſimilique modo cùm æſtuat; tanquam inſtrumentale autem repletum*; fortè autem ſola interpunctione mutata bonus ſenſus eliciatur, ſi ita Linacri verſionem legamus: *Catarrhi, & Coryzæ cauſa eſt cerebrum, quam perfrigeratum quidem eſt ceu ſimilaris pars in intemperiem verſum, aut cùm æſtuat; ceu inſtrumentalis impletum.* Erit tamen liquidior ſenſus, ſi addamus voculam [autem] quæ in Græcis eſt, ac legamus, *ceu inſtrumentalis autem impletum*, & fortè fuit non interpretis, ſed operarum vitium, ſicut multa alia, quæ [illegible] ſenſum maximè perturbent, non fuêre tamen animaduerſa ab illis viris eruditiſſimis, qui varijs temporibus illis editionibus præfuerunt, [illegible] huic loco contingit, qui in extrema Iuntarum editione ita [illegible] eſt vti oſtendimus.

Indicationes quibus inflammatio, & quilibet ex fluxione morbus curatur. Duo ea de re Galeni loca accuratiſſimè examinata, & declarata.

Capvt XIX.

LOCA Galeni duo ſunt maximè inſignia, in quibus agitur de indicationibus, quarũ beneficio curatur inflammatio, & morbus quilibet à fluxione ortus. Hæc autem loca, etſi eandem doctrinam contineant, non illis tamen omnino conuenit, quapropter ea de re quædam a me adnotata hic proponere libuit. Sunt igitur duo illa loca, alter libro tertio decimo methodi medendi capite [illegible]no, alter libro de arte medica capite quinto, & nonageſimo. In [illegible] igitur methodi proponens modum, & rationem curationis [illegible] affectum, ſcribit, momentum omne curationis partis inflammatione laborantis, conſiſtere in euacuatione ſanguinis in ipſa [illegible] redundantis: dupliciter autem modo fieri talem euacuationem, vel [illegible] μεθισταμένου τοῦ αἵματος, id eſt, tranſlato ſanguine redundante ad [illegible] partis partes, vel eodem extra corpus expulſo. Vtriuſque euacuationis modos duos rurſus proponit, prioris tamen illius denuo mentione facta, cumque no-

minans

[illegible] non ca[illegible] a [illegible] voce qua antea, licet Thomas Linacer qui libros illos de Græco in Latinum conuertit, eandem tranſlatione vocem vſurpauerit [illegible] vt in voce [illegible], quæ propriè ſignificat refluxum, ſeu [illegible]. [illegible] ſeu [illegible]uxionis duos eſſe modos [illegible], alterum [illegible] τῶν ἐνοχλούντων μορίων, id eſt, per [illegible], quum [illegible] partes a ſe abigentes impellunt ad alias: alterum τῇ ἀπαγωγῇ [illegible], id eſt, per attractionem, quum partes ſanæ attrahunt ad ſe. Tum [illegible] euacuationis modum explicans [illegible] per [illegible] extra corpus, eum ſimiliter [illegible] diuidit. Et enim, vel per [illegible] effluxus, vel per [illegible]uxus ratione [illegible]tum contemptibiles, verum [illegible] ſunt quatuor euacuationis genera, ſicuti etiam Galenus exponit, [illegible] tamen primum, quod fit per [illegible]s effluxus, [illegible] partibus [illegible] enim ſenſibilis, vel per ipſammet partem quæ [illegible] eadem ſecta, aut diuiſa, vel per ea, quæ vnà cum illa adaperiuntur διὰ [illegible], id eſt, ſecta vena, qua aperta, illa etiam aperiuntur, & [illegible] quæ eſt in parte inflammata, quippe quæ cum illa ſocietatem habet. Hanc autem poſtremam diuiſionem ſcriptam habemus ſimiliter in libro [illegible] ratione per ſanguinis miſſionem cap. nono, & decimo ad [illegible], vbi tamen pro [illegible] αὐτῷ, habet Galenus [illegible] κατ' αὐτά, id eſt, per venas coniunctas cum parte affecta, quod [illegible] eſt aliud, quam declaratio eorum quæ leguntur in libro [illegible] ſi enim [illegible] nexæ, & nexæ venæ illis quæ in parte affecta, his adaper[illegible], illæ ſanæ etiam [illegible] & [illegible]. At libro artis Medicæ, cuius [illegible] doctrina, & ſumma rerum, quæ [illegible] aliqua ex parte diſcrepare videntur. Proponit igitur hoc altero loco, curationem ſanguinis in parte inflammata redundantis, eſſe eius euacuationem, quam ibi manifeſtiori voce, [illegible] ipſe ait, ἀποκένωσιν Græcè appellat, & vertit Leonicenus abe[illegible]em, ſeu abuacuationem; eſſe autem manifeſtiorem vocem dicenti Galeno credamus, ea tamen nec vtitur libro tertio decimo [illegible], [illegible] locum tractat, nec alio in libro quod ſciam: & vero eiuſdem voci [illegible] apud [illegible] auctores rariſſimus vſus eſt. Apud Latinos autem ab[illegible]tatio, a[illegible] abe[illegible] ad[illegible] non manifeſtior vox eſt, vt ſit prorſus barbara & [illegible], licet Galeni interpretes ea vſi ſint. Neque verò aliquam habeo ſcio quæ [illegible]ωσιν referre poſſit: vacuatio enim, & euacuatio, inanitio, & exinanitio, quæ Latinæ voces ſunt, videntur quidem ex vi vocabuli referre κένωσιν, & ἀποκ[illegible]ωσιν, at cum non ita differant apud Latinos, qui illis vſi ſunt, ſicuti hoc Galeni loco κένωσις, & ἀποκένωσις, non liceat pro illis hæc vſurpare: ſed permittamus voces. Galenus hoc loco dixit [illegible] manifeſtiorem vocem ad eam rem ſignificandam, quia eandem ſuperius declarauerat, non eſt autem aliud ἀποκένωσις ex eodem Galeno, q[illegible]tio non abſoluta, id eſt, ex qua non euacuatur totus humor alic[illegible], ſed pars tantum [illegible]us: vnde tunc adhibetur, quum humor [illegible] quantitate alicubi peccat, alioquin minori copia ibidem ſe-

 cundum

cum [illegible] recipi folitum, [illegible] ſola illa peccans [illegible] aut [illegible] pars euacuatur. At ſi [illegible] quæ unerei, ſed [illegible] ſit præter naturam, ſic [illegible] nullo pacto ea in parte corporis locum habeat, ablatio illius omnimoda conueniat, quæ [illegible] dicitur, ſeu [illegible] igitur [illegible], illius quæ ſuperat partis euac[illegible]: [illegible] totius materiæ. Dixi autem de humore qui totus euacuandus eſt, contineri præter naturam aliqua in corporis parte, non in corpore ſimpliciter, quia datur humor ſecundùm naturam in corpore exiſtens, ſicuti eſt ſanguis, qui ratione corporis ſola quantitate peccans, nunquam vacuari totus deberet, ſed ſolam [illegible] deſideraret, & tamen aliquando abſoluta & perfecta vacuatione eſt auferendus, vt ſanguis exiſtens circa ventrem, inteſtina, aſperam arteriam, & pulmonem, vt ſcribit capite quarto, & nonageſimo Galenus; denique ſi [illegible] extra proprium locum poſitus. Quare fallitur Truſianus, quòd quod Galenus [illegible], *præter naturam*, intelligit eſſe id, de cuius genere [illegible] corpus naturale, vt vermis, lapis, & sanies: non enim ita hoc loco accipitur. Sed fortè decepit Truſianum [illegible] interpres, qui quod ait Galenus *præter naturam*, vertit toto [illegible] præter naturam, quem Truſiani errorem [illegible] ſecuti ſunt etiam [illegible] recentiores [illegible] Galeni interpretes. Fortaſſe [illegible] poſſit [illegible] dictam eſſe vocem manifeſtiorem ad [illegible] ſignificandam, quam [illegible], ſiue vacuationem, quia [illegible] eſt ab eodem Galeno ex Hippocratis ſententia [illegible] Aphoriſmorum xvi[illegible]. vacuatio omnium [illegible], qualis eſt venæ ſectio, quæ totum corpus euacuat, vt [illegible] ex illo loco [illegible] non [illegible] intelligit, ſed vacuationem [illegible] partis affectæ [illegible]. [illegible] igitur [illegible] dicit Galenus ſieri [illegible] recurrente, Græcè [illegible] (quod xiij. methodi dixit [illegible], & [illegible]) vel [illegible] particulam affectam [illegible] ſanguinem aliquo ex [illegible] modi, vel [illegible], [illegible], qua voce ſimiliter vſus eſt xiij. methodi, vel attractum, [illegible], vt eodem [illegible] methodi, vel tranſmiſſum, [illegible] h[illegible] partium membris nō app[illegible] xiij. Methodi, prioribus duobus [illegible]. Dicit autē Galenus, vel aliquo ex his, vel omnibus, ſicuti & xiij. Methodi, vel vno, vel vtroque: non enim ſemper omnibus vti ne[illegible]. Tum alteram rationem, ſeu modum euacuationis, aut abſque [illegible] per partem illā affectā ſubiicit, quem ſimiliter, vt libro xiij. Metho[illegible] bipar[illegible] quod vel fiat manifeſtè & ſenſibiliter (id lib. xiij. M[illegible] dixit per ſenſibiles effluxiones vel per vapores attenuata materia, quod per effluxus rationæ tantum contēplabiles dixit lib. xiij. Methodi) [illegible] autē deſideratur ſubpartitio lib. xiij. Methodi poſita, mēbri cōt[illegible] euacuationē per partem affectam manifeſtè, & ſenſibiliter, quam ibi dixit fieri vel per ipſam met partem, vel per ea quæ vnà cum illa aper[illegible] eſt, quæ ſocietatem venarum habent. Vna igitur eſt, vt ap[illegible] doctrina, & ſumma rerum,

[illegible]. Diſcrimen autem illud, primum quod xiij. Methodi euacuatur ſanguis ex particula affecta, ex alio tranſlato, ſeu eo refluente duobus modis, vel quia partes ægrotæ expellunt, vel quia ſanæ attrahunt; libro autem artis medicæ, euacuatur, aut abducatur, ſi ita liceat loqui, quæ recurrit tribus modis, impulſus, attractus, & tranſmiſſus. Rurſus aliud eſt diſcrimen in vltimo membro, nam quod xiij. Methodi per partem affectam euacuatur ſenſibilibus effluxibus, illud euacuatur vel per ipſammet partem, vel per ea quæ vna cum illa aperiuntur, id eſt, quæ ſocietatem habent; in libro autem artis medicæ de iis quæ vnà cum parte affecta aperiuntur, nulla fit mentio. Cum autem per impulſionem & attractionem vtrobique idem intellexerit Galenus, actionem nimirum, qua exiles venæ partis affectæ pellunt à ſe redundantem ſanguinem, & actionem, qua partes ſanæ trahunt ad ſe eundem; ita per tranſmiſſioné, cuius in libro artis medicæ mentionem fecit, non eſt facile videre, quid propriè intelligat. Exiſtimo tamen duo intelligi poſſe, primum cùm per expulſionem, virtute & actione partis affectæ euacuantem, intelligatur naturalis motus ab eadem met parte, & per attractionem partium ſanarum, naturalis motus ab eiſdem ſanis; per tranſmiſſionem intelligi motionem humoris, nec euacuentis virtute partis affectæ, quæ expellat, nec vi ſanarum, quæ trahant, ſed motionem per ſe, & ſponte, ſola [illegible] humoris grauitate [illegible] ad partem aliquam proximam. Alterum etiam intelligi poteſt, nimirum actionem medicamentorum adſtringentium, quorum ope tranſmittatur materia, nec abigente parte ægra, nec trahentibus ſanis, ſed ſola medicamenti facultate operante; hæc autem expoſitio confirmatur ex illis quæ paulo poſt ſubdit idem Galenus: [illegible] in enim tria capita iterans, & docens quomodo euacuato toto corpore liceat ſingulis vti, hæc habet, vt vertimus: *Ex affecta autem parte repellemus adſtringendo, & refrigerando atque & exinanita loca trahunt [illegible] repelluntur: Oſtenſum enim & hoc eſt in ſermone de potentiis naturalibus [illegible] & [illegible] præterea adſtringentibus medicamentis roborata, à ſe ad alia tranſmittit.* His ſane poſtremis verbis tertij illius membri videtur haberi declaratio. At quamuis non eſt hoc idem cum primo membro, quum dicitur ægram partem à ſe abigere [illegible] non enim hic cùm medicamenta ſpectamus [illegible] eſt quæ expellit [illegible] eandé partem quæ expellit, & minimű dicta [illegible] & ob eam rationé factű eſt (vt iam, quod pertinet ad priorem illam difficultatem, conciliemus loca) vt lib. xiij methodi duo tantùm membra proponerentur, libro autem artis medicæ tria. Quamuis autem eadem pars ſit, quæ abigit, poſſumus tamen conſiderare, vel actionem eiuſdem per ſe, vel actionem medicamentorum [illegible]. Igitur in libro artis medicæ, conſideratur actio propria medicamentorum repellentium a propria facultate emergens, libro autem [illegible] methodi vnà cum actione partis inflammatione laborantis; & ita [illegible] duo, & quà tria erant membra. Potuit autem rectè

conſiderauit vnà cum actione partis, non enim abſque illa, quæ à natura proficiſcitur, medicamentum quicquam adeò magnum efficiat, vt ſcribit Galenus xiij. methodi capite decimoſexto. Quod autem pertinet ad alteram diuerſitatem; quòd eductio ſanguinis per partem affectam xiij. methodi dicebatur fieri, vel per ipſammet ſcarificando, vel per venas, quæ vna cum parte affecta adaperiuntur, id eſt, per venam iunctam, & ſocietatem habentem, quod alterum membrum minimè apponitur libro artis medicæ, dicimus ſanguinem in particula inflammata contentum vtroque modo euacuari, primum quidem & potiſſimùm ex ipſamet parte, quæ euacuatio in primis procuranda, tum ex locis etiam vicinis, quum priori non licet vti, non enim pars affecta ſemper in promptu eſt. Ex partibus autem vicinis optimè, cùm earum venæ iunctæ ſunt venis partis affectæ, his enim apertis, illæ etiam aperiuntur, & noxia materia emittitur. Quæ cùm pro vna & eadem euacuatione haberi poſſunt, licèt altera altera ſit præſtabilior, & vno ac ſolo nomine ſignificentur, vt in libro artis medicæ, aliquando tamen diſtinguuntur in duo, vt xiij. methodi, quæ res liquido patet ex libro de curandi ratione per ſanguinis miſſionem capit. xix. vbi agens de inflammationibus inueteratis id eſt, ad quas amplius non irruit fluxio, & curanda eſt exhauriendo eum qui fluxit, qua de re in præſentia agimus, habet Galenus hæc, *Incipientes phlegmonas reuulſu euacuare oportet, quæ verò inueteratæ iam ſunt, ex ipſis, ſi fieri poteſt, affectis partibus, quod ſi nequeat, ſaltem ex vicinis.* Ita igitur videri poſſint conciliata inter ſe hæc loca. At ſupereſt adhuc vnus diſſenſionis ſcrupulus, qui omnino eſt euellendus. Galenus enim in libro artis medicæ poſtquam illa diſſeruiſſet de refluente humore, ſiue beneficio expulſionis, ſiue attractionis, ſiue tranſmiſſionis, ac de euacuatione per affectam partem, ſiue ſcarificationis, ſiue vaporationis officio, quorum nullum poteſt habere locum, vniuerſo corpore antea non euacuato; quippe néc expelli, nec attrahi, nec tranſmitti quicquam poſſe, pleno corpore non admittente, nec ſcarificari partem, aut diſcuti humorem tutò, quippe ex dolore & calore, quæ ſeu in hac ſeu in illo neceſſaria ſunt, maiorem citari fluxionem, tandem hac concluſione vtitur, vt ſeu priorem, ſeu poſteriorem rationem inaniendi partem ſpectes, totius corporis euacuationem præcedere ſit neceſſe, atque huic primæ, & omnium maximè neceſſariæ indicationi, omnium poſtremò adinuentæ, primum omnium eſſe ſatisfaciendum, vbi illa ſe ſe nobis offerat, ſi enim minimè plenum ſit, ſed moderatè ſe habeat corpus, iam non eſt euacuationis occaſio. Talis autem indicatio adeò inſignis, & in curanda inflammatione in primis neceſſaria, non apparet xiij. methodi capit. ix. ſed quadruplex illud tantum euacuationis genus antea propoſitum. An ne igitur tam neceſſarium præceptum omiſſum eo loco dicemus? Non omiſſum ſanè, etſi omitti eo loco ſine reprehenſione potuerit, nec tamen expreſſum, ſed tantummodo ſignifi-

catum

nem, non fuit autem expreſſum, & omiſit poſuit eo capite nono, quo agebat de indicationibus propriis inflammationis factæ, ſeu euacuationis humoris qui iam fluxit, & in parte affecta conſiſtit, ratione cuius, illi tantum indicantur quatuor euacuandi modi, qui propoſiti ſunt, nec aliud quidpiam. Cæterùm euacuandum eſſe vniuerſum corpus, ratione cauſſæ præcedentis, ſeu ratione affectus complicati cum morbo, denique ex aliquo accidenti, dixerat antea capite quarto, quinto, & ſexto eiuſdem libri: & iterat adhuc capite xj & xix. ſubſequenti, quibus locis curationem proponebat cauſarum quæ ad excitandam inflammationem conueniunt, inter quas eſt totius corporis repletio. Dixi autem fuiſſe eodem capite nono ſignificatam, quamquam non expreſſam; ſignificat enim eam Galenus illis verbis, quorum fortaſſe ſenſus non ita omnibus obuius, cùm ſcribit ad euacuandum quod eſt in parte inflammata, vtraque via ab ipſo paulò ſuperius propoſita eſſe nobis vtendum, diligenter obſeruantibus, ne qua ex accidenti læſio ſequatur, quibus verbis docet, eſſe prius occurrendum illis, quæ impedire poſſunt, ne propoſitis indicationibus ſatisfaciamus; inter illa autem potiſſimùm eſt totius corporis repletio, quum iungitur inflammationi, & idcirco capite ſubſequenti vndecimo, cùm excuſationem proponit in inflammatione iecinoris, eius curationem explicans, ita ſcribit: *Omnium ego primum ab iis quæ retuli incipiens, an totum corpus inanitione indigeat conſiderabo.* In libro porro artis medicæ capite nonageſimo quinto, cum affectuum qui complicati ſunt curationem proponeret, vt ex ipſis Galeni verbis patet: *ſi verò ex prædictis aliqua ad inuicem complicentur, varias habebunt indicationes*, idcirco præceptum illud totius corporis inaniendi, quod complicationem in primis ſpectat, in primis proponit adinueníſtque illud poſt indicationes quæ habentur ex inflammatione, quæ iam facta eſt, quæ eædem ſunt cum illis quas lib. xiij methodi explicauit, adeóque illæ neceſſariæ ſunt ratione inflammationis genitæ, niſi ex accidenti [illegible] ur affectio alia, quæ prohibens quominus illis ſatisfacere, poſſimus, alias ſubijciat ad quas prius ſint oculi intendēdi, cuiuſmodi eſt corporis totius repletio, quæ ad curationē inflammationis genitæ cùm per ſe nihil faciat, prohibens tamen quæ ex neceſſitate agenda ſunt, omnium eſt maximè inſignis, eique in primis ſatisfaciendum eſt. Antequam finem huic capiti faciam, attingere libet ad eundem locum facientia verba quædam, quæ ibidem à Galeno ſcripta, mihi diutiùs moleſta fuerunt, nec ſatis ab interpretibus explicata videntur. Galenus enim cùm de ſcopis ageret ad inflammationis curationem facientibus, eoſque eſſe doceret, vel retroceſsionem materiæ in inflammata parte exiſtentis ad alia corporis loca, vel euacuationem eiuſdem per partem affectam, illis ſanè ſcopis, ob rationes quas affert, neutro ex modis propoſitis nos ſatisfacere poſſe docet, niſi vniuerſo corpore antea euacuato, vnde colligit in hæc verba: *Ad hæc igitur ambo vniuerſum corpus euacuare oportet.*

Id

Id verò non ſatis habet, ſed addit quæ moleſta eſſe poſſunt. *Aut omnino ad alia loca reuellere quod influit particulæ affectæ.* Quoniam autem paulò antè meminerat reuulſionis, id eſt, attractionis ad alias corporis partes, quæ erat retroceſſionis membrum, eamque niſi toto corpore antea euacuato, non conceſſerat Galenus, ideo commentariis ad hunc locum Oddus Patauinus antiquam verſionem præfert, quam etiam habuit, & expoſuit Truſianus, nec non ſequitur Acachias in hunc modum: *Ob vtraque igitur hæc oportet euacuare totum, & deinde e contrario trahere omnino ad alias regiones id quod influit patienti parti*; tanquam explicet Galenus ordinem eorum, quæ ex eis indicationibus agenda ſunt, & primò vniuerſum corpus euacuandum dicat, tum reuellendum, mox repellendum, & deinde reſoluendum. Profectò ſi locus ita legatur, vera ſunt hæc, & euulſus ſcrupulus eſt. At conſtanter Græci codices habẽt ἢ, non εἶτα. Ratio autem ab Oddo adducta, non cogit vt ita legamus, & oſtendit eum virum admodum ſaptè locum conſideraſſe. Cum enim reuulſionem, ſeu retractionem, quæ eſt retroceſſionis membrum, non habere poſſe locum dixit Galenus, niſi toto corpore antea euacuato, reuulſionem intellexit humoris ad alias corporis partes, ſed qui in eiſdem retineretur, non eiuſdem euacuationem extra corpus, vt ex Galeni verbis liquidiſſimè patet. Eſt igitur talis reuulſio abſque euacuatione. Hic autem cùm euacuandum totum dicit, vel reuellendum, non eam intelligere neceſſe eſt, nec verò intelligitur quæ ſine euacuatione fit, quam præcedat oportet totius euacuatio, ſed quæ cum euacuatione humoris ſenſibiliter accidit. Vnde nullo pacto neceſſe habemus antiquam lectionem recipere, in qua *deinde* legitur, quæ etiam difficultates non minores pati poſſit, cùm alia in qua legitur, *vel*, optimum ſenſum exprimat, & Galeni doctrinæ ſit admodum conſentiens. Nobis porro non eſt animus expendere illa omnia, quæ alij interpretes ad hunc locum afferunt, ſed illa tantùm proponere, quæ locum mihi explanare videntur. Igitur cùm ex ſuperioribus collegit Galenus vniuerſum corpus eſſe euacuandum, quod per illa infert: *Ad hæc igitur ambo totum corpus euacuare oportet*, tum illa addit, *aut omnino ad contraria reuellere*, quoniam cùm ex variis corporis partibus poſſet hæc euacuatio perfici, vniuersè illi animus erat ſignificare, vnde totum corpus euacuandum eſſet. Sic enim totum euacuandum eſſe dicit, vt ſimul à parte quæ inflammatione tentatur, reuellamus. Igitur particula, *aut*, quæ disiungit ſæpe, vim iungendi habet aliquando, vt hoc loco, aut ſaltem declarandi ſuperiora. Explicat enim Galenus, non ſolum totum corpus eſſe euacuandum, ſed ex parte contraria, vt eadem opera reuellamus. Iungenda enim eſt totius euacuatio reuulſioni: quare libro decimo tertio methodi, capite quinto, vbi plethoricum corpus eſt, manu laborante ſcarificat crura Galenus, & altero cruum malè habente, reliquum. Ita enim, & totum euacuamus, & ſimul reuelli-

mus

mus. Et capite ſexto, vbi cauſa inflammationis in aliqua parte, eſt totius corporis affectus, ad curandam inflammationem docet tollendam cauſam. Quare ſi eſt plethora, aut plenitudo, eam auferendam ſanguinis miſſione primùm, tum balneo, exercitatione, frictione, & aliis quæ proponit. Omnia autem eò dirigit, vt cum eo, quòd totum euacuent, reuellant etiam à parte quæ inflammatione eſt obſeſſa. Vnde ſcribit: *Illud enim patere, vel me tacente arbitror, eum cui crura phlegmone laborant, non eſſe vel ambulatione, vel curſu exercitandum, ſed nec ſtare illi eſſe iubendum, immo ſedentem plurimùm fricari, mox manuum motu exercitari illi eſt ſatius. At ſi cui in ſupernis partibus cœperit pars aliqua phlegmone tentari, huic motus ex inambulatione, aut curſu eſt ſalutaris; ſimiliter & frictio his quidem ea potior eſt, quæ cruribus adhibetur; illis quæ in ſupernis partibus adminiſtratur. Quippe præceptum in contrarium reuulſionis, in omnibus talibus commune eſt.* Quibus adhuc alia adiicit, quæ totam rem liquidiùs declarant. Hic igitur non erat Galeno inſtitutus de reuulſione ſermo, ſed de totius euacuatione: ad ea tamen veluti rei natura cogente, declinauit oratio. Non diſſimiliter libro decimo tertio methodi capite vndecimo, cùm iecoris inflammationem totius corporis plenitudini iunctam curaret, & ob plenitudinem ſanguinem mitteret, locum tamen eligit, cuius beneficio etiam reuellat à parte inflammata, ſcribens: *Ergo pariter tum reuellendus, tum educendus qui ad iecur fluit ſanguis eſt, interna in dextro cubito ſecta vena; propterea quòd, & è directo, & ampla via cum vena quæ caua dicitur, ſocietatem habet; hac non apparente media ſecanda eſt: quòd ſi nec ea ſe oſtenderit, reliqua ac tertia incidenda eſt.* Et id etiam, vt opinor, ſignificauit, cùm libro de curandi ratione per ſanguinis miſſionem ita ſcripſit: *Porro, vt ſummatim dicam, incipientes phlegmones reuulſu euacuare oportet, quæ vero inueteratæ iam ſunt, ex ipſis, ſi fieri poteſt, affectis partibus; quod ſi nequeat, ſaltem ex vicinis.* Ita in euacuatione totius corporis, quum alicuius partis gratia illa inſtituitur, pars eadem ſemper eſt reſpicienda, & ab ea reuellendum, non ita ſi pars aliqua non laboret. Quare Galenus libro de curandi ratione per ſanguinis miſſionem capite decimo nono, in quibus corporibus nulla dum particula eſt affecta, cæterùm euacuationem vere ineunte anteuertimus, in iis, ſi quidem talis ſit homo, qui quotannis æſtiuo tempore febrilibus morbis obnoxius eſſe aſſolet, atque eorum ſuppeditationem euacuare ſtudemus; æquè partem quampiam in ſanguinis detractionem accommodam eſſe ſcribit, ſicuti etiam ſi arthriticus ſit omnibus articulis laborans, quibus autem eximiè pars quæpiam, vbi priùs euacuati non fuerint, infeſtetur, haud æquè liceat ex quauis parte euacuationem moliri, verū ſicuti in iis, qui pati iam incipiūt. Quamobrem podagricos ex cubito euacuandos præcipit: comitialibus autem morbis, vertiginibúſq; obnoxios, potiùs ex cruribus Quod verò de præcautione à morbis in iis qui

ſan. ſint præcipit Galenus, multò magis de iis qui ægrotant abſque vlla partis læſione, dicendum erit. Euacuantes igitur totum ratione partis, partem ſemper reſpiciemus, ab ipſa ſimul reuellendo. Hîc verò reuulſionem intelligimus, quæ propriè talis eſt, & conſideratur ratione totius corporis, cuius partes ſuperiores opponi dicūtur inferioribus, & dextræ ſiniſtris, vnde ab his ad illas, & ab illis ad has reuulſio fit. Superiora autem dicuntur quæ ſupra iecur ſunt, aut ſupra renes, ex Galeno ij. in ſextum de morbis vulgaribus xiv. & libro de curandi ratione per ſanguinis miſſionem cap. xix. Quamuis enim dolenti partem capitis poſteriorem, recta in fronte inciſa vena reuulſorium ſit auxilium, vt habetur apud Galenum quinto Aphoriſmorum lxviij. non tamen hoc præſidio liceat vti, niſi antea totum corpus fuerit euacuatum, vt habemus apud eundem Galenum libro de curandi ratione per ſanguinis miſſionem cap. xix. quoniā illud eſt locale remediū, nec talis miſſio ſanguinis, cuius beneficio fluens ſanguis reuelli poſſit, dum totum corpus plenum ſit. Eſt igitur reuulſio quædam particularis ratione capitis ſolius, qua humor ob vna illius parte ad aliam retrahitur, cum qua totius corporis euacuatio non bene iungi poteſt, vnde illam præcedere neceſſe eſt. In reuulſione autem quam propoſui, commodè iungi poſſunt & iunguntur, cùm vna & eadem opera tum euacuemus totum, tum à parte affecta reuellamus Id verò eſt, quod Galenus hoc loco, quem non paucis declarauimus, ſignificare voluit.

Ceratum palumbinum & ex ſinapi, vtrùm in deſtillatione calida capiti apponendum ſit. Galeni & Tralliani opinio. Loca duo Galeni conciliata. Amati Luſitani error oſtenſus. Cornary lapſus in verſione cuiuſdam verbi apud Aëtium. Auicennæ locus de eadem deſtillatione ſubtiliſſimè expenſus.

CAPVT XX.

GALENVS libro quinto methodi medendi cap. xiij. cùm de cruento ſputo verba faceret, curationémque proponeret eiuſdem à deſtillatione procedentis, quam ipſe Romæ in ſplendida muliere peregit, quæ de pulmonis vlcere periclitabatur; inter alia auxilia eidem ab initio adhibita, medicamentum aut ceratum refert raſo capiti ſtatim impoſitum; tum quarto die iteratum ex fimo ſylueſtrium columborum, nec non illud, quod ex thapſia conſtat. Qualis fuerit deſtillatio, & qua temperie præditum caput illius mulieris, non exprimit Galenus: ſed fuiſſe deſtillationem tenuem ſignificat, quum ad incraſſandum, theriacam recentem, nimirum ante quatuor annos confectam, ſe exhibuiſſe ſcribit. Hoc idem ex thapſia ceratum, iterum

iterum proponitur à Galeno capite xiiij. ſubſequenti, vbi de eiuſdem deſtillationis curatione ſermonem continuat, expreſſa tamen deſtillationis qualitate, quòd ſalſa eſſet. Alexander Trallianus, tum ex hoc capite xiiij. tum ex ipſa affectionis natura, mulieris illius caput fuiſſe intemperie calida affectum colligens, vt par eſt, licèt non exprimat Galenus, deſtillationémque acrem, reprehendit tum curationem mulieris cap. xiij. propoſitam, quam apertè ſignificat Trallianus, etſi haud nominet, tum vniuersè præceptũ de cerato ex ſtercore, & thapſia deinceps à Galeno propoſito, quem auctorem tamen non ſolum hoc loco, ſed alibi ſæpe diuiniſſimo titulo honorat Trallianus: reprehendit autem quòd nullo humectãte, & refrigerante vſus, ſtatim ab initio ſiccantia, & calefacientia adhibuerit, & adhibenda proponat, quibus tamen caput intemperatum intéperatius reddatur, & quæ in thorace ſunt, acriora efficiãtur, cùm hæc acrẽ qualitatem adaugeant, & eroſionem magis intendant, quàm curẽt, quum potiùs, ſicuti ipſe præcipit, refrigerantibus, & humectantibus quæ contemperant, & leniunt, vtendum eſſet. Ita enim extingui calorem capitis, qui ex inferioribus materiam elicit, attrahit, & pulmoni tranſmittit. Ad hanc rem ſunt quæ adnotemus. In primis, idem ceratum ad deſtillationem exſtundentem ſanguinem, proponitur ab Aëtio libro viij. cap. lx. quippe qui Galeni ipſiſſimum locum referat: proponitur itidem à Paulo Ægineta lib. iij. cap. xxxj. qui tamen apponit illud non ſtatim, ſed vbi auxilijs ab eo præſcriptis non ceſſerit morbus. Proponitur itidem ab Auicenna libro tertio fen x. tract. iij. cap. vj. qui & Galeni locum à me recitatum nominatim affert, nec tamen ille apponit ſtatim, ſed ſicuti Ægineta, cùm alia præſidia non potuerint morbum tollere. Meſues libro ſecundo cap. octauo de cura catarrhi, proponit non ſanè ſtercus palumbinum, ſed raſo capite, & fricato loco ex cæpe, aut ſquilla, eodémque rubificato, veſicatorium ad materiam catarrhi diuertendam. Eodem autem libro capit. de fluxu ſanguinis ab ore, Galeni locum, & curationem, ceratúmque ex ſtercore columbino, & ipſe affert, nec improbat. Enimuerò, quæ habet Aëtius, vix momentum faciunt, cùm ille quæcunque apud Galenum, aut alios reperiret, indiſtinctè, & abſque vllo iudicio colligeret, nihil ferè de ſuo vnquam addens. Non ita Paulus, & multò minùs Auicennas, aut Meſues, vt liceat horum auctoritates, ſi opus ſit, Tralliani auctoritati pro Galeno opponere. Sed verò, & rationibus à Tralliano propoſitis reſpondendum eſt, quod tamen antequam facio, Tralliani opinionẽ adhuc ex eorundem Galeni, Aëtij, & Auicennæ locis comprobare libet. Galenus igitur libro vj. de tuenda valetudine cap. ix. ceratum illud videtur improbare, cùm enim doceret prouidere capiti ex natura adeò intemperato, vt multa excrementa gigneret, quę ad ſubiectas partes demiſſa, illis nocumento eſſent, reprehendebat medicos, qui circa ſubiectarum partium curationem ſatagendo, aut columellam incidebant, aut

materiam morbificam, non propter intemperiem calidam; cùm ergo materia ſalſa peccat copia, euacuanda eſt, & cùm peccat motu, quo ad pulmonem diſtillat, retrahenda eſt ſurſum: vtrumque autem ex cerato conſequimur. Non igitur de alterantibus loquitur Galenus, ſed reſpicit indicationes, quæ ſumuntur à materia genita, non autem eas quæ ſumuntur à cauſa generante. Vera proponit Capiuaccius, at non ſatisfacit Tralliano. Quis autem adeò vecors, vt exiſtimet à Galeno ceratum apponi calefactionis cauſa? Nec id ignorabat Trallianus, qui ſcribit à Galeno optimè fuiſſe cognitam deſtillationis cauſam: eſtque adeò apertum de illo cerato capiti ſuperimpoſito Galeni conſilium, ex verbis capitis xiij. & xiiij. vt neminem qui ea legat latere poſſit; quippe ad exſiccandam fluxionem, & roborandum caput, quod eſt ipſi prouidere, quam rem proponit capite xiiij. Exiſtimat autem Trallianus id fieri non poſſe, nec debere vſu illius cerati, quod vehementer calefacit, & exſiccat; ſed oppugnandam potiùs cauſam, id eſt, caliditatem, humectantibus, & refrigerantibus, ceratúmque illud noxium magis eſſe ob rationes propoſitas. Satisfaciamus igitur Tralliano, & ſcrupulum eximamus; quippe magis vrgere dicimus fluxionem præcipitis materiæ, quæ eo tempore mulierem detinebat, quàm intemperiem, aut cauſam, id eſt, caliditatem: illi igitur fuiſſe antè occurrendum, magis autem vrgere inde apparebat, quòd flueret iam ſanguis, & periculum inſtaret vlceris in pulmone; quo tamen ſanguine nondum apparente, ſi materia cum eo videatur præcipitanter labi, vt vlceris periculum nihilominus ſit, cerati etiam vſus apparet, ad eum finem vt retrahatur ab inferioribus materia, & retineatur in capite. Quamquam enim interim aliquantiſper augeatur intemperies, & cauſa quæ morbum efficit in capite, euitato tamen ex attractione, & detentione materiæ ferè inſanabilis in pulmone morbi periculo, mox intemperiei, & cauſæ ſuccurretur. At cur, dicat aliquis, non potiùs præſtamus illud opus refrigerantibus, & exſiccantibus, quæ cauſam minimè augebunt? Quia non licet; vel enim refrigerantia, & exſiccantia ſunt partium craſſarum, vel tenuium, ſi craſſarum, tardè operantur, nec licet opus præſtolari, periculum enim eſt in mora, quippe caſus præceps eſt: ſi autem tenuium partium ſint, quale acetum, exprimunt potiùs, contrariúmque operi, quod quærimus efficient, attrahere enim ſurſum eo tempore volumus; quam rem non videtur comprehendiſſe Trallianus, qui calida ideo etiam improbauit, quòd elicerent, & attraherent materiam, quæ poſtea ad pulmones tranſmitteretur, id ipſe noxium putauit, quod nos maximè ſalutare in caſu vrgentis deſtillationis; ſi autem deſtillatio non adeò vrgeat, nec ſit adeò præceps caſus, tutius ſit in intemperie calida à calefacientibus abſtinere; talem autem corporis ſtatum

conſiderans Galenus libro ſexto de tuenda valetudine, quippe minimè inſtante periculo, & in latitudine ſanitatis deſtillationem curans, intemperiémque oppugnans, humectantibus, & refrigerantibus vtitur; ex quibus locorum conciliatio apparet. Et cùm hic idem qui ſcriptus eſt libro ſexto de tuenda valetudine, ſit quem recitat Aëtius libro tertio capite quinquageſimo tertio, non plus aduerſari exiſtimandus eſt, quàm Galeni ille ipſe. Solus igitur Auicennæ locus eſt reliquus, quem explanemus; Si igitur refrigerandum eſſe caput præſcribit Auicenna, non ſanè vtile ceratum ſit, quod admodum excalfacit. Tria dicimus ad hæc. Primum, quòd aliqui codices legunt hoc loco, *ſtudium medici impendendum eſſe in refrigerando caput*, alios habere, ſicuti dicit Bellunentis *in regendo caput*, quadrat autem maximè hæc lectio: videtur enim eo verbo ſignificari illud, quod Galenus quinto methodi capite decimo quarto dicit, prouidendum eſſe capiti, quam prouidentiam fieri ſubiicit vſu cerati propoſiti, quod magnopere exſiccat, quod etiam ſecutus Auicenna, manifeſtéque rem explanans ſubiicit, non eſſe caput humectandum. Alterum eſt, ſi lectionem ſequimur, quæ *in infrigidando* habet, dixiſſe Auicennam non ſimpliciter refrigerandum eſſe caput, ſed quantùm poſſibile eſt: nimirum cauſam morbi, ſeu intemperiem refrigeratione indigere nouerat, quoniam tamen motui ſeu fluxioni humoris calida aliquando ita eſſe neceſſaria videret, vt pro refrigerantibus calida, & attrahentia melius eſſet vſurpare, ideo dixit refrigerandum quantùm fieri poſſit; non ſanè vehementer, vt vulgò illa verba accipiuntur, ſed quantùm ſinit materiæ fluentis impetus; eſt verò cùm non ſinat, quia ad ſcopum, quem intendimus, non ſunt apta, ſed pro illis calefacienria ſuadet. Tertium addo, ſi recipimus communem expoſitionem eorum verborum, *quantùm poſſibile eſt*, id eſt, vehementer, interpretandum eſſe locum ſicuti facit Iacobus de Partibus, qui adnimaduertens, vehementer frigida capiti appoſita in huiuſmodi deſtillatione, obeſſe poſſe magis adhuc exprimendo, admonet nos, ne huiuſmodi validè refrigerantia applicemus ſuper verticem capitis, ne exprimendo deſtillationem augeant compreſſo ab illis capite non ſecus ac ſpongia, ſed apponantur fronti, & temporibus; aut naribus attrahantur, veluti odores ex rebus refrigerantibus; aut in ore detineantur, ſicuti ſunt pilulæ de myrrha, & opio. Non igitur aduerſatur Galeno, nec ſibi ipſi, cùm paulò pòſt ex eodem Galeno ceratum proponit. Videatur ſane à Paulo, & Auicenna hac re diffidere Galenus, quòd ceratum initio ſtatim, & properanter apponit, illi verò tentatis priùs aliis auxiliis, vbi illis morbus non cedat: Varias autem cerati facultates eos conſideraſſe conſtat, quippe Galenus, vt attraheret ab inferioribus partibus præcipitem materiam quod ſtatim faciendum erat, nec alia auxilia præuertenda, illo ſtatim vſus

vſus eſt. Auicennas autem & Paulus, vt exſiccarent, & roborarent caput, quod aliis auxilijs exſiccari, & roborari non potuit. Ita Galenus præcipitis materiæ motum potiſſimum, illi eandem in capite exiſtentem; & capitis roborationem aduertentes, varijs temporibus rectè eodem auxilio vſi ſunt.

In cruento ſputo ex acri, & ſalſa deſtillatione conuenire ſanguinis miſſionem ex Galeni opinione. Tralliani, & Pauli quæ aduerſari videntur, illis quandamtenus conciliata. Auicennæ ea de re inconſtantia. Hippocratis, & Galeni loca ex ſexto Epidemiorum non refragari.

CAPVT XXI.

VBi ex aliquo interno viſcere ſanguis per os redditur, venam ſecandam eſſe dicunt frequenter medici, ita enim ab ea parte ſanguinem reuelli, inflammationémque prohiberi. Id præcipuè ſcribit Galenus tum alibi, tum libro quinto methodi capite octauo: id tamen non eſt abſque aliqua difficultate, nam cùm poſſit ſanguis effundi, aperto, diſrupto, atque eroſo vaſe, vbi eroſio id mali procurauerit, ex quacunque tandem parte ſanguis reiiciatur, vel pulmone, vel thorace, vel faucibus, vitandam eſſe ſanguinis miſſionem Trallianus ſcribit libro ſeptimo capite primo, magna enim ex parte corpus eorum qui ſic ex eroſione ſanguinem reddunt, gracile, & perſiccum eſſe, atque corporis habitum aſſamentorum ſimilem, nec non idem vitio opportunum, & phthiſico affectui. Paulus quoque libro tertio capite trigeſimo primo, quibus cruentum ſputum fit ex diſtillatione, venam protinus incidi debere ſcribit, niſi humor vehementer acris fuerit; hoc autem videtur in idem recidere, quia vbi vehementer acris eſt deſtillatio, eroſio ſubſequi ſolet. In eandem ſententiam it Auicennas, qui in ſputo ſanguinis, quod ex ſalſo catarrho fit, venam ſecandam ita proponit, ſi deſtillatio non ſit, (vt ipſe loquitur) autem pungitiua, & valde colerica. Sed horum auctorum ſententia, non ſimpliciter, & ſine diſtinctione accipienda, adhibet enim diſtinctionem Galenus v. method. cap. decimo quarto, vbi cùm de illis ageret qui ex deſtillatione ſalſi, & vitioſi ſucci à capite in pulmones tuſſirent, nec dum tamen ſanguinem reiicerent, poſtquam & purgationem, & alia mendicamenta pro-
poſuiſſet,

poſuiſſet, de venæ ſectione ita loquitur: *Cæterùm, de mittendo his ſanguine, illud ſcire licet, quicunque parum habere ſanguinis videbuntur, vs ad quendam ſuccum p obiorem (ſicuti prædixi) reductis, detrahere ſanguinem poteris, tum rurſus reficere, denuòque ſi res ſuadet, ſanguinem mittere, potiſſimùm quibus veluti limus vitioſus, & craſſus totus eſt ſanguis. At qui validi ſunt, multique ſanguinis, iis ſtatim à principio eſt detrahendus.* Porro autem ſi nondum fluente ſanguine, nec vulnerato pulmone in deſtillatione ſalſa mittit ſanguinem Galenus, protinus quidem, vbi vires ſunt validæ, alioquin poſtea ad probiorem ſuccum reducens, vt ſanguinis miſſionem ferre poſſint; multò magis, vel protinus, vel paulò pòſt iis erit detrahẽdus, qui iam ſanguinem expuunt, quum huius ſymptomatis ratione, illius auxilij vtilitas quoque deſideretur. Et verò idem Galenus cap. xiij. eiuſdem libri v. curationem proponens adhibitam ſplẽdidæ illi mulieri Romanæ, quæ ex catarrho ſanguinem expuerat, ob eam rationem à venæ ſectione abſtinuiſſe ſcribit, quia iam quatriduum propemodum ſine cibo, propter catarrhum egerat, alioqui miſſurus. Sed & Halyabbas lib. xj. practicæ cap. x. in ſputo ſanguinis ex venarum pectoris, & pulmonis cõrroſione, facta à defluxu acuto ex cerebro, venam ſecat baſilicam. Dicere autem fortaſſe poſſimus (ſi aliquis conciliationi locus eſt, nec Alexander, vt in aliis quibuſdam à Galeno diſſenſit, etſi ſoleat id apertè ille dicere) loqui Alexandrum de illis, qui à natura tenuem illum, & exſanguem habitum ſortiti, aliorum omnium maximè in ſputum ſanguinis incidere ſolent; hi enim cùm refici non poſſint, quia naturalis eſt habitus, non ferunt venæ ſectionem; de tali enim habitu, quum naturalis eſt, loqui Alexandrum manifeſtè apparet ex verbis; ſed cùm iidem habitus etiam non ex natura ſint, & in eundem morbum incidere quoque poſſint, non eſt hinc penitus abneganda venę ſectio. Quod etiam videtur innuere Alexander, ſcribens magna ex parte eorum corpus qui ſputum ex eroſione patiuntur, tale eſſe, quippe tale à natura: abſolutè verò id non protulit. Igitur ſi non illa ſanguinis inopia à natura laboretur, nec adeò infirmis viribus deſtillatio vrgeat, probioréque ſucco illos refici poteſſit, quãquam ex deſtillatione ſit ſputum ſanguinis, ſecanda quoque vena erit. Et idem etiam Auicenna (adeò ſibi non conſtat aliquando) eodem capite ſputi ſanguinis ex corroſione auxilia proponens, ſcribit eius curationem eſſe mundificationem (vt ipſe loquitur) cum euacuatione, phlebotomia, & aliis. An ne verò eidem rei adhuc refragari exiſtimandum Hippocratis dictum vj. Epidemiorum, quod aliqui exiſtimauerunt? *Impedimentum in cruenta ſpuentibus, tempus anni, phlegmone lateris, bilis:* quod Galenus exponens commentario tertio ad calcem dicit, ſi vehementer bilioſus homo ſit, impediri venæ ſectionem in ſanguinis ſputo: non ſanè putem. Primùm enim variè legitur locus ille Hippocratis, & variè exponitur, vt Galenus ipſe teſtatur, & Galeni interpretatio non omnibus arridet, tum verò, nec bilis cùm abundat, venæ ſectionem impedire poteſt, niſi ita abundet, vt ipſum ſanguinem ſuperet,

ſuperet, alioquin in biliosis morbis nunquam vena ſecaretur, ſed hanc rem determinauit idem Galenus libro .... de tuenda valetudine, qualitatis, & quantitatis humorum limites conſtituens, intra quos venam ſecare liceat, aliter non liceat, & nos hac de re alibi copioſiùs. Hîc ſupponimus ſputum ſanguinis ex corroſione, fieri etiam poſſe cum probi ſanguinis copia aliqua, quo caſu venam ſecandam eſſe dicimus.

In ſputo cruento ſanguinem modò ex ſuperioribus, modò ex inferioribus partibus eſſe mittendum. Galeni, Pauli, Alexandri, Meſues, & Auicennæ, ac recentiorum ea de re opiniones. Suppreſſis menſibus eadem via incedendum: ex proximo atque etiam affecto loco euacuatione interim vti licere, cum reuulſione adhuc opus eſt. De reuulſione aliqua ex Galeno.

CAPVT XXII.

De eadem venæ ſectione in ſputo ſanguinis quod conſideremus offert nobis aliud Alexander; pertinet autem ad locum vnde mittendus ſanguis: Galenus enim v. methodi cap. viij. internã cubiti ſecat, & ab eadem ſubſequenti die iterum mittit. Idem ex Galeno, vt credere par eſt, repetit Aëtius libro viij. cap. lxij. & alij auctores: ſed Alexander cap. primo libri ſeptimi cùm in eiuſdem mali curatione venam cubiti ſecandam proponeret, hæc addidit, prodeſſe ægrotis nihilominus ex imis etiam corporis partibus ſanguinis detractionem. *Noui autem ego me*, inquit, *cùm venæ cubiti in conſpectum non veniſſent, etiam ex venis in talo ſectis ſanguinem dimiſiſſe, & multò magis profuiſſe. Nam materiæ ad longinquiores partes prouocatio, firmiorem multò reuulſionem efficit.* Meſues etiam vtraque loca proponit, ſiue curationem, ſiue prouidentiam ſpectemus: in curatione enim cùm phlebotomias iterandas dicat ex vena baſilica, nunc dextri, nunc ſiniſtri brachij, addit. *Et quandoque conuertimus ſanguinem ad longinquam diuerſitatem, ſicut ad partes inferiores, & hoc cum phlebotomia ſaphenæ, & ventoſatione crurium, & ſcarificatione in ipſis.* Loquens autem de prouidentia ſcribebat: *Expoſiti autem ad ſputum ſanguinis ſunt, habentes pectus, & c. nos autem præcauemus ne cadant in illud cum phlebotomia ſaphenæ, & poſitione ventoſarum, & prouocatione hemorrhoidarum.* Auicennas etiam ſeorſim de præcautione, & curatione loquẽs; in præcautione rectius eſſe dicit, ſanguinem vbi abundat ad partes inferiores inclinare cum phlebotomia ſaphenę, & poſt eã cum phlebotomia baſilicę. De curatione autem ſcribens, proponit ſuccurrendum eſſe ſecando baſilicam partis, in qua exiſtimatur eſſe ſolutio ſingularis, repetitis detractionibus ſingu-

lis tribus horis. Addit rationem: *Phlebotomia enim attrahit ſanguinem ad vacuum*, (ad contrarium emendat Bellumenſis) *& prohibet aduentum apoſtematis in vulnere*. Hæc autem cùm generatim, & abſque diſtinctione dicantur de loco vnde mittendus ſanguis in cruenta expuitione, ſiue illa in maribus, ſiue illa in fœminis fiat, dubitatione adhuc augeri, difficilio emque reddi contingit, ſi tale ſputum fiat mulieri cui menſes diminuti, aut ex toto ſuppreſſi ſint. Memini ſanè caſum incidiſſe aliquãdo Genuæ, & rem variis opinionibus, & variis diſputationibus agitatam. Profectò enim ſi magis profuit detractio ſanguinis ex venis tali, ac per eum modum firmior fiat reuulſio, quod ait Alexander: ſi per eaſdem venias fit diuerſio ad longinquiora, quod ait Meſues, quod idem putem, ac fieri firmiorem reuulſionem; iam melius ſit inferiores, quàm ſuperiores ſecare. At Galenus v. methodi internam cubiti ſecat, & alij ex ipſo. Hæc generatim. At particulatim in mulierum caſu quid agendum? Trallianus particulatim & diſtinctè nihil proponit. Verùm ſi proficuam magis in viris inferiorem ſectionem exiſtimat, adhuc vtiliorem in mulieribus exiſtimaſſe dicendum ſit, ob rationem quam ex Galeno paulò pòſt adducemus. Meſues loco recitato non obſcurè de mulieribus videtur ſuam opinionem ſignificare, nã poſt illa quæ ſuperius adduxi generatim de curatione ſcripta, ſecandam ſaphenam, cucurbitulas affigendas cruribus, eáſque ſcarificandas, hac ſubdit: *Et quæ id quæ exigit diſpoſitio hemorrhoidarum, aut menſtruorum prouocationem*, quæ ſimiliter iterat cùm de prouidentia loquitur: ſcribit enim prouocãdas eſſe hemorrhoidas, & menſtrua; eſt autem menſtruorum prouocatio mulierum propria. Nec verò dubitandum agere de prouocatione menſtruorum per venæ ſectionem, non per medicamenta, cùm inſtrumentum illud, non pharmaciã ibi tractaret Auicenna. De præcautione idẽ ſentire videtur. nã poſt illa quæ ſuperiùs ex ipſo adducta ſunt, ſecandam ſaphenam, & baſilicam, addit quę particulatim ad mulieres pertinent, prouocanda eſſe mulieribus menſtrua, eorum circuitus tempore inſtante. At cùm iam non prouidentiam, ſed curationem tractat, baſilicæ tantùm ſectionem proponit, repetitis vicibus ſingulis tribus horis, cuius verba antea à nobis adducta ſunt. Sic igitur præcautionis gratia, inferiorum venarum ſectionem etiam proponit, in curatione penitus omittit: quamquã nonnulli ſunt, qui ex Auicennæ opinione, in curatione etiam ſaphenam ſecandam exiſtimant, ex quibus inter paulò antiquiores alicubi eſt Valeſius de Taranto, & inter recentiores Capiuacceius: cũ tamen Auicennas, ita vti dixi, auxilia quibus ab imminente morbo caueat, qui ei eſt obnoxius initio deſcribat, facti autem, ac exiſtentis deinceps. Hæc de Auicennæ opinione. Hippocrates v. Aphoriſ. xxxij. mulieri ſanguinem euomenti, menſtruis erumpentibus ſolutionem fieri proponit, quod Galenus in commentario comprobat: ita enim reuulſionem fieri ſanguinis qui ad ſuperiora tendebat, & eiuſdem extra corpus euacuationẽ. Si igitur rectam & ſalubrem naturæ operationem imitari debet Medicus, ad inferiora

trahet

trahet & ipſe ſanguinem, cúmque inde euacuabit: ſed & idem Galenus libro de curandi ratione per ſanguinis miſſionem cap. xviij. in vteri affectibus (eſt autem vteri affectus menſium ſuppreſſio, ex qua cruentum ſputum oritur) inferiores venas ſecat, & euacuationes ex cubito hoc nomine damnat, quòd purgationes menſtruas comprimant, ſanguinem ad ſuperiores corporis partes retrahendo, quum ex cruribus adeò non retrahant, vt etiam promoueant: id autem eſt quod paulò antea ex Galeno, ad opinionem Alexandri adſtruendam me allaturum dicebam: ſed & capite ſubſequenti xix. iis quibus ſuppreſſi ſunt menſes, ſemper in cruribus ſecandas eſſe venas dicit. Inter recentiores Altomarius cùm antea ſputo ſanguinis laboráti ſecandam propoſuiſſet humeralem, aut mediam in cubito, ſi mulier ſit, cui menſtrua non ferantur, in talo ſecandam eſſe dicit, pari ratione vt ſanguis auertatur. In viris igitur auerti putat ſecto cubito, in mulieribus talo. Hallerius Stempanus non diſſimiliter, in ſputo ſanguinis ex menſtruorum ſuppreſſione, venam cruris aperit. Iacchinus Emperienſis ſiue in viris, ſiue in mulieribus, iuxta morbi conditionem, modò ex ſuperioribus, modò ex inferioribus ſanguinem mittit. An verò recentiſſimũ memorem Ludouicum Mercatum in libro Praxeos ex talo mittere? eundẽ conſultum cùm caſus Genuæ incidiſſet, ad cubitum inclinare? ſic tamen vt de talo aliquando etiam mittendum dicat. Sed & de cubito miſſum, approbatum in eodem caſu à clariſſimis Medicis etiam video. Quare diſtinctione aliqua opus eſſe omnino apparet, quæ ex affectus natura, & cõditione, id autem eſt dicere, ex indicatione habenda. Igitur expuenti ſanguinem quo conſilio vena ſecatur? quæve eius auxilij ratio? Reſpondet Galeno v. Methodi cap. viij. vbi internam cubiti aperit, *ἀντισπάσεως ἕνεκα*, id eſt, reuulſionis gratia, Interpres reddit, *auertendi ſanguinis cauſſa*, ad ſenſum bene, ad verbũ non omnino, auertere enim, quod Galenus ἀποτρέπειν, & ἀποστρέφειν dicere ſolet, vniuerſalius eſt, & tanquam genus, deriuationem & reuulſionem propriè dictam comprehendit, vtrumque autem hic locum habet; propria tamen vocis notio erat interpreti retinenda, auctoris ſenſus ea commentanti relinquendus. Dicit itaque reuulſionem Galenus, non propriiſſimè tamen eam accipit. Igitur mitti ſanguinem hęmoptoico dicit Galenus reuulſionis cauſa; mitti dicit Auicennas, vt attrahatur ſanguis ad vacuum, ſeu ad contrarium, vt emendat Bellunenſis, atque vt inflammatio prohibeatur. Reuulſionem fieri debere ad loca maximè longinqua, habemus xiij. Methodi cap. xj. atque etiam 2. in ſextum Epid. vij. At verò cubiti vena, vtrùm ne maximè diſtat à pulmone, de cuius affectione potiſſimùm agimus, aut etiam ab alio viſcere interno? non ſanè; magis enim diſtat talus; & cubiti tamen venam reuulſionis cauſſa aperit Galenus, & aperit Trallianus, licèt aperta etiam aliquando quæ in talo eſt, maius emolumentum dicat apparuiſſe. Igitur vel reuulſio non ſemper ad maximè diſtantes partes fit, vel non reuulſio in hæmoptoico attenditur; at vtrunque ex Galeno eſt propoſitum. Dicimus vtrumque

recte eſſe accipiẽdum, & intelligendum: reuulſio enim exactiſſima & abſoluta, ad maximè diſtantes partes fit, quò enim magis à loco affecto recedimus, ſanguinem ad longinquiora fluxionis initia retrahentes, exactiùs & firmiùs reuellimus, quod Alexander dicebat; reuulſio tamen etiam eſt quæ fit ad partes non maximè diſtantes, ſicuti hoc loco à Galeno accipitur, & eodem xiij. Methodi capite xj. vbi iecinore inflammationem pati occipiente, reuulſionis cauſſa internam dextri cubiti ſecat. Porro autem reuulſionis hunc locum alibi nos diligentiùs tractamus. Interim in hæmoptoico attenditur quidem reuulſio, ſed modò exactiſſima illa & abſoluta, modò alia, quæ non fit ad partes adeò diſtantes; eſt enim cum alia, alia magis proficua, & neceſſaria eſt, id autem communiter, tum de viris, tũ de mulieribus exiſtimamus; de mulieribus enim quædam particulatim poſtea dicemus. Igitur abſoluta illa reuulſio fiat hæmoptoico ſecta vena in talo, quæ maximè diſtans & κατ' ἴξιν eſt, tum autem iſthæc ſectio locum habet, cùm ad partem, vel nihil decubuit, ſed fluxionis metus eſt, vel parum quid: ſi enim nihil, prouidentię cauſa longè auertimus, humoris momentum omne ad contraria, id eſt, ad longiſſima fluxionis initia retrahentes, venámque longiſſimè ſecamus, inde mittentes ſanguinem, vnde exiens, ne dum ad partem obnoxiam trahatur, ſed ab ipſa longè auertatur: atque iſthæc firmiſſima & validiſſima eſt reuulſio, ſicuti ab Alexandro dicitur; eóque tempore, & affectus conditione, curationis hocce genus maximè ſalutare eſt: quippe in parte longè diſſita ab ea quæ tentari ſolet, vitium & morbi cauſſa eſt, aduerſùs quam loco propoſito facta euacuatione pugnamus, quod eſt vniuerſum medentis conſilium. Ita Galenus libro de curandi ratione per ſanguinis miſſionem cap. xix. prouidentiæ cauſa comitialibus morbis, & vertiginibus obnoxios ex crucibus euacuat; nec minus eadem animaduerſione, & conſilio procedendum, ſi paululum quid fluxerit, proximúmque iam ſit parti, aut etiã in ipſa contineatur, adhuc enim quæ ſumitur indicatio ab humore fluere parato, ſeu ab origine fluxionis, aliis præualet; & eſt Galeni ſententia libro modò adducto de curatione per ſanguinis miſſionem ca. xix. in prouidentia eſſe procedẽdum, vt in iis qui pati iam occipiunt; in his igitur, vt in illis; quippe prouidentiam magis quàm propriè curationem animaduertit eo tempore medicus. At ſi materia iam copioſè fluxerit, detinetú; que in parte laborante, vbi inflammationem mouerit, vel eidem ſit proxima, vt inflammationis periculum inſtet, tunc alio reuulſionis genere eſt vtendum, quod non fit ad diſtantiſſimas partes, & proximè accedit ad deriuationis naturam; hoc autem erit ſecta vena in cubito: ita enim reuellitur materia, quæ eſt in loco inflammatione obſeſſo, cùm id per naturam partis licet, aut quæ eſt proxima loco: dixi, cùm licet per naturam partis; nam à pulmonis venis non licet ſanguinem ibidem contentum reuellere: quippe regredi non poteſt qui eſt in vena arteriali ſanguis, prohibentibus membranis in dextro cordis ventriculo, licet tamen eum reuellere, qui ex vena caua proximè labitur in pulmo-

nem,ibidem inflammationem geniturus. Cùm igitur defluxi ſanguinis eo loco non exigua continetur copia, celeríque inde extractione opus eſt,non diſtantiſſimam, ſed proximiorem venam tundemus: ſi enim diſtantiſſimam, qui pulmoni proximus eſt ſanguis, & præceps inflammationis minatur periculum,inde celeriter haudquaquam emiſſus, inflammationem ipſam gignet. Neque enim à diſtantiſſima parte eam ſanguinis copiam ſemel haurire licet, ex qua affecti loci, ſeu illius qui affecto proximior eſt,euacuatio conſequatur. Igitur ad proximas venas eo caſu deueniendum:quod eſt etiam conſentaneum doctrinæ Hippocraticæ vj. Epidemiorum,vbi ex Galeni ſententia commentatio 2. particula viij. aliquando licèt retrahentium auxiliorum vſus ſit adhuc neceſſarius, adhuc fluente humore, intermittenda tamen illa dicit, interim adhibitis aliis, quorum beneficio ſuccos in particulam priùs illatos,ibidémque hærentes excernamus;quod ſanè fiat in eadémmet particula ſectis venis, quod plus eſt quàm proximam aperire; adeò non timet Galenus eo caſu aliorum ad particulam attractionem. Vbi igitur illapſi ſanguinis copia ſeſe prodet,proximæ venæ ſectione ſuccurremus. Cognoſcere autem copiam ex illis non eſt difficile, quæ à ſanguine in ea parte cumulato proficiſci ſolent,inter quæ precuipuè nominauerim febrem: vbi enim multa præter conſuetudinem prope cor ſanguinis extiterit copia, illud viſcus accendi, & febrem gigni neceſſe eſt;ſed & ſanguinis qui expuitur magnus eſt impetus, & inſignis copia: magnum enim quod abundè ſuppeditat,proximum eſt promptuarium. Quòd ſi & illud contingat, vt fluxionis origo in ſuperioribus ſit, hoc eſt ſupra cor (etſi ab inferioribus nunquam non eſſe ſit credibile: quippe ab inferioribus ad cor aſcendit ſanguis) tunc vena cubiti ſecta reuulſio propriè fiat, & ſimul deriuatio; quippe ad originem retrahit, & proximum ſanguinem exhaurit; talis autem euacuatio proponitur ſæpe à Galeno,& reuulſio dicitur: manifeſtiſſimè primùm in libro de hirudinibus,ac reuulſione, cap. xj. per hæc: *Vehementes humorum fluxiones reuulſoriis auxiliis cohibemus, ne confertim prorumpant; ſunt autem reuulſoria auxilia hæc,cùm in pectus aut ventrem inclinatio,aut momentum* [humorum] *eſt, ad manus retrahere; vomitus autem cùm ad inferiores partes:* ſed & commentario 2. in vj. Epidemior. xxxij. reuellentia auxilia maniſeſtiſſimè dicit,quæ ex propinquo euacuant, & deriuantia potiùs ſunt. Hæc autem habet Galenus: *Auxiliorum reuellentium hæc vna quædam ſpecies eſt,ipſo nobis conſulente diuturnas oculorum fluxiones traducere ad fauces videlicet per acria medicamenta reuellentibus,quibus palatū inungere, atque gargarizare iubere conueniet.* Reuulſio igitur quæ dicitur,fit etiam ad partes non adeò diſſitas, & hac tali vtimur,cùm morbi conditio ac natura id poſtulat,quam in cruento ſputo cùm Galenus conſideraret,ideo cubiti venam in eo ſecuit. Meſues autem qui fieri etiam poſſe videbat,vt initio morbi reuulſionis ad maximè longinqua eſſet vſus vtilior, quandoque conuertere nos ſanguinem dixit ad longinquam diuerſionem; qui caſus cùm

incidiſſet Tralliano, effecit vt illam reuulſionem maximè approbaret. Auicennas cùm morbum præcauens vtraq; euacuatione, ſeu reuulſione vteretur, ſed primùm à parte longinquiori, morbum ſanè curans: quippe materiæ copiam quæ iam fluxit attendens, vt auerteretur ea à loco, & prohiberetur inflammatio, baſilicā ſecat, vti Galenus, eadem ratione ductus. In mulieribus peculiaris ratio eſt menſtruorum ratione; nam cùm illa excuntia à morbis multis ſoleāt vindicare, motum illum medici imitari ſolent: quod cùm verum ſit, non ita tamen accipiendum, tanquam in illo ſint omnia. Diſtinctione igitur res opus habet. Dicimus autem erumpentes menſes ſtato tempore morbis auxiliari, alioquin nihil aut parum prodeſſe: denique ſicuti excretiones alias ſymptomaticas, non quantùm morbo ſit neceſſe. Igitur hæmoptoicæ mulieri inſtante menſium circuitu, ſiue ex ſuppreſſione illius ſanguinis tunc morbo genito, ſiue eodem antea fluere conſueto, vena tali aperienda eſt; ita enim ſocio naturæ auxilio ſanguis reuellitur, qui primus medici ſcopus eſt. Atque hoc ſenſu accipienda quæ ſuprà ex Hippocrate recitauimus: *Mulieri ſanguinem vomenti menſtruis erumpentibus ſolutio.* Si autem menſes non inſtent, fuerintque antea ſuppreſſi, vt in venis circa vterum ſanguinem eſſe collectum coniectura ſit, quod & aliis ſignis deprehendatur; tunc ex talo, vti venæ illæ euacuentur, ſanguinem mittemus: alioquin eadem reuellendi ratio eſt, quæ in viris, de qua ſuprà dixi; quare non ſimpliciter erat reuulſio viris, & mulieribus alia, atque alia conſtituenda, quod fecit Altomarius. At ſi, tum circa cor atque pulmones maxima redundant copia, cuius impetus timeretur, quo caſu, ex cubito mittendum eſſe diximus; tum eadem circa vterum etiam appareret, quo loco vena aperienda? vtrobique ſanè. vtra verò præuertenda? ſi menſes inſtent, talus antea feriendus; ſi non inſtent, cubitus; hinc enim maius, & proximius imminet periculum. Ita de tota re ſtatuendum eſſe arbitror. Ex quibus etiam ſatis patere poſſit, quatenus & qualem vim habeant, quæ ab initio ex Hippocrate, Galeno, Tralliano, Auicenna, & recentioribus propoſuimus; illa enim cùm vera omnia ſint, non tamen ſingula vbique: ſed à nobis ſingula definita ſunt, & limitibus comprehenſa, quorum beneficio eorum auctorum ſententiæ omnes ferè accipi poſſunt. Illa tamen adhuc fortaſſe liquidiùs explicanda, quæ pertinent ad locum vnum cap. xviij. atque item alterum cap. xix. libri de curandi ratione per ſanguinis miſſionem; illic enim ſcribit, quæ ex cubito fiunt euacuationes, id habere adiunctum malum, quòd purgationes menſtruas comprimāt, ſanguinem ad ſuperiores corporis partes retrahendo; hic autem, iis quibus ſuppreſſi ſunt menſes, ſemper in cruribus. Dicimus ad primum, malū illud non eſſe huiuſmodi, vt ſuperiorū venarum ſectionem poſſit ſimpliciter, & per omnia impedire, alioquin in fœminis nunquā ſuperiores ſecarentur; ſanè vbi inferiores aperire licet, ex eiſque id commodi habetur quod re-

requi-

quirimus, & quod ad morbum depellendum ſatis eſt, ſuperiores omittimus, at vbi affectionis natura eſt, cui ex ſuperiorum ſectione maius afferatur auxilium, iam quod malum erat, deſinit eſſe malum à maiore bono oppreſſum: ſatiúſque ſit ſanguinem ad ſuperiores corporis partes retrahere, cum eo, vt qui in illis iam continetur, & vitæ periculum affert, foras pellatur, quàm dum illum ex inferioribus non moues, ad necem trahas ægrotantem; qui enim conceditur trahi ſanguis, non ſanè trahatur ea copia, nec ad illa loca in quibus tam præceps afferat periculum: non enim ex illa ſectione id omnino contingere poteſt. Ad alterum ex capit xix. dicimus, de prouidentiæ caſu ibi loqui Galenum, quod & manifeſtè ſuis verbis exprimit, ſcribens vbi euacuationem vere ineunte anteuertimus, quo à morbis præcaueamus; ſicuti in viris, prout vel totum corpus, vel hæc, aut illa pars laborat, modò haſce, modò illas venas incidimus, ita vbi expreſſi menſes ſunt, ſemper inferiores ſecandas eſſe, tunc enim vnicus affectus eſt, quo vniuerſũ medici conſilium dirigitur, & quo vt dirigatur nihil impedit. Solam enim auferre cauſam eo tempore ſtudet medicus, at cruento ſputo iugiter fluente, alia proſpicienda illi ſunt, quæ non inferiores ſtatim, ſed ſuperiores antea incidendas eſſe vehementer indicant.

De loco miſſionis ſanguinis in pleuritide, Auctorum omnium, Græcorum, Arabum, & Latinorum ſententiæ variæ, iuxta temporum ſucceſſionem quo floruerunt, ſigillatim explicatæ. Quid commune, & quid proprium; quid ſimile, aut diſſimile continerent oſtenſum. Poſitis quibuſdam fundamentis de reuulſione, & deriuatione, propria ſententia affertur, & rationibus confirmatur.

Capvt XXIII.

DE loco vnde in pleuritide mitti ſanguis debeat, magna verborum contentione inter recentiore medicos agitatum eſt, ab antiquiſſimis Auctoribus quæſtionis ſumpta occaſione. Græcis enim omnibus hac de re minimè conuenit inter ſe, nec Arabibus, & multò minùs his cum illis. Nobis in præſentia haud eſt animus opiniones omnium excutere, rationúmque momenta ſigillatim expendere omnia, hoc enim penè infinitum. Illud placet, ſingulorum opiniones ſummatim perſtringere, vt vnum ferè ſub aſpectum magna de re ſententiæ, auido ac curioſo lectori occurrant. Interim tamen dum illæ comprehendentur, è re nata de iiſdem aliqua explicabuntur, non ſine fructu. Poſtremum quibuſdam

adhibitis

adhibitis diſtinctionibus, de tota re ſententiam noſtram in medium afferemus. Igitur, vt à vetuſtiſſimis incipiam, Hippocrates libro ſecundo de ratione victus in morbis acutis particula decima, in pleuritide ſecat internam cubiti venam; at non adijcit vtro in brachio, lateriſne affecti, an oppoſiti. Verùm quarto eorundem librorum particula lxxiij. id manifeſtè proponit, eo corporis latere mittendum ſanguinem in brachio ſcribens, quo æger pleuritide laborauerit. Nec minus libro primo de morbis, ſecandam dicit eſſe venam in manu, [id eſt, in brachio] vel ſpenitidem appellatam, vel hepatitidem, iuxta vtram fuerit morbus; manifeſtè innuens ex latere partis affectæ mittendum eſſe ſanguinem. Sed Aretæus, vetuſtiſſimus & ipſe auctor, contrarium opinatus eſt; ſcribit enim libro quinto capite decimo reuulſionem ſpectans, ſecandam eſſe venam cubiti oppoſiti, præſtat enim, vt ait, maximè procul abducere. Aretæo conſentit Archigenes, vt apud Aëtium videre eſt libro octauo capit. lxviij. ex oppoſito enim brachio ſanguinem mittit, ita enim ex Archigene Aëtius: *In his qui acuto morbo, vt diximus, infeſtantur, ſi quidem circa mammas, ac clauiculam hæreat dolor, venam incidere oportet, vt dictum eſt, in brachio, non eo quod rectà ab inflammato latere procedit, ſed oppoſito.* Galenus autem autem libro de curandi ratione per ſanguinis miſſionem cap. xvj. apertiſſimè cum Hippocrate ſentit, ſcribens, *Pleuriticis, quæ è directo laborantis lateris adhibita fuit ſanguinis miſsio, clariſsimam ſæpe vtilitatem attulit, quæ verò ex brachio oppoſito, aut omnino obſcuram, aut certè poſt temporis interuallum.* Galenum ſecuti tum Oribaſius, tum Aëtius idem propoſuerunt; Oribaſius enim libro vij. Collectaneorum ad Iulianum capite quinto, verba Galeni ferme recitans ita ſcribit: *Quin etiam pleuriticis ſanguinis miſsio è directo laborantis lateris adhibita, euidentiſſimam ſæpe vtilitatem attulit, quæ verò ex brachio oppoſito, aut omnino obſcuram, aut certè poſt temporis interuallum.* Et denuo libro primo Synopſeos capit. x. *In lateris dolore eam* [venam] *quæ rectà ad locum affectum pertinet, incides.* Confirmatur ratione præceptum ab eodem Auctore: ſecatur enim in pleuritide vena, reuulſionis maximè cauſa: primis autem illico verbis eiuſdem capitis quinti libri ſeptimi, ita ſcribit: *Si venam cauſa reulſionis ſeces, è directo partium ad quas ſanguis fluit, perſpicuam inde vtilitatem celeriter videbis, at ſi cōtrà ſeces, nihil proderis.* Et primo Synopſeos ca. x. *Reuulſionis cauſa venam ſecato è directo partium ad quas ſanguis fluit.* Sed & Aëtius libro tertio capite duodecimo, eandem quam Galenus hac de re ſententiam proponit, ita ſcribens: *Sed & in pleuriticis venam è directo affecti lateris ſeca.* hic autem loquitur, vel ex propria ſententia, vel ex ſententia Galeni, ex quo erant deſumpta illa, quæ proximè præcedebant: antea verò ex Archigenis ſententia loquens, lateris oppoſiti ſectionem probauit. Alexander, & Paulus cùm venæ ſectionem proponunt, loci nullam faciunt mentionem. Ex Latinis Cœlius Aurelianus manifeſtè ſententiam ſuam declarans, ſcribit mittendum eſſe ſanguinem ex parte

oppſita per hęc verba: *Ita adhibenda phlebotomia, ſed ex alio brachio, quod fuerit dolentis lateris contrarium, certè rationis cauſa, quam ſæpe memorauimus.* At Cornelius Celſus libro 2. capite 10. nec eiuſdem, nec oppoſiti lateris venam nominat; ſed partem proximam, & partem longinquam. Verùm cùm iuxta eiuſdem auctoris doctrinam, ſanguis mittatur ſolummodo ex brachio, ex tếporibus, & ex talo, nulla erit pleuritidi propinquior pars quàm cubitus, eiuſdémque lateris: id autem poſtquam propoſuit Celſus, refellit ſententiam illorum, qui aliter exiſtimabant, & eorum argumento reſpondet; quibus tamen non obſtantibus, contrariam opinionem videtur amplecti, ſtatim ſubiicens, vſum ipſum docuiſſe, ex longinqua & oppoſita parte ſanguinem eſſe mittendum, quod pluribus docet. Sequuntur Arabes, quorum inter ſe neque etiam cócordes omnium ſunt opiniones. Serapion omnium fortaſſe antiquiſſimus, tractatu ſecundo cap. xxj. quum mittendus eſt ſanguis, nimirum materia calida, & dolore aſcendente, ſecat primùm baſilicam, ſcilicet lateris oppoſiti, vt interpretatur Rhaſis quarto Continentis, tum ſi adhæc materia fluat, retrahendum eſſe vult ad locum contrarium ei, ex dorſo ad longitudinem. Quibus verbis non video quid ſignificetur aliud, quàm ſecandam eſſe ſaphenam eiuſdem lateris, ſicuti videtur interpretari Rhaſis. Si autem ægritudo iam confirmata ſit, & non amplius materia fluat, ex loco dolenti, id eſt, brachio eiuſdem lateris ſanguinem eſſe mittendum ſcribit. Sub Rhaſis nomine duo ſunt diſtincta volumina ſatis magna, alterum ad Almanſorem ſcriptum; alterum, cui titulus Continens: vtriuſque non eundem eſſe auctorem putat Fallopius, & ſicuti Continentis auctorem tanquam ſenem, & maximæ auctoritatis virum magnopere extollit, ita hunc alterum tanquam empiricum, quinimo empiriciſſimum, vt ipſe loquitur, & malum medicum videtur negligere: nos ſanè non ita putamus, neque rationem videmus, cur alter alteri, ſi modò duo ſunt, adeò præferatur, vel potiùs cur alter adeò habeatur deſpectui: ſed hæc non ad hunc locum faciunt. De miſſione igitur ſanguinis in pleuritide, tribus in locis hiſce in libris fit mentio, nono ad Almanſorem cap. xvij. libro primo diuiſionum ad eundem Almanſorem cap. liij. & quarto Continentis ad finem libri, nec vbique eadem proponuntur. Nam ix. ad Almanſorem habetur, ſi dolor vſque ad clauiculam peruenerit, ſanguinem ex axillari eius partis, quam dolor infeſtat, eſſe mittendum. At libro diuiſionum, abſque vlla diſtinctione ſcribit, pleuriticis eſſe mittendum ſanguinem ex baſilica lateris oppoſiti, tum poſtea die tertia ex latere doloris. Quarto autem Continentis ex mente Serapionis dicit, initio ſanguinem eſſe mittendum ex manu oppoſiti lateris, tum ex ſaphena lateris affecti, poſtremò ex manu affecti lateris. Auenhoar libro primo tractatu decimoſexto capite tertio ita habet: *Curatio huius ægritudinis eſt phlebotomare ægrotum ex baſilica brachij oppoſiti, etſi quibuſdam nouis medicis noſtri temporis*

videatur minuendum ex eadem parte ægritudinis; adductis ad eam rem logicis, & ſophiſticis quibuſdam rationibus: id verò mihi nullatenus videtur rationi conſonum, nec verum, certiſſiméque exiſtimo, ita facere, ægrotum eſſe ad mortem præcipitare. Halyabbas, qui eſt idem auctor, atque Iſaac, licèt diuerſi fuerint, qui eum librum ex Arabico tranſtulerunt, lib. vj. pract. cap. xiij ſcribit: Initio pleuritidis ſi dolor ad furculas aſcendat, ſecandam baſilicam lateris oppoſiti, quo materia morbi detrahatur in partem contrariam ei ad quam cœpit declinare: at ſi morbus iam proceſſerit, & materia firmata ſit, tunc eiuſdem lateris venam ſecandam, multúmque ſanguinis extrahendum. Alſaharauius libro practicæ, tractatu xij. capite vltimo, vbi mixtim de inflammatione diaphragmatis, & coſtarum agit, locum mittendi ſanguinis varium conſtituit, pro varietate humorum mouentium inflammationem. Dicit enim primùm, in curatione apoſtematis diaphragmatis ex ſanguine, ſi initium morbi ſit & prima dies, antequam ægritudo confirmetur, ſi vires conſtent, & reliquæ conditiones adſint, ſecandam baſilicam oppoſiti lateris; tranſactis autem tribus diebus, firmatáque ægritudine, iterum ſecandam venam, ſed brachij dolentis partis: Tum ſubiicit: *Cùm verò fuerit inflammatio ex ſanguine bilioſo, ſcietur baſilica eiuſdem partis.* Auicenna lib. iij. fen x. tractatu v. cap. primo, varia loca proponit: initio enim morbi, dicit mittendum eſſe ex latere diuerſo, quo genericè vt puto contrarietatem ſignificat, particularem nullam venam denotans: tum diſtinguens magis, laudat ſectionem ſaphenæ oppoſitæ in longitudine, id eſt, ſaphenam partis affectæ, quòd celeriùs adiuuet: Capiuaccius tamen hoc loco, putat ab Auicenna tundi ſaphenã non eiuſdem, ſed oppoſiti lateris, ita enim interpretatur ſaphenam oppoſitam; at cum non oppoſitam ſimpliciter, ſed oppoſitam in longitudine dicat Auicenna, eiuſdem lateris venam meritò accipiamus, ſicuti etiam accipiunt Gentilis & Iacobus de Partibus, & Matthæus Gradius Mediolanenſis. Igitur Auicennas primùm ſecandam dicit ſaphenam lateris affecti, quòd celeriùs adiuuet, tum baſilicam oppoſitam in latitudine, id eſt, baſilicam oppoſiti brachij, deinde nigram, id eſt, mediam eiuſdem oppoſiti brachij, qua non apparente, cephalicam eiuſdem loco ſecat, licèt non adeò celeriter adiuuare dicat. Poſtremum omnium poſt aliquot dies mittit ſanguinẽ ex latere conueniente in latitudine, id eſt, ex vena brachij partis affectæ. Auerroës vij. Collectorum, vniuersè in inflammationibus partium aut naturalium, aut ſpiritualium, vbi auertendum eſt, ſecat partem oppoſitam, vt parte dextra laborante ſecat ſiniſtram, & ſiniſtra laborante ſecat dextram. Meſues ſecat baſilicam lateris oppoſiti, ſi autem magna fuerit repletio, ſaphenã lateris oppoſiti; vt ſaphenam dextram, ſi ſiniſtrum latus, & è conuerſo, vt aliter quam Auicenna ea de re exiſtimaſſe videatur, quam opinionem etiam Gentilis tuetur, vt paulò pòſt dicemus.

mus. Ita ſenſerunt antiqui hi clariſſimi viri. Qui verò poſtea per ſubſequentia tempora fuerunt, ad annum antea circiter centeſimum, & Latinè, ſeu potiùs barbarè de medicina ſcripſerunt; cùm ex Arabibus artem illam addiſcerent, eóſque magiſtros haberent, eorundem ſententiæ adhæſerunt. Delituerant enim per illa ſecula fermè omnes Græcorum de medicina libri, Arabum autem in omnium manibus erant, quos autem ex Græcis perpaucos habebant, Latinè malè conuerſos peiùs intelligebant. Gentilis itaque Auicennæ & Meſues opinionem ſequitur, diſtinctione adhibita. Dicit enim ſi in vniuerſo corpore, partibúſque ſuperioribus & inferioribus ſit multa repletio, materiáque ſuperiùs aſcendat, ſecandam eſſe ſaphenam oppoſiti lateris, quod ſcripſerat Meſues; ſi enim tundatur ſaphena lateris affecti, etſi ſanguinem auertat, materiam tamen quæ multa eſt, corpore adeò redundante agitat, vt ad ſuperiores partes adhuc magis inclinet; ex quo timendum ſit, ne moueatur ad locum, qui inflammatione tentatur: ſecta autem ſaphena oppoſiti lateris, nihil tale timendum. At quoniam videbatur hæc ſententia aduerſari generali præceptioni, non eſſe moliendam auerſionem per duos diametros, reſpondit Gentilis id eſſe intelligendum de materia, quæ iam fluit; at ratione materiæ de cuius fluxione ſuſpicio eſt, fieri poſſe diuerſionem per duos diametros, qui tamen diametri duo ſunt ratione partis affectæ, non verò duo ratione partium ex quibus ſuſpicamur fluere poſſe materiam. Si autem materia non ſit adeò inſigni copia, nec partes tum inferiores, tum ſuperiores ita repletæ, ſaphenam eiuſdem lateris ſecat Gentilis, iuxta Auicennæ dictum. Arnaldus Villanouanus, qui ante trecentos annos, atque eo plus in Gallia medicinam fecit, libro quarto breuiarij, baſilicam aperit, loco Hippocratis adducto ex libro de ratione victus in acutis, intelligit autem baſilicam oppoſiti lateris, quippe ita Gentilis ex Hippocrate dicit, per hæc verba, *Fiat phlebotomia de baſilica, quouſque ſanguis in contrarium dolorem mutetur, vt ſaluetur dictum Hippocratis, dicentis in regimine acutorum, & ſi materia eſt in fluxu, fiat ipſa minutio per partem oppoſitam, & ſi materia fuerit multa, & virtus fortis, vſque ad defectionem ducas.* Sanè corruptè citantur ex his plurima, nam is de ratione victus in acutis, ſecandam quidem internam cubiti venam dicit: ſed vtro latere haud exprimit, ſanguinem autem copioſè, & donec illius mutetur color, educendum; quarto autem eorundem librorum, manifeſtè affecti lateris, non oppoſiti in cubito venam aperit, & vſque ad animi defectionem ducit, vt verum appareat, quod diximus, malè conuerſa de Græcis peiùs ab hiſce Auctoribus fuiſſe intellecta. Bernardus Gordonius Gallus & ipſe, quíque per eadem tempora apud Monſpeſſulanos medicinam profeſſus eſt, non diſcedit ab Auicennæ propoſita opinione; initio enim morbi, corporéque plethorico, tunden-

 dam

dam dicit baſilicam lateris oppoſiti, aut ſaphenam eiuſdem partis, tum verò eiuſdem partis baſilicam. Addit autem eius rei, quam putabat rationem; ſi enim morbi initio, corpore pleno, tundatur partis affectæ baſilica, incommodum ſequi dicit; nam venæ capillares quæ nutriunt coſtas ſuperiores, coëunt cum venis capillaribus, quæ procedunt à baſilica: quare ſi per morbi initia, corpore pleno, de eodem latere mittatur ſanguis, fieri tractum per venas capillares ad locum, ex quo inflammatio augetur; quod ſi ægritudine confirmata, & corpore non pleno, mittatur de parte oppoſita, fieri tractum materiæ corruptæ ad membra nobilia; ita mittendum ſicuti antea propoſuit. Valeſius Tarentinus libro tertio iiſdem veſtigiis inſiſtens, oppoſiti lateris baſilicam ſecat initio morbi ad reuellendum antecedentem materiam à loco vbi inflammatio incipit, tertia autem, aut quarta die ſecat baſilicam eiuſdem partis, vt pars coniunctæ materiæ euacuetur. Petrus Aponenſis libro cui titulus eſt Conciliator, differentia cxij. ſi corpus eſt plethoricum, & materia etiamnum fluit, mittit ex latere oppoſito, ſi non fluit, ex eodem: intelligit autem, vt puto, ſeu eiuſdem, ſeu oppoſiti lateris brachia, non crura; ſi autem fuerit inflammatio in panniculo pectus diſtinguente, id eſt, in mediaſtino (mediaſtinum enim per hæc intelligo, non diaphragma, ſicuti Nicolaus) vtrumque latus poſſe ſecari, magis tamen dextrum. At quoniam, ſubiicit Aponenſis, plerumque medici aduocantur materia iam collecta, eiuſdem lateris aperire venam ſæpius contingit. Nicolaus Florentinus primis verbis illico Auicennæ ſententiam proponit, & laudat, ſecandam eſſe ſaphenam: quinimo in eandem ſententiam Galeni dicta trahit, quæ leguntur ſecundo de ratione victus in acutis x. quæ de purgatione à Galeno dicuntur, quum dolor inferiorem thoracis partem occupat, ad ſaphenæ ſectionem perperam trahens. Poſt hæc autem cùm multas alias ea de re opiniones proponat, nullo interpoſito iudicio, alienam potius, quàm propriam videtur aperire ſententiam. Extitiſſe etiam dicit, qui nihil intereſſe arbitrarentur, vtro in latere ſecaretur vena, cùm vtraque baſilica æqualiter à vena magna aſcendente procedat, nec aliquid hauriat à ramis venarum partes pectoris nutrientibus, quoniam ſupra ipſos oriuntur, nec aliquam cum illis communionem habent, ideo fieri vt vtrauis ſecta æquale contingat iuuamentum, ſaltem materia collecta. His autem reſpondet Nicolaus, experientia ſic inuentum eſſe, vt docuerunt auctores, & ab experientia ſuperari rationem: ſed nos quæ ſuperſunt proſequamur. Non recedunt igitur ab eadem ferme opinione eiuſdem ſectæ alij, Gradius Mediolanenſis, Guainerius, & Gattinaria Ticinenſes, omnes enim oppoſitam partem initio ſecant, vel brachium, vel crus eligentes. Guainerius tempus definit, id eſt antequam ſputum fluere incipiat: Gradius

ſuper

ſuper nonum Rhaſis ad Almanſorem, opinionem Auicennæ non ſolum approbat; ſed verò & eandem Galeni etiam fuiſſe vult libro de curandi ratione per ſanguinis miſſionem, Galeni verba in ſenſum omnino contrarium detorquendo; quod enim Galenus dicit, miſſionem ſanguinis in pleuritide ex brachio oppoſito, vtilitatem afferre aut omnino obſcuram, aut poſt temporis interuallum, interpretatur ille ex brachio oppoſito, id eſt, è directo lateris dolentis, ſicuti quod paulò antè dixerat Galenus, è directo adhibitam clariſſimam ſæpe vtilitatem attuliſſe, pro eo accipit, ac ſi diceret, ex parte aut latere oppoſito parti dolenti. Affert deinceps Gradius opinionem Meſues de ſectione ſaphenæ oppoſitæ, cui etiam locum ſuum tribuit; ſed & ad id poſtremum venit, quod antea propoſuerat, vt ſectionem baſilicæ lateris affecti ſufficere fortaſſe aliquando dicat: nimirum cùm exigua admodum eſt plenitudo, & ita intelligendum Hippocratis locum ex ſecundo de ratione victus in acutis. Quamuis autem ex eodem latere miſſionem ſanguinis potiſſimùm valere dicat ad euacuandum ſanguinem, qui in particula inflammata continetur, ad quam inſtituatur ab Hippocrate, reuulſionem tamen ab eadem præſtari, licèt rarò, concedit idem Gradius. Sic igitur de tota hac re ſcripſère clariſſimi viri, qui ad propoſita vſque tempora extitère: à quorum ſententia ferme non receſſiſſe video, qui per quinquaginta deinceps annos ſubſequuti ſunt; in pleuritidis initio vel ſaphenam, vel baſilicam oppoſiti lateris tundentes. Ita per annos quinquaginta ſupra quadringentos, qui ab Auicennæ & Meſues temporibus ad ſuperiùs propoſita tempora interceſſère, eam ſanguinis detractionem in pleuritide executi ſunt. Alexander enim Benedictus Veronenſis, qui circiter annum Domini M. D. de medicina ſcripſit, tali venam ſecat, eligens latus dolentis partis, ſi humorum copia adfuerit, aut etiam ex aliorum ſententia, lateris oppoſiti, vti vehementiùs materia auertatur, alioquin facilè ſurſum impetum factura. Id autem maximè ſalutare exiſtimat, ſi diaphragmatis coſtæ pungantur, tunc enim fruſtra à cubito tolli ſanguinem putat ex Galeni ſententia, iuxta anatomes rationem: cùm vena, qua inferior pectoris pars alitur, ex aduerſa parte de vena magna ortum habeat, quæ binis riuulis coſtas vtrinque omnes nutriat: ex genu etiam alios demere dicit. Si autem inflammatio, & dolor ſunt ſupra ſeptum tranſuerſum, oppoſiti lateris in cubito venam ſecat, iecorariam quidem ſi appareat, ſin minus communem, aut mediam. Interdum in maxima ſanguinis redundantia ab vtroque talo, atque etiam ex aduerſo cubito non inutiliter auferri dicit; quòd ſi materia iam ſub coſtis collecta fuerit, ex cubito partis affectæ detractionem molitur, vbi vitiatus ſanguis ebulliens eadem via tollatur; quoniam autem ſæpe niſi collecta materia, præſertim à pauperibus viris non aduocantur medici,

ideo in illis ſæpe vſu venire dicit, vt ex dolente latere in cubito vena ſecetur. Ita ſenſit hic auctor: ſed quæ de origine illarum venarum ex Galeni ſententia putat ſe afferre, illa ſanè Galenica non ſunt, nec libro quarto de ratione victus in acutis, quem locum puto ab eo ſignificari, hæc ita habentur; nec verò etiam colligatur ſaphenam tundendam, quod Benedictus colligere vult. Ioannes Arculanus ex eadem Arabum familia medicus, quamquam diſtinctionibus adhibitis de venæ ſectione dogma illud Arabum omnino retinere velle minimè viſus ſit, retinet tamen: ſaphenam enim quatuor caſibus aperiendam dicit; cùm valde repletum corpus eſt, vitiatáque materia plurima: cùm materia venenata eſt, aut veneno proxima, ſeu corrupta, aut corruptioni proxima; tertiò, cùm timemus ne materia ad caput, & membra maximè nobilia decurrat: poſtremum, ſi eo tempore fortè contingat conſuetam aliquam excretionem, aut menſtruorum, aut mariſcarum retineri: ſin horum nihil eſt, ſaphenam omittit, nihil enim prodeſſe dicit, vbi vel materia fluens & inflammationem mouens, ab iecinore prouenire, aut à locis, quæ ſupra iecur ſunt, inferioribus autem locis nulla eſſet materia peccans, cùm ſaphenæ ſectio hæc tantùm inaniat loca, ex Auicennæ ſententia, aut vbi materia eſſet exigua, corpúſque inanitum; tunc enim præſtantiùs ex brachio ſanguinem mittere, cùm ex pedibus etiam miſſio, vt ille quidem ait, multò plus debilitet. Igitur ſolis propoſitis caſibus aperienda ſaphena, modò hæc, modò illa: eiuſdem enim partis aperiendam dicit, niſi immodica ſit repletio: ſic enim ex Meſues ſentẽtia oppoſitam ſecandam, aut quod melius eſſe dicit, aperiendas vtraſque, initio facto ab ea quæ affectæ parti eſt oppoſita; poſtea aperiendam baſilicam oppoſiti lateris, niſi inflammatione exiſtente in latere dextro, & materia venenoſa, ita enim monet Arculanus, ne ipſa trahatur versùs cor, vnde eiuſdem lateris baſilicam hoc caſu aperit: tum ex Auicennæ opinione proponit ſectionem baſilicæ eiuſdem lateris. At verò quoniam toties repetitas detractiones timet, hac concluſione, & diſtinctione vtitur, vt præterquàm in caſibus propoſitis, initio morbi, id eſt, intra primos tres dies, ſi corpus eſt inſigniter repletum, baſilicam oppoſitam aperiendam dicat, ſic tamen vt prima, & ſecunda dic melius ſit ex manu, tertia autem ex brachio; & demum ſi expedit, ex baſilica eiuſdem lateris ſanguinem mittere, ſi autem exigua eſt repletio, aut iam tertius tranſiiſſet dies, melius eſſe dicit, baſilicam partis affectæ ſecare. Sanè ex dictis ab hoc Auctore alia omitto: at ſi ſaphenam, aut ſaphenas inſigni plenitudine tundendas propoſuiſti paulò antè, Arculane, cur deinde à baſilica oppoſita initium ſectionis facis? tum autem quæ illa prima, & altera die manus ſectio? & quomodo à brachio diſtinguitur; ſanè enim cùm τῆς χειρὸς, id eſt, *à manu*, dicit Galenus, brachij venas vult accipi. An fortaſſe ſaluatellam intelligis? Sanè, & qui hanc è directo lateris affecti initio pleuritidis incideret, fuit

etiam

etiam per illa tempora Bartholomæus Montagnana, in conſilio quodam mittens ſanguinis vncias quatuor aut quinque. Quòd ſi poſt eam miſſionem, adhuc magnæ pleuritidis notæ apparerent, optimum eſſe dicit venam tundere lateris affecti. Ita per hæc Arabum tempora, primo pleuritidis initio, nimirum ante quartum diem morbi (hoc enim termino ipſi ſatis indiſtinctè initium illud definiebant) qui abſolutè, & ſimpliciter affecti lateris in cubito venam ſecaret, erat nemo, ſed omnes aut ſaphenam, aut baſilicam oppoſiti lateris per primos illos dies aperiebāt; vtra autem ex hiſce, variatum ſententiis videas, per factiones propemodum, aut ciuitates. Venetiis enim circiter annum Domini M. D. XXI. medicos omnes in pleuritidis initio ſaphenam aperire ſolitos legi qui adnotaret, & anno M. D. XXVII. Cæſar Optatus Neapolitanus, qui tamen Venetiis multa cum fama medicinam faceret, & hanc quæſtionē de loco miſſionis ſanguinis in pleuritide non inutiliter pertractauit; vt Venetiis vulgò conſueſſe medicos eo tempore ſaphenam tundere, ita Florentiæ, & Bononiæ baſilicam lateris inflammationi oppoſiti ſcindi ſolitam, ſcribit. Adiicit autem idem Optatus, Ticinenſes medicos è contrario, iam ſtatim inter initia affecti lateris in cubito venam ſecuiſſe, hic autem, vt puto, potiſſimùm indicatum voluit Curtium Ticinenſem. Per iſthæc enim tempora bonis literis renaſcentibus, medicorúmque Græcorum libris aut primùm, aut meliùs quàm antea in Latinum conuerſis, Arabum pleraque dogmata, quæ tanquam rata antea omnium animis conſtanter inhærebant, in dubium à nonnullis verti, & immutari cœperunt, inter quæ præcipuum hoc fuit de loco venæ ſectionis in pleuritide. Hic autem Matthæus Curtius, dum eo tempore Ticini profiteretur, ad auditores ſuos diſceptationem ea de re habuit, atque in pleuritidis initio affecti lateris venam in cubito ſemper tundendam eſſe exiſtimauit, quam diſceptationem poſtea Leonardus Fuchſius, qui eam à quodam Curtij auditore exceptam habuerat, in lucē edidit. Petrus etiam Briſſotus Pariſienſis medicus, eundem locum fuſiſſimè tractans, eandem opinionem ſecutus eſt, edito volumine anno M. D. XXV. aduersùs quendam medicū, quem fuiſſe Hieremiam Thriuerum ex Fuchſij reſponſione patet: ſubſecutus enim Fuchſius Briſſoti ſententiam aduersùs Thriuerum in primis laudauit, Thriuerúmque ipſum, quòd ex oppoſito latere in pleuritide mittendum ſanguinem exiſtimauiſſet, magnopere arguit, in libro quem edidit anno M. D. XXXIV. Ipſe enim Fuchſius lateris affecti ſtatim, & per initia venam in cubito interiorem tundendam exiſtimat, ſi quidem pleuritis in dextro latere ſit, vt pluribus eo libro perſequitur, alioquin maximum ſubſequi detrimentū, vitioſum enim ſanguinē ei permiſceri qui purus eſt, ſiniſtrámq; pleuritidem frequenter inuehi: ſi autē in ſiniſtro latere, aliam eſſe rationem ſcribit libro 2. Inſtitutionum medicarum, alibi ab ipſo explicatam. Explicatur autem in commentario libri de curandi ratione per ſanguinis miſſionem cap. 26. vbi Veſſalij ea de re opinionem proponit, &

appro

approbat: quam nos aſſeremus, vbi aliorum quorundam opiniones ante attulerimus. Martinus Acachias Briſſoti diſcipulus, vt ipſemet affirmat, magiſtri opinionẽ ex toto ſequitur, de fibrarum tractione ea proponens, & approbans, quę Briſſoti antea fuerunt. At Leonardus Iacchinus Emporienſis, etſi Græcorum medicinę maximus & ipſe eo tempore inſtaurator, Græcorumque medicorum libris maximè addictus eſſet, hac tamen in re, Arabum ſententiæ adhærere videtur. Ille quippe morbi initio, à ſaphena mitti ſanguinem vult reuulſionis cauſa; tum verò affecti lateris in cubito venam ſecat. Andreas Thurinus Piſcienſis, qui per eadem tempora Arabum doctrinam maximè extollebat, aduerſus Curtium libellum edidit anno M.D.xxviij. quo Curtij rationes omnes diluere conatus, ab oppoſito latere initio morbi mittendum eſſe ſanguinem exiſtimat; at eidem Thurino non multò poſt, quo Curtij opinionem defenderet, reſpondit Ioãnes Manardus epiſtola prima xvj libri anno M.D.xxxj. cũ duos annos antea, etiam de eadem re ad Pharaſium ſcripta epiſtola, quæ eſt quinta libri xij. venæ ſectionem in cubito eiuſdem lateris approbaſſet, ſic tamen, vt dari etiam caſus conceſſiſſet, ſub quibus oppoſiti lateris vena eſſet ſecanda, reuulſionis cauſa, aut etiam malleoli, vel tali, vt ſi menſes eſſent ſuppreſſi, aut mariſcæ. Benedictus Victorius Fauentinus volumine non ita exiguo, ſcripto anno M.D.xxxiiij. cùm eo tempore medicinã, quę theorica dicitur, in Bononienſi gymnaſio profiteretur, ex Hippocratis & Galeni ſententia, materia fluente ad partem affectam, firmare rationibus, & auctoritatibus conatus eſt, ſanguinem mittendum eſſe non ex eodem, ſed ex latere contrario affectæ particulæ. Per eadem autem illa tempora, Andreas Veſalius Bruxellenſis, peritiſſimus anatomicus, cùm admodum iuuenis eſſet, nouũ dogma de hac venæ in pleuritide ſectione inuehere conatus eſt; Epiſtola enim ad Nicolaũ Florenatem ſcripta, poſt multa ex anatomes ratione deſumpta, ita orationem cõcluſit, vt ſiue in dextra, ſiue in ſiniſtra pleuritide, ſanguinem ſemper mittendum eſſe diceret ex interna brachij dextri vena, præterquàm affectis tribus ſiniſtri lateris coſtis; tunc enim ex ſiniſtro latere in cubito detrahendum ſanguinem; ita enim commodè ex vna & eadem vena, etſi non eodem tempore, reuulſionem ac deriuationem fieri poſſe; ita etiam fibrarum rectitudinem, quam per κατ' ἴξιν intellexit Hippocrates ſeruari, vena enim ἄζυγος, id eſt, ſine pari, à caua exorta prope cor, per latus dextrum excurrens, eiuſdem lateris coſtas octo inferiores nutrit, atque ſiniſtri eaſdem inferiores octo, ad quas propagines mittit, & ad diaphragma, ac mediaſtinum, ex quo fiat, vt materia quæ in ſiniſtro latere inflammationem committit, ad illas octo inferiores coſtas, ex dextro brachio ad quod magis pertinet ἄζυγος, detrahatur, quam ex ſiniſtro. Si autem eiuſdem ſiniſtri ſuperiores coſtæ inflammentur, quæ haudquaquã à propaginibus illis venæ ſine pari nutriuntur, ſed ab aliis, quæ à caua ſtatim exoriuntur, ideo ſiniſtrum brachium eo caſu tũdendum eſſe dicit. Hęc ſententia fuit ab aliquibus omnino recepta, ſicuti à Fuchſio,

vti diximus; ſed ab aliis refutata, & rationi anatomicæ reſponſum, ſicuti poſtea oſtendemus. Iulius Cæſar Scaliger, vir non ſolùm humanioribus literis, & philoſophia apprimè eruditus; ſed medicus etiam non ignobilis, quid ſentiret de celebri per ea tempora quæſtione, prolatum & ipſe voluit, commentario ad Hippocratis librum de ſomniis, edito anno Domini M. D. xxxix. Exiſtimauit autem ad prohibendam ſanguinis multitudinem, ne ad affectum locum concurreret, ab oppoſitâ parte ſanguinem eſſe detrahendum, quod geometrica ratione eo libro colligit. Dolore igitur in latere ſiniſtro exiſtente, aperta indidem vena, plus trahi à dextro in ſiniſtrum, quàm dextra inciſa in ſiniſtrum; plus enim humoris eſſe inter circunferentiam dextram, & doloris locum, quàm inter eundem locum, & circunferentiam ſiniſtram: venam autem eiuſdem lateris, non ſolùm non auferre, ſed etiam trahere ad locum malè affectum: concedit tamen & ipſe, poſtquam totius materiæ ceſſauit fluxus, eadem parte mittendum eſſe ſanguinem, vti quod fluxit detrahatur; tunc igitur neceſſariam, vt appellant colligantiam, initio non eſſe. Proponit experientiam aduerſariorum, quippe duodeuiginti annorum ſpatio, niſi vnum vidiſſe, qui ex eadem parte inciſa vena euaſerit à morbo, cúmque corpore athletico, quod magis eſſet mirandum, at plus octoginta redegiſſe in commentarium per quinque annos, qui omnes eo curandi genere eſſent extincti, cum plus quingenti duodecim annis euaſiſſent, quibus in aduerſo cubito vena aperta fuerat. Ioannes Fernelius ſecundo Therapeutices capite quinto à Fuchſij opinione non videtur omnino diſſentire: hic enim cùm in inflammatione vtendum eſſe reuulſione exiſtimet, reuulſionémque eſſe tractum humoris illabentis in contrarium, non tamen dextra ſiniſtris, aut interna externis, aut alia quæ nomine oppoſita ſunt, exiſtimet eſſe contraria, niſi in fibrarum etiam, ac venarum recto curſu collocentur; quare pleuritidi dextræ nequaquã eſſe contrariũ latus ſiniſtrum; inflammato tamẽ cruri dextro ſiniſtrum eſſe contrarium; hîc enim communem, & directam eſſe venarum ſocietatem, non itidem illîc: idcirco pleuritide dextrum latus occupante, ſiniſtri cubiti venam ſectam eam haudquaquam tollere, ſed potiùs noxium humorem, vel in inflammata parte relinquere, vel puro ſanguini permiſcere, vel, quod frequentiſſimè accidit, ſiniſtram pleuritidem inuehere. Ioannes Baptiſta Montanus cõmentario ad Aphoriſ. xxj. libri primi, euacuationem auerſiuam, vt ipſe loquitur, fieri dicit ad partem oppoſitam, & ad longinquam, deriuatiuam autem per idem latus, & per eundem ſitum, vt ſi in dextro latere affectus eſt, eodem deriuamus. Hîc autem Montanus, vt manifeſtè apparet, nomine auerſionis, ſeu euacuationis auerſiuæ, intelligit quæ aliter reuulſio vulgò dicitur, & eſt auerſionis ſpecies, confundens ſine dubio genus cum ſpecie. Auerſio enim, vt alibi hoc eodem libro docuimus ex Galeno, genus eſt tùm reuulſionem, tum deriuationem complectens; ſed

Montanus auerſionem quam dicit, proponit fieri ad partem oppoſitam, & ad lõginquam, in ea autem non requiri ſitus rectitudinem, quam dixerant antea eſſe dextrorum cum dextris, & ſiniſtrorum cum ſiniſtris, ſed rectitudinem, quæ eſt inter extremas differentias terminorum localium; vt ſi locus affectus ſurſum eſt, trahatur materia deorſum; ſi antè, retrò; ſi dextrorſum, ſiniſtrorſum; & ſemper integram diametrum ſeruari; non duas; his autem differentiis non obſeruatis, diuerſiuam euacuationem haudquaquam fieri, ſitus autem rectitudinem non requiri, quod per hanc potiſſimùm diſtinguatur deriuatio à diuerſione: ex his appareat, cùm in pleuritide maximè competat reuulſio, concludi à Montano eligendam venam lateris oppoſiti, at ſubiicit copulari aliquando iſthæc duo, deriuationem, & diuerſionem, ſicuti in morbis acutis, in quibus vtroque remedio ſtatim opus eſt. In ſimplici igitur reuulſione, id eſt, quę nil aliud, quàm reuulſionem præſtat, differentias oppoſitas ſeruandas eſſe, vt in præſeruatione; cùm autem locum euacuamus morbo aliquo affectum, propinqua eſſe eligenda: ſic enim, & deriuatio & auerſio fier, vt ipſe dicit. Ex his profectò, quæ non adeò paucis protulit Montanus, vix appareat quam velit in pleuritide venam aperire, adeò confuſè, qui aliis confuſionem ea in re obiicit, loquitur ipſe; videtur tamen eiuſdem lateris potiùs quàm oppoſiti venam tundendam exiſtimaſſe. In quam ſententiam iuiſſe etiam video Guglielmum Rondeletium, hic enim libro de curandis morbis capite decimo quarto, baſilicam vel mediam affecti lateris aperiendam eſſe dicit, ſanguinémque ad magnam quantitatem eſſe mittendum; at ſi dolòr non remittat, iterandam ſanguinis miſſionem: ſubſequenti etiam cap. xv. pluribus eandem rem perſecutus, Veſalij opinionem refutat, auctore tamen haud nominato, aliáque non inutilia addit; ſed præſtat Rondeletij verba proponere, quę ea de re ita leguntur: *Statim ſanguinem mittere oportet è quacunque hora diei vel noctis, vel anni tempore, modò magnitudo morbi, & virium robur illam indicent: facienda verò à parte quæ è directo eſt partis affectæ, & à maiori vena, vt baſilica, & vna vice, ſi vires id ferre poſſint, ad ſanguinis mutationem, & doloris aliquam mitigationem extrahere oportet: quòd ſi ob virium imbecillitatem, vel ægrotantis difficultatem, illam euacuationem ferre non poſſit, in duas diuidere oportet, ſed quæ eadem die, vel paruo interuallo fiant, vel ſi videatur, per epicraſim facienda eſt, & niſi magna fiat miſſio ſanguinis ab ea parte, plus damni euenit, quàm vtilitatis. Nam illa pars ſanguinis miſſione commouetur magis, ſanguis, & venæ parum inaniuntur, per quas agitatus ſanguis facilius ad partem affectam fluit: facienda verò eſt à vena magna, quia facilior ſit ex ea euacuatio, & è directò partis, vt fiat κατ' ἴξιν, quæ rectitudo non ob villos rectos, ſed quia imitanda eſt natura, quæ ſolet facere ſuas excretiones ſecundùm rectitudinem: ſolent enim partes dextræ in dextras ſua excrementa mittere, ſiniſtræ in ſiniſtras. Hæc autem ſanguinis miſſio diuerſio eſt, quæ ob materiam fluentem, non ob coniunctam fit, niſi cùm poſt aliquot dies fit, in qua inflammatione aliqua materia impacta eſt, ratione cuius diuerſio facienda eſt, quæ ſi ad mutationem coloris ſanguinis fiat,*

erit.

erit deriuatio, & diuerſio. Sanguinis miſsio quæ à parte oppoſita fit, non poteſt eſſe vtilis, niſi in principio, in quo nulla, aut pauca materia collecta eſt, & continetur in magna vena, quæ rectitudinem habet cum parte dextra, & ſiniſtra. Neque audiendi ſunt, qui docent ſemper eſſe faciendam in parte dextra, quòd vena ἄζυγος magis ad partem illam vergat, quàm in aliam. Hoc tamen faciendum ad deriuationem exiſtimamus; vt primùm ex parte oppoſita trahebant, deinde ſecunda miſsione ſanguinis materiam impactam euacuare tentabãt. Verùm fruſtra fit per plura, quod per pauciora fieri poteſt. Quare ab eadem parte trahendus eſt ſanguis, cùm per illam partẽ & diuerſio, & deriuatio fieri poſsit. Hæc Rondeletius. At Hollerius Stempanus lib. 1. de morbis internis cap. xxvj. cùm è baſilica eiuſdem lateris mittendum in pleuritude ſanguinem dicat, aliquibus tamen caſibus venas cruris eiuſdem lateris ſecandas eſſe proponit, vt ſi ſuppreſſa aliqua per partes inferiores vacuatione, inde malum ortum ſit: in inſigni plenitudine; in materia virulenta, cúmque ſtatim initio materia in caput rapitur, ac mentem commouet; quæ videtur ferè Arculani ſententia, à nobis antea propoſita: In ſcholiis eiuſdem capitis, ille idem Auctor rationem reddit illius ſectionis; è dextro enim brachio in dextri lateris pleuritide, ob venam ἄζυγον, aut ſine pari, quæ è directo eſt: è ſiniſtro in ſiniſtri, tum ob intercoſtalem, quæ oſculis ramorum venæ ἀζύγου in ſiniſtrum latus perreptantium copuletur; tum ob naturæ conatum quæ [ſeſe ita exonerare ſolet, nimirum è directo. Dehinc autem propoſita Veſalij opinione, quam nos ſuperiùs adduximus, ſemper ſiue dextrum, ſiue ſiniſtrum latus afficiatur, mittendum eſſe ſanguinem ex dextro, præterquàm ſi in tribus, aut quatuor ſuperioribus ſiniſtræ partis coſtis inflammatio ſit, tunc enim ex ſiniſtra axillari; hanc opinionem refutat, oſtendítque anatomicam rationem à Veſalio propoſitam, nullius eſſe momenti: non enim ratione venæ ἀζύγου, aut ſine pari dictæ, in dextra parte reptantis, quà tranſire debeat ſanguis in ſiniſtra parte inflammatus, ibi tundendam eſſe venam, cum eadem vena ἄζυγος, quem recipit à caua vena ſanguinem, non ampliùs ad eam remittat, ita enim ſuis oſculis venæ cauæ coniunctis fabrefacta cernitur, vt ei illud eueniat, quod veſicæ vrinariæ, aut cordis vaſorum orificiis: id autem ita eſſe experimento probat, nam ſi venam cauam in parte ſuperiori quiſpiam ſecet, & fiſtula in eam intromiſſa, inferiorem verſùs partem ſufflauerit, tota ipſa caua vena in parte inferiori ſimul cum vena ſine pari inflatur, ac tumida euadit; at ſi venam eandem ἄζυγον parte inferiori ſecemus, immiſſáque fiſtula, ore ventum ſurſum propellamus, ſanè vena caua non inflatur, nec tumida euadit, quòd aër in vena ſine pari cõtentus exire non poſſit. Si autem aër à vena ſine pari ad cauam non deriuatur, multò minùs ſanguis aëre corpulentior refluere nõ poterit. Igitur eiuſdem lateris ſecandam venam dicit: cuius rei aliã etiam ſubiicit anatomicam rationem; nam inter axillarem, & cephalicam venas, quæ à caua aſcendente exoriuntur, prope iugulum ab vtroq; latere venam quandam mediam eſſe ex axillari ferè enaſcentem, quæ inde obrepens

in multas finditur venulas, quæ in vniuerſum cum ramuſculis, & venulis ſine pari copulentur nutrientibus octo coſtas inferiores; Ita cùm iecoraria in pleuritide percunditur, ſanguinem non tantùm in vena caua contentũ educi ſed illum potiſſimùm, qui in inflammatione continetur, aut eſt prope inflammationem; præcipuè quidem ſi morbus octo coſtas inferiores occupet, ſed multò magis ſi quatuor ſuperiores, quòd cum his magnam habeat axillaris vena communionem. Hæc eadem propè omnia habentur apud Amatum Luſitanum centuria prima curationum medicinalium in ſcholiis curationis, ſic iiſdem adeò ſententiis, & verbis, vt alterum ab altero deſumpſiſſe certò appareat. Hic igitur Amatus, etſi lateris affecti venam tundendam exiſtimet, ſicuti Briſſotus, & alij, illam tamen villorum aut fibrarum rectitudinem, quam ad ſanguinis attractionem, dum aperitur vena, maximè facit, & Briſſotus, & Fuchſius, & alij, ipſe deridet, & nihil conferre exiſtimat. Tum Veſalij opinionem refutat, eadem à nobis paulò antè ex Hollerio allata reſponſione, quòd ob oſtiola appoſita venæ ſine pari, quæ cauæ coniungitur, aperta quidem ad ſanguinem recipiendum à caua, clauſa ad eum remittendum ad cauam, vt in veſicæ vrinariæ, aut cordis vaſorum orificiis apparet, regreſſus hic fieri non poſſit; appellat autem illa, & oſtiola, & opercula: nihil tamen ita nominat Hollerius, licèt eandem rem dicat; ita autem ſe reperiſſe ſcribit Amatus in duodecim cadaueribus anno M. D. XLVIJ. Ferrariæ diſſectis, magna doctorum hominum ſpectante concione, idque etiam adnotatum fuiſſe à Ioanne Baptiſta Canano inſigni anatomico. Tum quæ de vena illa media inter axillarem & cephalicam ab axillari ferè enaſcentem, ex Hollerio propoſuimus, hîc etiam omnia habentur, quibus ad indicandam huius venæ cum vena ſine pari communionem, addit præterea experimentum Amatus. Si enim venam hanc inter axillarem, & cephalicam in iugulo enaſcentem quiſpiam ſecuerit, & cannula, ſiue fiſtula ſufflauerit, non ſolùm ipſam attolli, & inflari, ſed ſimul etiam ramulos eius, atque ramulos venę ſine pari, coſtas octo inferiores alentes, quod etiam eueniat cum iecoraria ſecatur, & fiſtula hæc quoque inflatur, vt pleuritidis omnino cauſa videatur à natura media hæc vena fuiſſe fabrefacta: talem autem venam Veſalio fuiſſe quidem antea ignotam, quũ de pleuritide dogma illud inuexit, deinde autem in laborioſiſſimo, & admirando de anatomia libro depictam, ſic vt quodammodo à prima opinione deflexerit. Cæterùm hic ipſe Amatus poſt aliquot annos eundẽ locũ tractãs, centuriç quintç curatione ſeptuageſima, cùm eandem de loco miſſionis ſanguinis retineret ſententiã, quædam tamen immutauit: ramos enim venæ ſine pari coniungi, & copulari oſculis venarum propagatarũ à vena axillari nutrientiũ internas thoracis altas partes, quod antea ſimpliciter protulerat, iam ita ſe rem habere dicit; quod per eum modũ in vno vel altero corpore ab eo diſſecto, euenire obſeruauerit, variis autẽ aliis in corporibus aliter accidere, venæ enim ſine
pari

pari ramos nō omnino iungi,& copulari propaginibus venæ axillaris in thoracis interna alta parte,ſed ita oſcula oſculis eſſe propinqua,vt nō difficilis ſit tranſitus humorū,& ſanguinis ab his ad illas,vt ſi non copulentur,copulari tamen,& coniungi videantur,quā rem in omnibus ferè cōſpicere liceat,& ad id confirmandum autoritatē etiam ac teſtimoniū adducit literatū Bartholomæi Euſtachij;quod verò facit ad priorē opinionē de loco miſſionis ſanguinis in pleuritide,illam præterea rationibus aliis anatomicis confirmat,proponens adhuc alios conſenſus ramorum venæ ſine pari cum axillaris,vti apud ipſum videre eſt. Verùm illa Amati oſtiola, aut opercula, quibus prohiberi dicit, ne à vena ſine pari remeet ſanguis in cauam, irridet Gabriel Fallopius in obſeruationibus anatomicis, neque à Canano viro ſolidæ doctrinæ,fieri poſſe vt talia oſtenſa ſint,quæ nulla ſunt, niſi fortaſſe per iocum, vt Amatum,& qui cum Amato erant deluderet,pro tempore à Canano illa ſint prodita;cōſenſum tamen venę ſine pari cum axillari concedit; ab axilla enim prodire venam ab Amato propoſitam, cuius tres, vel ad ſummum quatuor aliquando rami iunguntur cum tribus, aut quatuor propaginibus venæ ſine pari, nimirum inter tertiam, & quartam, quartam, & quintam, quintam & ſextam, & inter ſextam, & ſeptimam: infra autem ſeptimam, aut ſupra tertiam, ſe talem connexionem nunquam reperiſſe, ſæpe autem vnum tantùm, aut duos omnino. Proponit autem idem Fallopius in eiſdem obſeruationibus maximum per varias propagines conſenſum venæ ſine pari cum venis, quæ infra vmbilicum ſunt, vt colligi facilè velit,maximum ſectam venam in poplite,in pleuritidis curatione afferre adiumentum. Victor Trincauellius non eandem perpetuò initio huiuſce morbi tundendam eſſe venam exiſtimat, ſed pro vario corporis habitu, & conditione,quæ varias medico offerunt indicationes,modò hanc modò illam magis,quippe nō ſolam particulā,quæ inflammatione tentatur, ſed illas potiſſimùm à quibus fluxio fit, vnde inflammatio pendet, conſiderare neceſſe eſſe: hæ enim euacuandæ ſunt,quo fluxio ferri deſinat, & ita reuulſionem fieri, quæ in inflammationum initiis maximè præcipitur: ſi igitur vniuerſum corpus ſit repletum, aut præcipuæ eius partes, ab iiſque ad locum aliquem fluxione decumbente, gigni incipiat inflamatio, corpus ſanè vniuerſum,præcipuéque partes tanquam morbi cauſa,primùm omnium ſunt exinaniendæ: tunc igitur non venam quæ inflammatam partem præcipuè reſpicit, primùm eligendam; ſed quæ vniuerſum corpus,aut partes quæ repletæ ſunt, ita pro ratione multitudinis, & locorum, quæ repleta ſunt, atque inde ratione magnitudinis inflammationis, quæ ex redundantia humorum, qui fluere poſſunt,dependet,modò hanc, modò illam venā ſecat;concludit igitur,vbi maxima eſt plenitudo in toto,& in partibus inferioribus, quæ maximam reuulſionem poſtulant, quæ ad maximè longinqua, & maximè contraria fit, venas pedis ex eadē parte incidēdas eſſe,ſi mediocris plenitudo,aut totius,

aut plurium, & maximè præcipuarum partium, venam cubiti oppoſiti; ſi autem nulla, aut exigua ſit corporis vniuerſi plenitudo, ex qua nec timeamus inflammationem euaſuram in magnam, quæ fomẽtum ſolùm habeat à vicinis partibus, ſatis eſſe ſecare venam in cubito eiuſdem lateris: illam quippe ſatis poſſe euacuare particulam inflammatam, & proximas, à quibus inflammatio pendet. Si igitur ex ſuppreſſis menſibus, aut retentis puerperiis, aut cohibitis mariſcis, fiat pleuritis, inferiores venas eligit Trincauellius. Vnde in ſententiam Auicennæ, & Arabum eum magis concedere video; & ſi ille exiſtimet, non diſſidere Galenum, aut Græcos alios, ſed ab Arabibus rem magis diſtinctè propoſitam, cùm Græci locum tantùm inflammatione affectum conſiderent, Arabes loca etiam ex quibus lata fluxione augetur inflammatio. Quod autem ad κατ' ἴξιν, ſeu ad rectitudinem pertinet, fibras aut villos nunquam memorat; ſolam lineam rectam, aut diametrum, vt Auicenna loquitur, in medium adducit. Franciſcus Valleſius commentario ad quartum librum de ratione victus in acutis, proponit, Auicennam & alios ferè omnes Arabes ex contraria parte ſecuiſſe venam, multis autem agitata quæſtione, iam ferè omnibus ventum in ſententiam Græcorum, ſecarique iam vbique in brachio lateris affecti; de ſuo nihil aliud affert. Argenterius commentario ad Aphoriſ. vigeſimumprimum primi libri, ex eiuſdem lateris brachio mittit ſanguinem, idque reuulſionis veræ, & propriæ cauſa: hanc enim eſſe ſolam veram reuulſionem, non oppoſitum ſecare, cùm hæc ſit rectitudo, nimirum dextrarum partium cum dextris, & ſiniſtrarum cum ſiniſtris, nullo autem pacto dextrarum cum ſiniſtris, & ſiniſtrarum cum dextris. Hieronymus Capiuaccius cũ Auicẽna omnino ſentit, cuius hac de re ſententiam pluribus etiam explicat, dicit enim, ab Auicenna ideo proponi illas venas ſecandas, quia ſanguinis ſimplicem ſubſiſtentiam, vt loquitur Capiuaccius, conſiderat. Accidere enim interdum, vt corpus vniuerſum ſanguine ſit repletum, quare cùm ſanguis in partibus inferioribus contineatur, & infra iecur, meritò probari ſectionem ſaphenæ, & cùm ſanguis contineatur etiam in partibus ſupernis circa iecur, ad partem tum dextram, tum ſiniſtram, rectè ſecari venam vtriuſque brachij: ideo autem priùs ſaphenam tundi, tum brachij oppoſiti, & poſtremum eiuſdem lateris, non ſanè quod ita perpetuò ſit agendum, ſed cùm vel huius, vel illius auxilij indicatio apparet: ſi enim materia quæ fluxit, & pleuritidem concitauit, eſt exigua, quæ autem adhuc fluit & fluxura coniicitur, copioſa, tunc ab hoc ſanguine indicatione ſumpta, quæ magis vrget, non eiuſdem ſanè lateris debuiſſe ab Auicenna ſecari venam, ſed alias; cùm igitur hæ duplices ſint, altera brachij oppoſiti, altera ſaphena; cùm repletum eſt corpus, & dolor exiguus, ad maiorem & efficaciorem reuulſionem, ſaphenam ſecar, cuius ſectio ſufficiat aliquandò, vt alia non ſit opus; at ſi dolor perſeuerat, oppoſiti lateris ſcindendam, vt ab alio

alio latere fiat reuulſio; quòd ſi adhuc perſeuerat, tertiam venam id eſt, eiuſdem lateris, aperiendam. Huic ſententiæ non aduerſari Galenum, licèt ſcriptum reliquerit, ſectionem venæ ab oppoſito latere, vel nihil, vel tardè iuuare: reſpexiſſe enim Galenum ſcopum qui magis vrgeret, vbi enim dolor ſit vehemens, qui fomentis non cedat, ſed augeatur, vel etiam ante fomenta vehemens ſit, quia hinc ſignificatur ſanguinem qui fluxit, & in parte inflammata continetur, vehementem eſſe, maximéque poſſe; ideo quamprimùm venam eiuſdem lateris aperiendam: ex ſaphena enim, aut vena oppoſiti brachij, qui fluxit, ſanguinem non ita euacuari poſſe, vnde in eodem inflammationis loco relicto ſanguine, vel nullum, vel tardum eſt auxilium, quod dicebat Galenus. Ioannes Iacobus VVecherus internam ſecat cubiti oppoſiti, ſi adſit phletora, & fluxio valenter irruat, aut venam tali è directo laborantis lateris, præſertim vbi hemorrhoides, vel menſes detenti fuerint, ſi non plethoricum ſit corpus, venam è directo laborantis lateris; etſi quidem oppoſiti brachij antea, aut tali ſecetur vena, quia corpus plethoricum ſit, ſtatim eodem die poſt propoſitam ex brachio oppoſito, aut vena tali, hanc etiam ex eodem latere aperiri vult. Vidus Vidius iunior primùm quidem reuulſionis cauſa ſecat, vel ſaphenam eiuſdem lateris, vel internam, aut communem brachij oppoſiti, tum deriuationis ergo, internam aut mediam eiuſdem lateris. Hieronymus Mercurialis tres concluſiones hac de re proponit. Prima, vbi totâ materia iam influxit, ſi copia ſanguinis adſit coacervata ob aliquam ſanguinis ſuppreſſionem, nimirùm hemorrhoides, vel menſtruas purgationes, ſanguinem mittendum à partibus infernis, id eſt, à ſaphena. Altera, ſi morbus eſt in initio, vt nihil materiæ fluxerit, & in corpore ſanguis copioſus ſit ſponte coaceruatus, lateris oppoſiti venam incidendam; quia ſola reuulſione opus eſt, atque ita intelligendos Archigenem, Aretæum, & Arabes. Poſtrema concluſio, ſi morbus non ſit in principio, ſed in progreſſu, atque adſit plenitudo ſanguinis, vel etiamſi non ſit inſignis plenitudo, ſanguinem mittere oportet ab eódem latere, ſicut Hipocrates 4. acutorum, lxxij. tunc enim non ſolùm reuellere fluentes humores opus eſt, ſed ſanguinem etiam qui influxit, & diſtendendo dolorem facit, euacuare. Hæc poſtrema, quæ vulgaris omnium eſt ſententia, vera eſt. Prima patitur difficultatem maximam; ſi enim tota materia influxit, cur inferiores venæ ſecandæ, quarum ſectio magis facit ad reuellendam aut deriuandam materiam, quæ fluit, nihil autem euacuat ex inflammato loco, quod tunc maximè eſt neceſſarium? Quòd enim ex ſuppreſſis menſibus, aut hemorrhoidibus adſit ſanguinis copia, iam non tollat ſuperioris venæ ſectionem, quæ à repleto inflammationis loco indicatur, vti eadem copia indicat, quòd concedimus inferiorum ſectionum, vt vtrarumque ſectio fuerit proponenda. Altera autē concluſio eſt penitus inutilis in curationis negotio:

quis

quis enim,vbi nihil materiæ influxit,medicum aduocat?aut quale initium morbi illud eſt, vbi nulla ſunt inflammationis veſtigia? præſeruationis gratia inde mittendum eſſe,& omnes dicunt, & rectè,& vtilis præceptio eſt. Salceus Sclanus com.ad Aphoriſ.xxj.primi libri,fibrarum illam rectitudinem à Briſſoto & Fuchſio,& Veſalio valde æſtimatam, nihil in ſanguinis euacuatione cõferre exiſtimat,& per κατ' ἴξιν,ſeu κατ' εὐθὺ ſolã vaſorum continuationem, & ſocietatem intelligendam putat, refellítque Veſalij opinionẽ, & oſtendit, quomodo ſanguis qui in parte inflammata continetur,ſecta vena in brachio, qui è directo reſpõdet lateri dolenti, ſiue ſit dexter, ſiue ſiniſter, (ita enim ille faciendum exiſtimat) tum reuellatur,tum deriuetur,eandem proponens obſeruationem anatomicam, de ramo illo venæ qui ab exillari prodiens,diſſeminatur ad muſculos thoracis, & mammas per externas partes, quam venam non negari etiam à Veſalio,& dicit Sclanus,& dixit ſuperiùs Luſitanus; qui ramus per anaſtomaſim à Græcis dictam, iungitur & copulatur cum extremitatibus venæ ſine pari,ita vt ſecta vena axillari,ſiue dextra,ſiue ſiniſtra,euacuetur etiam ſanguis à ramo,quem diximus ab axillari vtraque produci;& ratione ſocietatis propoſitæ,à propaginibus illis venæ ſine pari:addit Sclanus, & confirmat quæ de oſtiolis, aut membranulis appoſitis ad initia germinationis venæ ſine pari à vena caua, illis ſimilibus quæ ſunt in cordis ventriculis,ratione quorum prohiberur,ne ſanguis, qui à caua fluxit ad venam ſine pari; poſſit ad cauam remeare. Hæc autem quamquam irriſa à Fallopio,vt antea propoſuimus, obſeruata tamẽ non ſolùm ab Amato, & alio peritiſſimo anatomico, ſed ab eodem Sclano oculis percepta in anatomicis adminiſtrationibus, dum in gymnaſio Neapolitano corpora diſſecarentur,addítque rationem Sclanus:meritò enim factum,ne ſanguis qui in vena ſine pari continetur, ad cauam remeare poſſit; quippe aliter futurum,vt perpetuo conſtrictionis motu,quem obit thorax,ſanguis perpetuò à vena ſine pari expelleretur ad cauam, & ita ſuo alimento deſtituerentur partes illæ,ſicuti ad redundantiam,aut vitium eiuſdem ſanguinis in vena ſine pari, quo poſſet ſanguis euacuari, ſocietate aut communione illa prouidit Natura, quæ illi eſt cum propaginibus venæ ortæ ab axillari, quarum beneficio ſecta vena in brachio,ſiue dextro,ſiue ſiniſtro, euacuatur ſanguis etiam qui in vena ſine pari continetur: ſecandam igitur in pleuritide venam exiſtimat Sclanus, quæ è directo dolẽti lateri reſpondet,atque ita tum reuulſionem à nobis præſtari, dum prohibemus ne à vena caua redundans ſanguis fluat ad partem affectam, tum deriuationem,dum euacuamus quod ad partem fluxit, & nondum ibidem firmiter hæret,ratione ſocietatis propoſitæ,quam habet axillaris, tum dextra, tum ſiniſtra cum ramis venæ ſine pari,qui ad nutriendas partes internas thoracis,& dextras,& ſiniſtras ſunt diſtributi.Hęc Sclanus.Ab eadem ſententia non diſcedit Alexander Maſſaria,qui ex brachio lateris laborãtis ſanguinem mittit:ita enim ſimul,tum reuelli,tum deriuari,quod opus

ſit

ſit neceſſariũ, nõ ſimpliciter reuelli, quod fiat ſectis venis in partibus oppoſitis & diſtantibus. In eandem ſententiam ire quoque video Ludouicum Mercatum, qui eiuſdem lateris venas ſtatim per initia ſecandas eſſe exiſtimat, ſic enim & reuulſionem & deriuationem fieri. Anne verò alias adhuc recentiorum ſententias memoro? propoſitæ ſanè ſunt, mihi quidem notæ, eorum qui illuſtriores ſunt, nec alias inquirere neceſſe habeo, quæ fortaſſe non paucæ ſunt, ſed obſcuriorum auctorum, qui vel his, vel illis rationibus magis perſuaſi, vel huic, vel illi opinioni adhæſerunt. Ex propoſitis autem pateat, non eſſe fortaſſe in tota medicina locum magis controuerſum, quum tamen ita frequens, ac alius quilibet, pleuriticus morbus ſit, vt per annorum ſæcula potuerint ſaltem experimenta, ratione adhibita rei fidem facere. Atqui, & hi & illi, ad propriam opinionem adſtruendam, ſua iactant experimenta, vt aliter aliis effectus omnino reſpondiſſe appareat, artis incertitudinis non leue argumentum; cùm illi qui per tot ſæcula, varia atque adeò contraria medendi ratione hoc in morbo vſi ſint, celebres admodum & in ſcribendo, & in medicina facienda viri extiterint. Egóne autem ex hac quæſtione aſymbolus diſcedam? non ſanè; nec tamen ſigillatim argumenta omnia perſequar, refutabo, aut confirmabo: ingentis enim voluminis res eſſet: ſed breuiter quædam tantùm proponam, haud inutilia fortaſſe, haud ex toto obſeruata fortaſſe. Illud primum eſto, miſſum ſanguinem ex oppoſito latere, haud vnquam pleuritico detrimento eſſe, nec alteri lateri inflammationem afferre, quod Fuchſius & alij ſcribunt. Cùm enim per tot annorum ſæcula quot antea propoſui, eo modo ſanguis miſſus ſit, haud credibile, eiuſmodi ægrorum detrimentum ex malè adhibita curatione, diligentes, & non imperitos medicos latuiſſe? quî enim poſſit alterius ſemper lateris ita ſecta vena, ſuborta inflãmatio non apparere? ſed & Galenus libro de curandi ratione per ſanguinis miſſionem, in pleuriticis non detrimentũ, ſed vtilitatẽ, licèt omnino obſcuram, aut poſt temporis interuallũ afferre ſcribit. Sed quoniam, non quod minimè lædat quærimus, aut quod ſerò proſit, verùm quod celeriter adiuuet, quod pleuritico eſt neceſſariũ; ideo quis pleuritico aptus ad celerem ſalutem, miſſionis ſanguinis in corpore locus eſt? Id ſanè ex eo pendere puto, quo conſilio mittatur ſanguis; licet enim in pleuritide, vt in cæteris inflammationibus mittere ſanguinem è vena, tum reuulſionis cauſa, tum deriuationis, quod in illis morbis peccans ſanguis duobus in locis contineatur, vel enim in loco qui eſt origo fluxionis, & vnde fluit, quo nomine intelligi etiam volo totum ſpatium, & totam viam, qua decurrit ſanguis; vel continetur in loco, qui inflammatione tentatur, ad quem iam defluxit, hic autem vel ſunt venæ exiguæ, ad quas de maioribus decurrit, vel ſpatia intermedia muſculorum, aut etiam continetur vtrobique, tum in loco originis, tum in loco inflammato, ſiue ſint venæ, ſiue ſpatia intermedia; qui eſt in ſpatiis intermediis, non

emittitur venæ ſectione, de qua loquimur, ſed ſcarificatione, ideirco hunc præterimus: at ſi ſecetur vena, vti emittatur qui eſt in parte inflammata, hæc dicitur deriuatio; quemadmodum ſi ſecatur, vti emittatur qui eſt in loco originis, aut in curſu, vel via intermedia, quo reuocatus, & de medio itinere retractus, ad locum inflammatione tentatum fluere prohibeatur, dicitur reuulſio: ſi vtrobique contineatur, vtrumque auxilium eſt neceſſarium. Debet autem vtraque euacuatio, tum cuius beneficio deriuamus, tum cuius reuellimus, fieri, vt Hippocrates loquitur, κατ' ἴξιν, quod Galenus interpretatur κατ' εὐθὺ, id eſt, è directo, ſeu è regione, aut recto tramite: hic autem rectus trames, non aliud eſt quàm conſenſus partium, & venarum ſibi inuicem reſpondentium, cuius beneficio ſecta altera parte, altera etiam euacuatur cuius inanitionem quærimus: fibrarum rectitudinem haud nomino, non enim puto neceſſariam; conſenſum ſimpliciter dico. Hic igitur partium, ſeu venarum conſenſus ſeu rectitudo, aliter in deriuatione, aliter in reuulſione conſideratur, & accipitur; nam in deriuatione conſideratur inter locum, aut venas loci inflammatione affecti, ac locum ſeu venam proximam quæ aperitur; in reuulſione autem, inter locum vnde fluxionis eſt initium, aut loca illi proxima, & locum qui ſecta vena aperitur: non enim, nec in deriuatione ipſemet inflammatione obſeſſus locus ſemper aperitur (quod per ſcarificationem facimus) nec in reuulſione ipſemet originis locus, quia non licet ſæpenumero, non enim vbique licet ſecare venam. Ex iis igitur quæ ſecari ſolent, illa eligenda quæ conſenſum, & ſocietatem habeant, aut è directo reſpondeant; in reuulſione quidem locis vnde initium eſt fluxionis; in deriuatione, loco qui inflammatione obſeſſus eſt. Initium autem fluxionis latiùs accipitur, nam & ipſe humoris fons, & totum ſpatium, aut via, qua decurrit humor, eo nomine intelligimus. Confert igitur ad reuellendum, tum euacuare fontem ipſum, ſi quis eſt, tum vias quæ ex ipſo humorem deducunt; ſicuti autem fons longiùs diſtat, ita viæ propriùs abſunt à loco inflammatione tentato: vera autem, & propria reuulſio à fonte, eſt ibidem ſecta vena, minùs propriè quo magis a fonte recedimus, & ad locum inflammatum appropinquamus: hæc enim iam deriuatio eſſe incipit, quæ à vena proxima, & ſocia fit, & reuulſio quædam minùs propriè dici poteſt. His poſitis, quæ & Galenica, & rationi conſentanea ſunt, non difficile eſt videre, quo loco tum in pleuritide, tum in aliis inflammationibus, ſeu reuulſionis, ſeu deriuationis gratia ſit ſecanda vena: ſemper enim reuulſionis gratia, origo & fluxionis initia quærenda ſunt, eaq; vena aperienda, quæ ex illis detrahat; ita enim in cōtrariā partē auertitur ſanguis, quū origo, & initiū cōtrariū ſit fonti ſeu termino, & motui, quo ex initio fertur humor: in deriuatione autē quæritur vena proxima cōſentiens, & ſocia loco inflāmato, vti materia inflāmata qua ibidē exiſtit euacuetur.

euacuetur. Igitur reuulſionis gratia, ſi initia fluxionis ſunt in partibus ſuperioribus ad inferiores, ſuperiora ſecabimus, originis locũ euacuantes, aut ſaltem vias, & ductus origini quidem ſubditos, ſed inflammato loco ratione fluxionis ſuperiores: ſi è dextris decurrat ſanguis ad ſiniſtras partes, dextra vbi eſt initium aperienda eſt, aut viæ paulò ſubtus initium, ita in aliis quæ opponuntur: quò autem magis prope initium aperitur, eò melior fit reuulſio, quia longiùs retrahitur. Tunc autem huiuſce reuulſionis occaſio maximè eſt, cùm materia maximè fluit, quod ſolet eſſe per initia morbi, ſicuti progreſſo morbo, multaque materia in loco inflammationis recepta, deriuatio maximè conducit. Igitur dum in pleuritide, quæ eſt inflammatio lateris; aut membranæ ſuccingentis coſtas, quærimus quæ vena aperienda, primùm videndum, quod aurea propoſui, vtrùm reuellere, an derriuare nobis conſilium ſit: ſi igitur reuellere, id eſt, prohibere ne ſanguis ad latus fluat, initia fluxionis conſideranda ſunt, & locus quâ fluit, vt inde per euacuationem reuocetur; quare ſi à capite ad latus, ſeu membranam ſuccingentem coſtas, per iugulares, & alias deinceps decurrat ſanguis, ex capite & iugularibus detrahendus ſanguis; & quoniam frontis vena non eſt opportuna, & iugulares cum periculo ſecantur, idcirco exterior in brachio, quæ & cephalica dicitur, cõmodè ſcindetur è directo lateris affecti, quoniam maximè putandum ex reſpondente parte capitis ire fluxionem ad latus, inde autem auferendus è capite eſt, vbi peccat: quamquã reuulſionis à capite gratia, nõ multũ fortaſſe interſit, vtra ſecetur, cephalica dextra an ſiniſtra, cùm ex iugularibus in caua vena admiſceatur ſanguis, ex qua deinde exoriuntur cephalicæ vtræque: ſi autẽ in partibus inferioribus humorum multitudo ſit, ab iiſq; digreſſus ſanguis, ad latus aut membranam ſuccingentem reſiliat, quod affecto vtero per menſium ſuppreſſionem contingere ſolet, aut retentis hemorrhoidibus, eo caſu reuulſionis nomine venæ in pedibus erunt ſcindendæ, ex ea parte qua fuerit dolor in latere, vti de capite diximus, ibidem enim ſimiliter in vtero eſſe affectionem coniectandum eſt, indidem autem euacuandum; alioquin etiam vtrumuis ex cruribus ſectum, vterum poſſit exinanire, & initia fluxionis euacuare, & reuellere à latere, & partibus ſuperioribus: ſunt autem, vt ab vtero euacuemus, hæ venæ opportunæ, nec ad exhauriendam illam partem aliæ nobis dantur: hæc tamen euacuatio, ratione vteri ipſius eſt deriuatio, & ita à Galeno appellatur; ratione lateris eſt reuulſio. Si autẽ vtrobique, id eſt, tum in ſuperioribus, tum inferioribus partibus, aderit multitudo, & vtrinque materia decurrat, vtrobique ſcindetur vena. Quòd ſi in ſuperiori parte venæ cauæ ad iugulũ, & inferiùs etiã ad eandẽ venã, & locis proximis ſanguis redundet, vnde impetu facto, ſiue ad dextrũ, ſiue ad latus læuũ declinet, oppoſitã partẽ ſecabimus, contrariũ motum opponẽtes; etſi enim nõ multũ fortaſſe referre videatur ad reuellendũ, vtra ſecetur, cùm ibidem in vena caua mixtus, & per totum

confuſus videatur ſanguis, trahere tamen quo plus fieri poſſit ad contrarium, & aduerſum motum opponere, prodeſſe aliquid poſſit: itaque ſi ad læuas moueatur ſanguis, & vel per venam à caua proximè enatam, nutrientem tres aut quatuor ſuperiores coſtas, in ſuperna hac lateris parte ibidem inflammationem concitaturus, aut auctурus excipitur, vel per axillarem & eius ramum, aut ramos, qui copulantur cum propaginibus ramorũ venæ ἀζύγου, aut ſine pari, à dextra parte prodeuntium ad alias octo aut nouem coſtas inferiores decumbit, quam defluxionis viam conſiderabilem, cum haud conſideraret Veſalius, nouum dogma antea propoſitum inuexit; ſi ſanè ad læuam, vel hàc, vel illàc mouetur ſanguis, baſilicam dextram aperiemus, longiſſimè ad contraria fluxionis initia retrahentes; etſi vtilis etiam admodum eſſe poſſit ſiniſtræ ſectio, cùm hinc etiam origo ſit fluxionis, & ad inferiorem adhuc longe partem materia decubitura; ſed quoniam, tum in tribus, aut quatuor ſuperioribus eiuſdem lateris coſtis, tum in reliquis eiuſdem octo vel nouem fieri poſſet inflammatio; ſi in ſuperioribus, reuulſionis gratia maximè prætulerim propoſitæ ſectionem, quoniam fluxionis motus hàc viâ eſt concitatior, cùm aditus à caua ad hanc ſit paratior: non ita ſi inferiores octo aut nouem tententur, quoniam hàc non poteſt ſanguis multùm concitatè ferri, reuulſio autem quam in præſentia quærimus, concitati motus maximè gratia quæritur. Itidem ſi ad dextram partem à vena caua propoſita mouetur ſanguis, vel per parem venam nutrientem tres, aut quatuor coſtas ſuperiores eiuſdem dextri lateris, vel per eam quæ eſt ſine pari, nutrientem reliquas octo aut nouem, reuulſionis gratia ſiniſtra baſilica erit aperienda, eadem ratione maioríque adeò vtilitate, quòd vtrobique ad excipiendam facilè fluxionem aditus pateat; etſi dextræ etiam apertio non parum conferat, quod, vti diximus, hàc etiam moueatur ſanguis, & reuulſio itidem hæc ſit, licèt non adeò perfecta. In hac autem ſanguinis emiſſione, coloris mutatio minimè eſt expectanda, quippe non affatum ſanguinem, qui inflammationi hæret, euacuare nobis conſilium eſt, ſed qui extra inflammatum locum in fluxionis origine eſt, reuellere, id eſt, prohibere ne fluat: huius verò mutari colorem non eſt neceſſe; quare qui reprehendunt oppoſiti brachij ſectionem, quòd ſanguis bonus euacuetur, vitiato in inflammatione relicto, cùm vera dicant, malè colligunt, hac quidem ratione eiuſdem lateris venam eſſe releindendam, non enim vitioſum in parte inflammata collectum ea ſectione auferre, ſed fortaſſe bonum ſola quantitate peccantem, ex locis haud affectis euacuare, ne fluat. Ita igitur, vt puto, reuulſionis nomine mittendus eſt ſanguis in pleuritide. At deriuationis gratia, id eſt, vt materia iam in loco inflammationis recepta, vndecunque fluat, euacuetur, quod ſpectare ſolemus iam progreſſo morbo, vicinam partem & ſociam, ac inflammationi communicantem eligentes, ſecabimus internam brachij ex illa parte, qua dolor affligit;

affligit; non enim alia datur proximior & conſentiens, quæ ſecari poſſit, cuius beneficio inflammatus ſanguis euacuari poſſit. Id ſpectauit Hippocrates ſecundo de ratione victus in acutis text. decimo; euacuari enim voluiſſe ſanguinem in inflammatione contentum, ex eo apparet, quòd copioſè euacuari voluit, donec color immutaretur, ſic vt rubidior multùm, vel pro puro rubido liuidus flueret, nam vt in contrario ſcribit Galenus, ſanguis qui in phlegmone continetur, caloris abundantia permutatur, ſi enim qui in totum ſpargitur corpus, pituitoſior exiſtat, rubicundior erit qui in inflammatione continetur; ſi autem rubidus qui in totum corpus eſt diffuſus, ſanè qui ad phlegmonem eſt, aduſtus & aſſatus, in nigrum permutabitur; liuidus autem, in ea tranſmutatione quæ fit à rubido ad nigrum, medium locum obtinet. Si autem reuellere, aut retrahere fluentem, & nondum inflammatum ſanguinem voluiſſet, non erat cur coloris mutationem expectaret Hippocrates, cuius ſententiam cùm ſequatur Galenus, idem ſimiliter propoſitum habuiſſe exiſtimandum eſt libro de curandi ratione per ſanguinis miſſionem capite decimo quinto, quo affecti lateris in brachio venam ſecuit: deriuant igitur, & Hippocrates, & Galenus, cùm ex affecti lateris brachio ſanguinem mittunt, eſt enim ſocietas venis nutrientibus coſtas dextras cum ramis baſilicæ dextræ, & nutrientibus coſtas ſiniſtras cum ramis ſiniſtræ, neque proximior datur vena, cuius ſectione ex inflammata parte educi ſanguis poſſit. Quamquam autem deriuatio dicatur, & ſit, quòd ſanguinem euacuet, non qui mouetur, & fluit, ſed qui in parte receptus eſt, non tamen impactus, cui debetur ſcarificatio, reuulſio tamen hæc, euacuatio appellatur etiam aliquando à Galeno, reuulſionis nomine latiùs ſumpto; cùm enim ſecta interna brachij, euacuetur ſanguis qui continetur in vena caua, & facilè ſemper fluit ad latus, hoc nomine dicitur reuulſio, quod etiam paulò antè attigimus. Reuulſionem ita appellauit Galenus ſecundo de ratione victus in acutis, text. decimo, ſcribens de pleuritide, vbi ſuperiorum partium condolentia indicauerit, venam in cubito illam eſſe ſecandam, quæ ſanguinem ab affecta parte, & magis, & velociùs, tum reuellere, tum euacuare poſſit; ſed & ſuppoſuit fortè hoc loco Galenus, originem morbi & initia fluxionis eſſe ad illas venas; reuulſio igitur non propriè eſt, vt puto, ſed mixtum quoddam ex reuulſione, & deriuatione, ſicuti etiam reuulſionem appellauit Galenus, in doloribus capitis poſterioribus, ſectionem rectæ in fronte venæ, quam præcipit Hippocrates quinto Aphoriſmorum; & miſſionem ſanguinis in occipite cum cucurbitula in oculorum diuturnis fluxionibus; cuius vſu cùm ſanatas diuturnas illas fluxiones dicat, ſintque hæc localia auxilia minimè approbanda initio morbi, reuulſiones propriè dicendæ non ſunt. Liquidiùs etiam ſecundo in ſextum Epid. particula xxxij. reuulſionem latiùs accepit, cùm

S 3 diuerſio

diuerſionem ab oculis ad palatum, reuulſionem dicit per hæc verba: *Auxiliorum reuellentium hæc vna quædam ſpecies eſt, ipſo nobis conſulente, diuturnas oculorum fluxiones traducere ad fauces, videlicet per acria medicamenta reuellentibus, quibus palatum inungere, atque gargarizare iubere conueniet.* Reuulſionis igitur gratia, aliquando in pleuritidis initio ex affecti lateris brachio mittitur ſanguis, deriuationis autem ex eodem frequentiſſimè, ſicuti mixti etiam operis ratione interdum. Contingit autem aliquando, vt licèt reuellentium vſus præcedere debeat, deriuantibus, adeoque ex diſtanti, & oppoſita parte venæ ſectio, in pleuritide priùs in vſum reuocari debeat, cùm à diſtanti parte initium fluxionis eſt; omiſſa tamen hac deriuationem molimur ex affecti lateris brachio, cùm dolor vehementiùs vrget, quod ex Hippocratis præcepto fit vj. Epidemiorum, per illa παροχετεύειν ὑπείξαντα, ἀντισπᾶν αὐτίκα, ἀντιπίπτοντα ὑπείξαι, hoc eſt, deriuare cedentem, retrahere ſtatim, renitenti cedere; in quorum explanatione hæc habet Galenus: *Neque enim ſemper in retrahentibus auxiliis permanendum eſt, ſed aliquod tempus, quod retrahentibus vacet, interponere oportet, vt ſuccum qui in affecto membro priùs inhæſerit, excerni permittamus: in membro enim remanens ipſum bifariam cõtriſtabit, & multitudine diſtendens, & qualitate diſcrucians. At ſi humores in particulam priùs illatos exire permiſeris, ipſam dolore liberabis, faciliùſque reuulſoriis auxiliis aliquid proficies, non ampliùs in ſe ipſum membro propter dolorem ſuccos proritante, vltra eam quam à principio non rectè acceperant, inclinationem.* Quamquam autem hiſce verbis Galenus reuellentia in dolorum curatione præire manifeſtò ſignificet; cùm tamen irruentibus adhuc humoribus deriuationem adhibendam ſuadeat, tanquam auxilium præuertendum, vti reuulſio magis proficua deinde ſit, cui non appareat, etiam non prægreſſis reuulſoriis auxiliis, ob eandem rationem deriuationi locum eſſe? Vbi igitur in pleuritide maximus erit dolor, argumento membranam eſſe repletam, & à morboſo humore vexatam, ſtatim à lateris affecti brachio deriuationis gratia mitti ſanguis debebit, quacumque à parte ad eandem membranam ſanguis fluat. Idem etiam colligatur ex illis eiuſdem ſexti Epidemiorum verbis, ὀδυνέων τὴν ἐγγύτητα κοιλίην καθαίρειν, αἱματὸς τε κοιλίην διαιρέειν, id eſt, *in doloribus proximum ventrem purgare oportet, ſanguinis ventrem reſcindere*, ad eum ſcilicet finem, vti dolor qui ex ſanguinis multitudine diſtendente, & qualitate affligente creatur, humore eodem exhauſto, & extra corpus emiſſo ſedetur. Nec verò timendũ eſt, quod nonnulli ſcribunt, ſecta vena in brachio lateris affecti, illuc ſanguinẽ trahi, illis enim generatim reſpondet Celſus lib. 2. cap. 9. de ſanguinis miſſione, per hæc verba: *Mitti verò his ſanguis debet, ſi totius corporis cauſa ſit, ex brachio, ſi partis alicuius, ex ea ipſa parte, aut certè quã proxima, quia non vbique mitti poteſt, ſed in temporibus, in brachiis, iuxta talos. Neque ignoro quoſdam dicere, quàm longiſſimè ſanguinem inde vbi lædit eſſe mittendum: ſic*

enim auerti materiæ curſum: at illo modo in id ipſum quod grauat euecari: ſed id ipſum falſum eſt: proximum enim locum primò exhaurit, ex vlterioribus autem eatenus ſanguis ſequitur, quatenus emittitur; vbi is ſuppreſſus eſt, quia non trahitur, ne venit quidem. Particulatim autem de pleuritide illud adiici poſſit; non lateris dextri, aut ſiniſtri ipſum affectum locum eſſe qui ſcindatur, quem ſcarificari prohibet Galenus libro artis medicinalis, ne plus ſit quod ratione doloris attrahitur, quàm illud quod euacuatur, ſed leuiter aperiri partem, ſociam quidem, nec lõgè diſſitam; ſed tamen adeò, vt reuulſionis nomen euacuatio illa etiam merere poſſit, aut mixti operis ſit, vt per initia illi locus aliquando, atque etiam ſæpe eſſe poſſit, quemadmodum etiam aliquando oppoſitam, & valde procul diſſitam à latere affecto partem, neceſſarium ſecare eſſe diximus.

De cauſis paralyſeos ſuſpectus Galeni locus perpenſus, & declaratus, ac Auicennæ non diſſentire oſtenſus. Paralyſeos cauſa à recentioribus quibuſdam adducta, refutata.

CAPVT XXIV.

CVm proximam, & continentẽ cauſam τῆς παραλύσεως, quę Latinè reſolutio dicitur, & nihil aliud eſt, quàm priuatio ſenſus, aut motus, aut vtriuſque in aliqua, aut aliquibus corporis partibus, inquireret Galenus libro primo de ſymptom. cauſis capite quinto, ita ſcribebat, vt quidem vertit Linacer: *Ac continens quidem, ſiue contentiua, ſiue proxima, ſiue quomodocunque alio vocabulo libeat appellare, huius ſymptomatis cauſa, eſt talis quiſpiam in neruo affectus, cuius occaſione à principio ad ipſum virtus tranſmitti prohibetur. Porro prohibetur, ſiquidem meatum aliquem neruus habet, qualem qui ad oculos deſcendunt manifeſtè habere cernuntur, vel ex obſtructione, vel compreſſione: ſi autem non habet, ex conſtipatione, vel frigore, vel compreſſione.* Quod hîc dicit Linacer conſtipationem, & Græcè eſt πίλησις, meliùs fortaſſe dicatur coactio, aut denſatio, aut etiam craſſefactio: ſed conſideremus locum Galeni; ſi neruus cauitatem habet, proponere videtur Galenus cauſas duas, ſeu duos affectus, obſtructionem, & compreſſionem, ex quorũ alterutro anguſtia facta, impeditur trãſitus animalis facultatis; ſi autem non habet, tres, ſtipationem, (quam nos coactionem, denſationem; ſeu etiam craſſefactionem dici meliùs putamus) compreſſionem, quæ ſimiliter neruo meatum habente propoſita fuit; & eſt vtrique communis, atque etiam frigus. Obſtructio igitur tantùm recipienda, vbi neruus cauitatem habere intelligatur, compreſſio, ſiue habeat, ſiue non habeat,

habeat,coactio ac frigus priuatim, vbi nó habeat.Sanè autem non video, quare duę hę cauſæ;denſatio,& frigus,ſeparatim & diſiunctim,alteráque ab altera proponantur, cùm à frigore denſatio ſit, illudque huius cauſa; vt qui à denſatione ,ſeu coactione,aut ſtipatione paralyſim fieri dicit,ille à frigore eandem fieri,non habeat neceſſe dicere , niſi eiuſdem denſationis particulares magis cauſas explicet , quod etiam apparere poſſit ex eiuſdem Galeni verbis,declarans enim quomodo ex illa denſatione,quam πίλησιν dixit,fiat paralyſis,ſcribit id contingere , cùm neruus craſſiorem, & duriorem quàm pro ſua natura , habitum ſeu conditionem ſuſceperit: id verò contingere duplici ratione,vel quia enutritus ſit viſcidis,& craſſis ſuccis, vel quia ſit coactus à violento frigore; quomodo igitur duas illas cauſas tanquam ex æquo ponit?Profectò ſi locus non eſt corruptus (quod tamen vt ſuſpicor facit antiqua tralatio , quæ manifeſtè hîc mendum continet, frigoris autem veſtigia nulla) dixerim coactionem , ſeu denſationem,& frigus eſſe poſita tanquam ſynonyma,vt poſterius prioris eſſet explicatio. Igitur cauſæ tres ponuntur à Galeno affectionis nerui,ex quibus impediri virtus poſſit ne feratur,obſtructio , compreſſio & denſatio, quarum aliqua neceſſariò interuenire debeat,vbi paralyſis gignitur.Ceterùm Auicennas,haud dicam, an diſſentiens à Galeno , an imperfecta abſoluens,an ſenſa illius non percipiens,paralyſeos cauſas aliter diſtinxit,& eum morbum fieri dixit,vel quia facultas non fertur ad membra, vel quia licèt feratur,membrorum vitio non ſuſcipitur , id autem hiſce verbis ipſe protulit.*Deſtractio ſenſus, & motus fit,quoniam ſpiritus ſenſibilis, aut motiuus, aut retinetur à penetratione ad membra , aut penetrat,ſed membra non ſuſcipiunt eius impreſſionem propter complexionis corruptionem.*Sanè autem cur prohibeatur ferri ſpiritus , cauſas fere affert quas Galenus , oppilationem,conſtrictionem,& compreſſionem : at videatur fortaſſe in Galeni dictis alterum membrum deſiderari , quum fertur quidem ſpiritus , ſed ob deprauatum temperamentum ſpiritus efficacitas non ſuſcipitur à membro.Dicimus, quòd Auicennas pluribus & diſtinctiùs exprimere voluit, fortè vt euidẽtius faceret , minùs ſubtiliter propoſuiſſe , & fortaſſe obſcuraſſe magis, cùm ipſum idem totum oratione ſua liquidò comprehendat Galenus. Nam quod ait, paralyſim fieri eo quòd prohibeatur facultati trãſitus,prohiberi autem ob nerui affectionem, quæ eſt, vel obſtructio, vel compreſſio , vel denſatio , eo ſanè omnia continentur ab Auicenna propoſita: ſi enim ſpiritus penetrat,vt ipſe loquitur,aut eius interpres,membra autem non ſuſcipiunt eius impreſſionem, propter complexionis corruptionem, profectò hæc corruptio temperamenti membri, potiſſimùm pertineat ad neruos illius membri , qui nerui ſpiritum illum erant recepturi , vnde membro fiat ſentiendi,aut mouendi facultas; hæc autem temperamenti corruptio, non eſt aliud quàm ille affectus à Galeno propoſitus, obſtructio,compreſſio, & denſatio , etiam ex Auicennæ dictis,qui corrumpi affirmat temperamentum ab intemperie non calida , aut ſicca , ſed frigida,

aut

aut humida,obſtructio [illegible] p. à Galeno propoſita eſt ab h[illegible] fri[illegible]do,nec minus [illegible] compreſſio, & denſatio à frigore, ſeu frigida [illegible] membri autem [illegible] [illegible] con[illegible] p. paralyſimque inde gigni [illegible]nimè corrupto [illegible] [illegible] amento,ex [illegible] eſt quę fieri non poſſe [illegible]. Igitur affectus propoſiti [illegible],qui ſemper paralyſim gignunt,[illegible] tamen pertinent ad neruos iuxta eorum initia,cerebrum, aut ſpi[illegible] [illegible] ad eorundem portiones ſeu exiliores propagines , quæ muſculis inferuntur, & ad cutim etiam diffunduntur,ſic vt nomine neruí intelligamus etiam neruoſa corpora,quę nimirum tenuiſſimos neruos habent,ſicuti cutis eſt, cuius nullam fermè [illegible] partem eſt, quæ exiguis neruis [illegible] : cum igitur ex [illegible] hi nerui ſeu neruoſa corpora,propter obſtructionem , compreſſionem,aut denſationem,facultatis [illegible] aut mouentis vim ſuſcipere non poſſunt,ſenſu,aut motu priuatur membrum; id autem eſt quod dixit Auicenna,membrum propter complexionis corruptionem ſpiritus penetrati[illegible] ſuſcipere non [illegible] enim cauſæ,membri eiúſque neruoſum temperamentum frigore aut humore corrumpunt,vti diximus,atq; ita ad eaſdem cauſas [illegible], nec in Galeni dictis quicquam deſideratur,quinimmo proximas cauſas affectus propoſuiſſe dicendus eſt. At verò alia adhuc ratione paralyſim gigni poſſe, auctores nonnulli ſunt qui proponát,nimirum fonte ſpiritibus defecto, quod contingat ob aliquam cerebri intemperiem,aut alios morbos;aut ſi in ſe ipſa contrahatur facultas,quod in cerebri vulneribus ex contuſionibus [illegible] ſcribit Galenus vij. Aphoriſm. lviij. Dicimus,vbi ſpirituum fons,id eſt, cerebri ventriculi ſpiritibus careant,non paralyſim,ſed apoplexiam gigni , quippe qui nulli ſunt,non poſſunt ad aliquod ex membris mitti , indeque totius corporis reſolutio,& mors ſubita ſequitur.Porro autem ſi fortè exigua adſit ſpirituum copia,rationem non video,cur ad hanc partem magis,ad illam minùs mitti debeant,vnde huius,non illius partis contingat paralyſis; niſi id fortè loci diſtantiæ ratione fiat,quo caſu pedes aut crura id pati poſſent, vt in proximis morti accidere videmus. Cæterùm ſpirituum penuria in cerebro,ſtuporem magis in toto corpore,quàm paralyſim alicuius partis efficiat , defectus autem ex toto , paralyſim totius , quæ mihi quidem eſt fortiſſima apoplexia,ex qua ſubita mors. Cerebri igitur morbi ſimpliciter , non magis hanc quàm illam corporis partem lædent niſi origines ipſæ,ſeu initia neruorum particulatim afficiantur , tunc enim partes læderentur,ad quas & initio nerui deſcendunt;ita verò ad neruum res pertinet,& ad Galeni opinionem reuoluimur. Hippocratis Aphoriſmus non de paralyſi , ſed de apoplexia intelligitur , quod ex Galeni commentario [illegible] nomine aphoniæ,ſeu vocis carentiæ,intelligi dicit amiſſionem [illegible],& motus in vniuerſo corpore, quæ eſt apoplexia , eam fieri ex cerebri contuſionibus manifeſtum eſt.

Variæ ex Galeno febris definitiones aut deſcriptiones: febris naturam caloris non quantitate, ſed qualitate conſtare. Tralliani de eadem re opinio. Ad Galeni definitiones adnotata quædam, cuiuſdámque loci tentata correctio. Alexandri Aphrodiſienſis & Auicennæ febris definitio allata.

CAPVT XXV.

CVM Galenus ad naturam febris explicandam, variis locis varias eius definitiones, aut deſcriptiones attulerit, ſemper quidem naturam attigit, at ex toto, quantum medico vſui ſit, abſolutam ſemel eius definitionem, aut deſcriptionem minimè propoſuit; quod tamen feciſſe Auicennas exiſtimatur [illegible] quarti [illegible]. Nos porro tum Auicennicam illam, quam multò antiquiorem eſſe oſtendemus, tum Galeni loca plurima, quibus febrim definire, aut deſcribere conatus eſt, hoc capite afferemus, & ad ſingula quædam adnotabimus, ex quibus febris natura maximè dilucidabitur. Igitur ad hanc rem pertinentia obſeruaui apud Galenum loca [illegible], quæ deinceps ſigillatim referam. Primus eſt libro ſecundo methodi capite [illegible]: *Febris eſt calor adeò auctus, vt occaſione eius corpus laboret, nec [illegible].* Alter, [illegible] de cauſis morborum capite [illegible] *quædam totius corporis immoderata caliditas.* Tertius, primo de di[illegible] capite tertio: *Febris eſt quando in corde quædam præter naturam caliditas generatur.* Quartus, in librũ Hippocratis de [illegible] commentario [illegible]: *Febris natura nihil aliud eſt quàm igneus calor.* Quintus, octauo methodi capite primo: *Febris eſt calor adeò imm[illegible] auctus, vt & hominem offendat, & actionem lædat.* Sextus, primo de ratione victus in acutis particula xviii. *Febris ortus eſt conuerſio natur[illegible] caloris ad igneam naturam.* Octauus, primo Aphoriſmorum xvj. *Febris eſt conuerſio natiuæ caliditatis ad igneam.* Nonus, ſecundo de naturalibus facultatibus viij. *Febris eſt caloris naturalis immodica quantitas.* Singulæ igitur hæ definitiones exprimunt formam aut naturam febris, qui eſt calor [illegible] alienus: ſed aliæ exprimũt nomine qualitatis, ſicuti cum dicitur [illegible] igneus, calor præter naturam, aliæ nomine quantitatis, ſicuti [illegible], totius corporis caliditas ἄμετρος, id eſt, immoderata, ſeu me[illegible] excedens: auctio enim propriè pertinet ad quantitatem, & [illegible] propriè de quantitate dicitur: Veruntamen quod in ea definitione [illegible]ponitur de calore haud naturali, illud propriè ad qualitatem, non ad quantitatem pertinet, noxiaque

noxiáque & infeſta caloris qualitate,non eiuſdem quantitate mo[illegible] cedente febris natura conſtat;libro enim tertio de præſagi[illegible] ex [illegible] bus capite ſecundo,cùm duplicem ſtatuat ſpecie calorem, al[illegible]um à putredine humorum genitum,cuius qualitas ſit acris & fumoſa,al[illegible]um cũ humiditate ſuaui,quantitate ſola à naturali ſtatu diſcretum, quorum ille quidem conſtans,& ægrè ſolubilis ſit, hic non diuturnus, ac ſequi ſolet balneas, exercitationes,cibum calidum, vini potum, animíque affectus, iram, & verecundiam: in hoc altero caloris genere, vtrùm febres aliquæ ſint, vt illæ quas laſſitudo, vel feruor, vel frigus, vel bubo, vel ira committit, controuerſum eſſe dicit: hæ porro febres ſunt ex diariarum genere; tanquam de aliis minimè controuerſum ſit: ſed & commentario quarto in ſextum Epidemiorum particula x x v. alluerantiùs etiam idem affirmaſſe viſus eſt; ibi enim duplici ſimiliter calore propoſito ex Hippocratis ſententia, quorum alterum ingenitum ipſe vocaret, eſſentiam in ſanguine,& ſanguineis viſceribus repoſitam habentem,alterum verò genus acre, mordax,& igneum,quod ſæpius diceret acquiſititium, interdum non naturale, nonnunquam & præter naturam, ſub quo genere febris etiam comprehenderetur; qui hoc affluerent ſcribit Galenus, illos ſtatim ac denſata cutis eſſet, febri vexari ſolitos, eos autem, qui altero calido vbertimè abundarent, ſuppreſſa difflatione pleniores quidem fieri, ſed in febrim non incidere, ea ſcilicet occaſione; idcirco quæ ſuprà recitata ſunt de febri, aut de calore illo, nominibus ad quantitatem propriè pertinentibus, illa per abuſionem dicta eſſe exiſtimare licet, ſicuti & alibi contingit. Quod ipſe etiam Galenus adnotauit libro primo Aphoriſmorum xi. cùm enim dicimus febrim magnam, aut paruam, intelligimus vehementem, aut mitem, quæ nomina qualitati explicandæ magis propria eſſent: & hoc modo etiam,licèt durius videatur, quod tamen non eſt, accipiendum eſt quod vltimo loco fuit propoſitum ex ſecundo de naturalibus facultatibus, febrim eſſe caloris naturalis immodicam quantitatem: non enim intelligit natiui caloris vbertatem & affluentiam eſſe febrim, quod negauit locis recitatis, ſed caloris natiui πλεονεξίαν, hac enim voce vtitur Galenus,quam commodiùs hoc loco, vt exiſtimo, vertamus, exceſſum,aut exſuperantiam, quàm immodicam quantitatem, vt facit Linacer; quum autem dicimus exceſſum,aut exſuperantiam,ita de qualitate,ac de quantitate intelligere licet: profectò ſi caloris tantùm dixiſſet Galenus, non addito naturalis, res omni careret difficultate, idem enim eſſet, ac cùm dixit calorem auctum;ſed tantundem eſt: qui enim augeri dicitur calor, ille ſemper naturalis eſt, ſed cum ita augetur; vt immutetur, & deſciſcat à natura ſua, illa febris eſt: patent illa ex Galeni verbis eodem loco: proximè enim ſuperiùs ſcriptis, cùm de eadem affectione loqueretur, appellauit eam τὴν θερμασίας πλεονεξίαν, caloris exceſſum, aut exſuperantiam,non addita voce,naturalis; Et paulò poſt,eandem appellat

di ſpoſitio,& res facta, ac ex numero permanentium, non in fluxu naturam ſortitus,qualis motus eſt,vt ex Galeno ſecundo methodi, & alibi Vidius libro primo de febribus, cùm Galenus febrim definiuit, conuerſionem innati calidi in igneum,abuſum eſſe nomine conuerſionis dicit, ſignificare volens,quod mutatum eſt, non verò mutationem: gigni igitur per motum febrim, nimirum per conuerſionem innati caloris in igneum, mutationem ipſam non eſſe: meliùs igitur locutum eundem Galenum primo Aphoriſmorum xiiij. vbi non conuerſionem definit febrim, ſed accendi dixit ob conuerſionem natiui caloris ad igneum, ſicuti etiam primo de ratione victus in acutis, febris ortum eſſe conuerſionem natiui caloris ad igneum, quippe initium, & cauſam illinc oſtendi, formam non item. Hæc bona omnino, & vera, quippe viri, meo quidem ſenſu, poſt antiquiſſimos Medicinæ patres, noſtra & auorum memoria medicorum omnium facilè Principis: ſed & adiiciam quod occurrit, poſſe recitatum locum ex Aphoriſmo xvj. leui immutatione ad poſteriorem commodè transferri, ſi enim quod eſt τροπὴ accentu graui, ſit accentu circumflexo, & iota ſubſcripto ſic, τροπῇ, erit tertius caſus, & ſenſus idem decimo quarto Aphoriſmo, ex conuerſione natiui calidi eſſe febrim, quod ſimiliter dicitur de Tralliani loco, vbi eodem modo definitur. At Cæſalpinus conuerſionem adhuc defendit;quippe omne quod fit, habere aliquid facti, conuerſionem igitur aliquid iam conuerſum,ratione cuius eſt febri,ſcilicet in caloris conuerſi, qui eſt res permanens. Atque hæc ad Galenicas febris definitiones aut deſcriptiones ſint allata. Quæ verò ab Auicenna proponitur initio quarti libri, eam dixi antiquioris auctoris eſſe, quod & facilè comprobabo: is verò eſt Alexander Aphrodiſæus,cuius de febribus libellus extat Latinè editus interprete Georgio Valla. Non putem ſanè tam facilè, hunc Alexandrum eſſe Aphrodiſæum illum inſignem Peripateticum, qui quæſtionum naturalium, & moralium libros illos duos pulcherrimos conſcripſit, & alios in Ariſtotelem commentarios inſignes,ſed ex eadem Aphrodiſio patria fortaſſe aliquem medicum, eundemque fortè qui problematum libros duos ſcripſit,qui à nonnullis Alexandro Tralliano,nullo tamen argumento attribuuntur,cùm huic,quem nos dicimus,quòd ex illa patria fuerit,ratione ſaltem aliqua à nobis adſcribantur. Is igitur Alexander,illius libri capite primo,ex ſententia Empedoclis,& Zenonis,& plurium ex Hippocrateis, vt ipſe aſſerit, febrim eſſe definit *calorem contra naturam, à corde ſumentem principium, ex eòque per arterias, ac venas in corpus vniuerſum progredientem, naturaleſque ſenſu offendentem actiones*.Hæc autẽ definitio mihi eadem videtur illi quæ ab Auicẽna propoſita legitur initio quarti libri in hæc verba: *Febris eſt calor extraneus accenſus in corde, & procedens ab eo mediantibus ſpiritu & ſanguine per arterias, & venas in totum corpus, & inflammatur in eo, inflammatione quæ nocet operationibus naturalibus, non ſicut caliditas iræ, & laboris, quum*

non vltimatur, & impedit operationem, ita vt retineatur. Nam quòd ab Auicenna dicatur calor extraneus, ab Alexandro contra naturam, nihil eſt diſcriminis, quippe iam antea Galeni verba recitata ſunt, appellantis eundem acquiſititium, non naturalem, & præter naturam: qua voce vtatur, ſeu Auicennas, ſeu Alexander mihi ignotum: Arabicæ etenim linguæ penitus ignarus ſum; Alexandri autem codice Græco deſtituor: ſcio tamen quòd Græcè eſt, παρὰ φύσιν, verti tum præter naturam, tum à nonnullis contra naturam, nec immeritò, vel enim idem ſunt, vel ſaltem ſi differunt, quum id quod eſt præter naturam latiùs pateat, quod eſt contra naturam veluti ſub eo comprehenſum, pro eo ſumi poterit; ſanè enim quod eſt contra naturæ leges, illud etiam præter eiuſdem leges erit. Scio fuiſſe hæc duo à Fernelio diſtincta, nec malè eo loco, quippe vitia quædam cutim fœdantia præter naturam quidem dici voluit, non tamen contra naturam, nec morborum nomine dignari; verùm, vt alibi diſtinguantur, hîc iam non diſtinguuntur. Dixerim ſanè Alexandræam definitionem eſſe perfectiorem Auicennica, quippe Auicennicæ multa ſuperfluè addita ſunt, quid enim illa *& inflammatur in eo inflammatur*, ſi iam propoſuit calorem eſſe in corde accenſum? niſi fortaſſe Arabicæ linguæ idiotiſmus ille ſit; & illa etiam nónne manifeſtò ſuperflua? *non ſunt caliditas iræ, & laboris, quum non vltimatur, & impedit operationem, ita vt retineatur*, quum enim nihil aliud quàm excludant calorem exiguo durante ſpatio, vt qui ex ira, & labore, quum hic firmatus non eſt, nec affectio morboſa, tunc enim iam ſit ille etiam febris; hæc profectò omnia ſuperflua ſunt, iam enim propoſitum eſt febrilem calorem operationes lædere, non igitur febrilis niſi lædat; at ex ira, & labore ſimpliciter non lædit, non igitur febrilis; non igitur neceſſe illa adiici: ſi autem lædit, quum in vniuerſum corpus ſit diffuſus, iam ex dictis in eadem definitione febrilis eſt, quare illa ſuperuacaneè addita ſunt, alia verò quæ in vtraque leguntur, eam complent, & perfectam reddunt, & rem totam liquidò declarant; quod enim dicitur eſſe calorem præter naturam lædentem actiones, id genus eſt à forma ſumptum, quæ enim vno verbo exprimi non poteſt formis pluribus explicatur, quod additur eſſe in corde, & inde in vniuerſo corpore, differentia eſt ſumpta à materia, ſeu ſubiecto, in quo is calor reſidet, ita enim in accidentium definitione genus, & differentia conſtituuntur ex Ariſtotelis doctrina; & hæc ad cõſtituendã definitionem poſſint eſſe ſatis: verùm ad rem totã liquidiùs declarandam, [illegible] adhuc, & magis particularia ſubiecta propoſuiſſe, & vias, per [illegible] plurimus ille calor deferri ſolet, non ſit Alexandro, aut Auicennæ [illegible]di; doctrinæ vtilitaté, & vt ſemel tota illa addiſcentium memoriæ [illegible]aretur, quærentibus: ſunt auté ſubiecta quę diximus, ſpiritus, & ſanguis, quo nomine alij etiam humores comprehenduntur, viæ autem, arteriæ, ac venæ. Inter definitiones autem ex Galeno à me ad initium huius capitis allatas,

duæ equidem ſunt quæ genus illud, & differentiam, ſeu formam, & ſubiectum continent, & perfectæ exiſtimari poſſunt, vt quæ ex ſecundo libro methodi capite vltimo recitata eſt, *Febris eſt calor adeo auctus, vt occaſione eius corpus laboret, nec probe fungi actione poſſit*; & quæ ex octauo methodi capite primo: *Febris eſt calor adeò immodicè auctus, vt & hominem offendat, & actionem lædat.* Calor enim auctus, & lædens actiones, genus & forma eſt; corpus autem, ſeu homo, id eſt, hominis corpus, differentia, & ſubiectum, vti diximus: in cæteris autem Galenicis definitionibus, conditio illa generis, ſeu formæ quæ calorem præter naturam ad febrim coarctat, nimiorum actionis ex calore læſæ, deſideratur, ſicuti etiam cùm in aliquibus apponatur materia, aut ſubiectum cor, vel corpus, in aliquibus ea deſideratur, niſi implicatè, cùm dicitur natiua caliditas, eiuſdem extranei caloris ſubiectum deſignari dicamus: ſed cùm explicatè in Auicennica illa, & Alexandræa definitione omnia habeantur, hanc meritò nos amplexabimur, & ad ſingulas particulas aliquid adnotabimus in ſequenti capite.

Diluuntur argumenta aduersùs febris calorem propoſita, & febris definitio Alexandrææ, ſeu Auicennica explicatur.

CAPVT XXVI.

FEBRIM eſſe calorem, cùm vel iudicio vulgi euidentiſſimum ſit, oppugnant tamen aliqui, ingenij oſtentandi cauſa; nos vtilem doctrinam quærentes, quædam tantùm, rei naturam magis explicantia proponemus. In acceſſionibus intermittentiũ febriũ cùm maximum appareat frigus, calor nullus, quomodo ſub calore poterit collocari febris illa? itidem in febribus lypiriis, vniuerſum corpus exteriùs ſentitur frigidum, quod etiam in aliquo ardentium pernicioſarum genere contingit, vt ſcribit Galenus libro de inæquali intemperie capite octauo, ſicuti etiam in hepialis, eo diſcrimine à lypiriis quod ibi à Galeno proponitur. Præterea qui ex febribus, præſertim colliquantibus proximi ſunt morti, frigidum expirant, ne dum igitur totum corpus, ſed neque cor illud videatur calidum. Ad primum reſponſio eſt, in acceſſionibus febrium rigentes, aut perfrigeratos omnino, dum perfrictio ſola durat, non febrire, datur enim rigor abſque febre, licèt vulgus inter febris tempora rigorem illum numeret, febrim frigidam appellans; poteſt tamen & hoc aliquando contingere, quod non rarò obſeruare licet, vt dum rigor adhuc durat; caloris exceſſus in viſceribus ſentiatur cum intenſa ſiti, & ſyſtoles celeritate; hi autem non ſolùm rigent eo tempore, ſed febriunt etiam, eſtque affectus tunc compoſitus, & intemperies conflata

autem à membro illo, quin priùs calefiat cor, non ſanè contingit: à membro autem ad cor aſcendit calor, tum per arterias aſcendentibus putridis fuliginibus, tum etiam abſque fuligine interdum, vt in diaria ex bubone, proxima parte calefacta, ſemper enim contingens pars, atque continua ipſa quidem primum caliditatem aſſumit, deinceps verò, & partem vicinam afficit, & hæc deinceps ſibi proximam; atque ita vſque ad principium inſiti caloris vbi peruenerit intemperies, totum celeriter corpus principij ſentit affectum, quæ habentur ex Galeno libro de cauſis morborum capite ſecũdo. Ex corde autem poſtea cùm reflectitur calor, commoda & aperta via per arterias id fit, quæ à corde vnicuique parti diſtribuuntur, ac per venas etiam, quoniam arteriis ſociæ, & iunctæ, ora habent communia, quibus calor, ſpiritus, & ſanguis inuicem communicantur. Satis autem conſtat, non illum, & eundemmet calorem, qui cordis corpori hærebat, ipſummet per arterias delatum, ad alias corporis partes demigrare, non enim poteſt cùm ſit accidens, nec verò etiam ſanguis, qui in cordis ſinibus continetur, ad alias partes remeare poteſt, impedientibus valuulis, quas obſeruant Anatomici. Sed ſicuti ex alio membro cordi communicatur, vel per fuligines, vel proxima parte ſubinde incaleſcente, vt diximus, ita ex corde, tum arteriarum corpora eidem continua excalfacta, partibus quibus adiacent & inferuntur, calorem communicant, tum ſanguis in corde exiſtens, proximum qui eſt in vena caua excalfacit, vnde reliquus in corpore incaleſcit, tum verò maximè, quod caput eſt, ſpiritus in corde geniti, & ex ipſo exeuntes extraneo calore infecti, quem ſuſceperunt in corde impertiunt ſanguini qui in arteriis eſt, & qui in venis ob ſocietatem propoſitam, & inde facilè ad ſingula membra ille influit, & diſtribuitur. Hic autem defluens calor alij vnitur calori, qui membro fixus ab initio eſt, eúmque ſimiliter afficit, vnde tertius quidam gignitur, extraneus & ipſe, qui febris eſt, ſic vt vnus tantùm calor febris ſit, ex immutato tum fluente à corde, tum etiam infixo partis calore conflatus. Et hæc per ſingula febrium genera, ſeu diariæ, ſeu putridæ, ſeu etiam hecticæ accipienda ſunt; ita enim hecticæ calor febrilis dependet à corde, vt aliarum, cùm prius in ſolidis cordis, quàm aliarum partium ſit accenſa caliditas. Nomine autem actionum naturalium quas lædi proponit definitio, intelliguntur actiones omnes à natura generatim comprehenſa prodeuntes, quomodo eam accepit Galenus libro ſecundo de ſymptomatum cauſis capite primo, qui hoc nomine intelligere ſe dicit, omnẽ qua animal regitur facultatẽ, vt animales etiam, ac vitales omnes facultates cõprehendantur: læduntur enim omnes in febri, licèt non ſemper omnes, ſed vel hæ, vel illæ, aliæque aliis magis aliquando, & interdum omnes. Galenus autem ſecundo methodi capite vltimo, non actiones naturales lædi ab eo calore dixit, ſed occaſione eius corpus laborare, nec probè fungi actione

 poſſe,

poſſe, & octauo methodi capite primo, hominem offendi, & actionem lædi, intelligens propriè, vt puto, actiones, & munera vitæ, quæ quiſque pro conſuetudine obire ſolet, arare, texere, ambulare, & ſimilia; ſed cùm harum vſus & firmitas, à ſuperiorum firmitate pendeat, illíſque læſis hæ quoque lædantur, has etiam ſub illis comprehendi ſatis conſtat; & hæ rurſus quoniam firmitatem ſuperiorum ſupponunt, qui haſce lædi dicit, ſuperiores etiam illas lædi neceſſariò adſtruit, ita alterutrius læſio apponi meritò potuit: huiuſce autem læſionis iudex eſt ſenſus, quæ erat vltima definitionis particula, ſicuti alius cuiuſlibet morbi: operationum enim læſio ſenſui euidens, morbum determinat apud Galenum libro artis medicæ capite vij. & ſecundo de temperamentis capite quarto: hoc tamen poſtremo loco non ſenſum nominat, ſed actionem dicit manifeſtè læſam; Eſt autem manifeſtè læſa tum in febre, tum in quolibet alio morbo, quum ſenſu ipſo talis apparet.

Febris diuiſio in febrem morbum, & febrem ſymptoma conſideratur: Galeni, & Auicennæ de ea opiniones. Febris ex obſtructione, vtrum febris accidens, an febris morbus dicenda ſit. Capiuaccij opninio laudatur, & adſtruitur. Febrem morbum, & febrem accidens non diſtare natura.

Capvt XXVII.

Febris diuiſio illa, qua alia morbus, alia ſymptoma ſeu accidens eſſe dicitur, quamquam non eſt deducta à rei ſubſtantia, nec eſſentialis haberi debet; quippe nec conſtituit nouam aliquam ſpeciem præter illas tres, diariam, putridam, & hecticam, eſt tamen maximi momenti, & magnopere attendenda, vti in morborum appellationibus turpiter non erremus, & multò magis ne in eorundem curationibus cum ægrorum vitæ diſcrimine imprudenter labamur. Videndum igitur de hac diuiſione: & quæ ac qualis ſit hæc febris ſymptoma, illiúſque momenta conſideranda; ne quòd accidentalis febris dicatur à nonnullis, aut ſymptomatica, putet aliquis eam eſſe negligendam, cùm non ſecus, atque eſſentialis, cuius naturæ & ipſa verè eſt, magna diligentia ſit procuranda. Galenus de hoc febrium genere variis in locis tractauit, quorum inſigniores non pigebit huc afferre. Igitur quarto Aphoriſmorum lxxiij. ita ſcribit: *A febribus moleſtari dicebant antiqui, illos qui abſque inflammatione, vel abſceſſu, vel dolore, vel eriſypelate, vel (vt ſimpliciter dixerim)*

xerim) abſque aliquo membro præcipue affecto ægrotabant; quòd ſi, vel propter lateris inflammationem, vel pulmonis, vel talis partis alterius febricitarent, non febricitantes ipſos nominabant, neque à febribus moleſtari dicebant, ſed pleuriticos, aut peripneumonicos, & aliis ſimilibus nominibus, velut hepaticos & lienoſos appellabant. Non diſſimiliter tertio in primum Epidemiorum quarto: *Cæterùm mos eſt tibi veterum, vbi de febribus diſputantes audis cognoſcendus. Nam ſi iecinoris inflammationem, aut lateris, aliúſque partis febris inſequatur, pleuritim, vel peripneumoniam, vel hepatiſim nominant morbum, non febrilem, qui verò citra inflammationem febricitat, febri hunc dicunt laborare.* In eandem ſententiam libro ſecundo de criſibus capite ſeptimo ſcribit, differentia membra propriam ſingula febrem accendere, vt exempli gratia lienem & iecur; ſubdens aliam eſſe formam febris phreniticæ, & peripneumonicæ, & pleuriticæ, & hepaticæ, itidem & aliarum omnium febrium, quæ ex inflammatis quibuſdam particulis accenduntur. Quibus etiam conſona illa ſunt quæ leguntur commentario primo in ſextum Epidemiorum xxvix. vbi hæc habentur: *Quidam autem veteres à diuerſis membris accenſas febres, ab illis cognominabant, lateralem febrem aliquam vocantes, & iecorariam, & lienarem, alias verò à ſymptomate ſoporifero, ſomnolentam, lethargicam, phreniticam, auriginoſam*; ſed & ſeptimo Aphoriſmorum xlij. ita ſcribit: *Non tamen vbi inflammatio aliqua, aut abſque inflammatione humoris putredo igneum calorem accenderit, balneæ vtiles ſunt, antequam noxij humores euacuati fuerint, aut concocti. Verùm tales morbos, aut laterum inflammationes, aut pulmonis, aut hepatis, aut lienis, antiqui nominabant, ſymptoma ſtatuẽtes ipſam febrem, non ipſum pathos. In quibus autem ſine partis inflammatione putreſcentes in venis humores febrem accendunt, in illis ſolis dicebant hominem à febre moleſtari, & ipſum à febre haberi, atque in ipſis febrium ſcripſère differentias, hepialem, & lypiriam, elodem, & typhodem, peſtilentem, & cauſam nominantes; hepaticam autem febrem, vel lienoſam, aut pulmoniam, aut lateralem nemo dixit.* Porro autem antequam vlteriùs progrediar euellendus ſcrupulus eſt ex locorum verbis, quæ poſtremùm recitata ſunt enatus: primò enim in ſextum Epidemiorum xxix. & ſecundo de criſibus ſeptimo, febrem lateralem ſeu pleuriticam, iecorariam ſeu hepaticam, lienarem etiam, phreniticam, & peripneumonicam nominaſſe dixit antiquos, & ipſe nominat, atque approbat; ſeptimo autem Aphoriſmorum xlij. hepaticam febrem, aut lienarem, aut pulmoniam, aut lateralem neminem dixiſſe ſcribit. Puto autem difficultatis momentum poſitum eſſe in verbis, quæ apud Galenũ Græcè ſcribentem non eadem vtrobique ſunt, eadem autem apud Latinũ interpretem. Senſus igitur verborum ex commentatio ad Aphoriſmũ hic eſt; hepatis inflammationis, aut lateris, aut pulmonis, aut lienis dicuntur hepatitides, pleuritides, pulmoniæ, & ſplenitides; ita morbum ipſum quæ eſt inflammatio nominabant veteres, non febrem, quam habebant loco ſymptomatis; igitur nemo febrem illam dixit abſolutè ſplenitẽ, peripneumonitem,

monitem, aut pleuritim, ſicuti dicebant hepialem, lypiriam, helodem, typhodem, peſtilentem, & cauſum: id tamen non prohibet, quin ſi ex aliquo membro accendatur febris, poſſit illa dici hepatica, ſplenetica, & pleuritica, quod & ſecundo de criſibus, & primo in ſextum Epidemiorum affirmat, non tamen febris illa dicetur abſolutè hepatitis, aut ſplenitis, quo nomine ſignificatur primarius morbus, id eſt, inflammatio, non autem febris quæ eſt ſymptoma; hoc enim ſignificare voluit ſeptimo Aphoriſmorum Galenus; & hac ratione etiam diuerſitatem oſtendere febris, quæ eſt ſymptoma, ab aliis; vbi igitur Latina tralatio habet in commentario Galeni ad Aphoriſ. xiij. hepaticam autem febrem, vel lienoſam, aut pulmoniam, aut lateralem nemo dixit, Græcè eſt ἡπατίτην δὲ τὸν πυρετὸν καὶ σπληνίτην, περιπνευμονίτην ἢ πλευρῖτιν οὐδεὶς εἶπεν hoc eſt, ad verbum, *hepatitem autem febrem & ſplenitem, & peripneumonitem, aut pleuritim nemo dixit*. Secundo autem de criſibus, & primo in ſextum Epidemiorum, περιπνευμονικὸν, πλευριτικὸν, σπληνικὸν πυρετὸν, id eſt, *febrem pulmonarium, lateralem, & lienoſam* dixit. His itaque de horum locorum conciliatione adductis, reliqua proſequamur. Eandem igitur febris diuiſionem habemus denuò apud Galenum primo ad Glauconem capite tertio, vbi ſcribit, febres nonnullas ex inflammationibus, nonnullas ex humoribus accendi, & quæ ex inflammationibus fiunt, eſſe veluti quædam ſymptomata partium phlegmone laborantium, & morbum magna ex parte ab inſtrumento patiente denominari, phrenitidem, aut peripneumoniam, aut pleuritidem, aut aliquid tale: & adhuc lib. 2. de criſibus c. 8. ſcribitur, quaſdam febres ex locorum paſſione, quaſdam ſine illa conſiſtere: ſunt autem ex locorum paſſione febres, quæ partium inflammationes, aut alias etiam affectiones febrem gignentes ſequuntur. Vltimus apud Galenum locus proponatur ex libro de differentiis morborum cap. 5. quo iam è dubium eſſe poſſit, verùm à Galeno approbetur, aut improbetur illa diuiſio, nam cùm illam ex aliorum mente proponat, qui dicebant, vbi febris ſenſibilem in alicuius partis affectum ſequatur, ſymptoma eſſe dicendum, alioquin morbum; & pathema, ſubiiciátque hos eſſe accuſandos, quòd non expectantes vt ab aliis confutentur, ipſi in ſe ipſos incurrunt, non liquet verum reprehendendos dicat meritò huiuſce diuiſionis, an alteriuſue erroris, ſeu inconſtantiæ: Illi enim quos reprehendit, exiſtimabant morbos eſſe functionum læſiones, quæ Galenus ſymptomata eſſe vult, iidémque dicebant, ſi ex phlegmone naſcatur conuulſio, ipſam eſſe phlegmones accidens & ſymptoma, ſi verò ex ſola intemperie; eſſe morbum; itidē de febre, modò eſſe ſymptoma, quum ſenſibilē alicuius partis affectū ſequitur modò morbum, & pathema, cùm nullū talem Sic dicit Galenus, αὐτοὶ αὑτοῖς περιπίπτουσι, ipſi ſe ipſos reuinciunt, vertit Leonicenus, meliùs, in ſe ipſos incurrunt, hoc eſt, ſibi ipſis contrarij ſunt, & dicunt ſecum pugnantia, hoc enim valet, etiam apud alios verbum περιπίπτειν. Hi igitur ſibi ipſis erant contrarij, & in omnibus hypotheſim ſuam non ſeruabant, quum conuulſionem, quæ eſt læſa actio, & illis idcirco morbus

modò dicerent morbum,& modò ſymptoma;& febrem ſimiliter , modò morbum,& modò ſymptoma:non video autem ex hiſce, eiuſdem inconſtantiæ,quam in aliis reprehendit Galenus,non poſſe etiam ipſum damnari,aut minùs valere reprehenſionem aduersùs Galenum de febri illammet diuiſionem afferentem,atque aduersùs illos ; etſi functionum læſiones,non morbos,ſed ſymptomata dicat Galenus , diſtinguit enim & ille morbos à ſymptomatis,& ſymptomata à morbis.Dicimus igitur, nec illos,nec Galenum malè febrem ita diuiſiſſe , & illam appellaſſe morbum, hanc ſymptoma,nihil enim vetat,quin ſi aliquis affectus ratione propria eſt morbus,poſſit alia dici ſymptoma,& è contrario:pendent enim morbi ab aliis morbis,vt febris ab inflammatione, quorum dici poſſunt ſymptomata , & ex ſymptomatis morbi , vt febris à dolore, cuius ſi dicatur ſymptoma,quia eum ſequitur,non peccetur:cum hoc tamen,ſymptomati,& morbo ſuus vnicuique eſt terminus,natura , & propria definitio:eſt enim morbus affectio , quæ actiones primò lædit , & ſymptoma affectio morbûm ſequens,ipſaque interim actionis læſio.Febris igitur quælibet,ſi actiones primò lædit,quælibet etiam morbus eſt;talis autem profectò eſt quælibet,nam etiam quæ ex lateris inflammatione eſt,illa veluti febris,& ex febris natura,ſeu ex caliditate ignea actiones lædit,ideo per ſe, & primò lædit,quia tamen inflammatio lateris,hoc eſt,ſanguis in illa parte impactus febrem illam genuit,ideo febris dicitur ſymptoma inflammationis , ſed ſymptomatis nil aliud obtinet quàm nomen : non enim eſt propriè ſymptoma,quia nec actio læſa,nec affectio corporis, niſi vt quælibet alia febris , nec exiens immutatum ; quare & meritò Galenus primo ad Glauconem tertio,non dixit abſolutè tales febres eſſe ſymptomata , ſed veluti ſymptomata partium inflammatione laborantium, tanquam ipſis negaret veram ſymptomatum naturam;quomodo etiam accipiendus eſt locus qui ſequitur quarto deinceps capite. *At quæ ex humorum putredine febres accenduntur,hoc ipſo nominantur febres , & ſunt non accidentia morborum, ſed ipſæ morbi* ; & ſeptimo Aphoriſmorum xlij. illa quæ ex veteribus adducuntur,qui volebant febrem non eſſe morbum ipſum , ſed ſymptoma morbi,quæ cum Græcè ita legantur , *σύμπτωμα τιθέμενοι τὸν πυρετὸν αὐτὸν, οὐκ αὐτὸ πάθος* , meliùs fortaſſe ita vertantur , ſicuti & nos ſuperiùs conuertimus, *ſymptoma ſtatuentes febrem ipſam , non ipſum pathos* , hoc eſt, antiqui febres ſequentes inflammationes propoſitas , non ſtatuebant illas eſſe ipſum morbum,quo ſub inflammatione aliquis laboraret , hunc enim volebant eſſe inflammationem,ſed ſtatuebant febres illas eſſe ſymptomata,morbum eſſe inflammationem,hoc eſt,febrem ad inflammationem ſequi,vt ad morbos ſequuntur ſymptomata , vnde febri ſua & propria natura haud denegetur.Si quis igitur febrem ſymptoma propriè eſſe putat,eíque proinde morbi naturã propriam aufert , næ ille fallitur vehementer,idque reprehẽdit Galenus;ſymptoma autem quo modo diximus, poteſt qui eſt propriè morbus eſſe:ita conſona ſunt,quæ hac de re ſcripſit

Galenus,nec neceſſe eſt immurare terminos,quod facit Capiuaccius,qui Galeni loca illa conciliare ſtudens, dicit febres eſſe vel principales, vel non principales,& principales eſſe,quando in corpore nullus eſt morbus à quo febris originem trahat, veluti in pleuritide inflammatio eſt febris origo; dicit igitur Capiuaccius admittere quidem Galenum hanc diuiſionem,vt febris dicatur principalis,& non principalis, qui tamen morbus ſit, & non ſymptoma;dari autem febres quæ ſint ſymptomata, non morbi,id non admittere Galenum. Atqui Galenus nuſquam febres principales, & non principales nominat, nominat tamen alicubi quaſdam ſymptomata, cuius vocis reddenda aliqua ratio erat Capiuaccio, quod nos fecimus;ſed iam quæ de eadem diuiſione ab Auicenna proponuntur conſideremus. Igitur apud hunc autorem habemus eandem,quamquam ex aliorum mente ſcriptam illuſtri maximè loco,poſt ipſam ſtatim febris definitionem ad initium quarti libri,vbi dicitur, nonnullos eſſe qui proxima diuiſione ſtatim febrem ita diuiderent,vt alia eſſet febris ægritudo, & alia febris accidens, qualis eſt febris apoſtematum: exiliùs autem declarans eatundem naturam, adiicit, febrem ægritudinalem eſſe illam, inter quam, & cauſam quæ non eſt ægritudo, nullum intercedit medium,qualis eſt febris quæ oritur à putredine, quæ putredo abſque medio aliquo eſt cauſa febris, ipſa autem non eſt.ægritudo, ſed ægritudinis cauſa: febrem autem accidens eſſe,quæ ſequitur alium morbum, ex quo orta eſt, ſicuti febris ex apoſtemate, quæ ipſum ſequitur, & donec ille eſt, febris eſt, eo abeunte, & illa abit, atque etiam apoſtema ægritudo eſt, quæ à ſua cauſa dependet. Oppugnari tamen poſſe hanc diuiſionem dicit Auicennas,& proponit argumenrum, ſed admodum futile: ſi enim febris ex apoſtemate dicitur febris accidens, inquit Auicennas, quia ſequatur calorem aut dolorem apoſtematis, iam plurimæ ex ephemeris erunt febres accidentia, quod ponit nemo;plurimæ enim ex ipſis,ex calore,aut dolore fiunt; ſi autem dicatur eaſdem ſequi putredinem apoſtematis, tunc apoſtema non erit cauſa illarum prima,ſed hæc erit putredo,ſicuti eſt cauſa aliarum febrium, quæ dicuntur morbi; vnde hæ ab illis non differrent niſi per accidens, quatenus ea purredo eſt in apoſtemate. Reſpondemus ad primum, febrem accidens ſequi tum calorem, tum dolorem apoſtematis, igitur plurimæ ephemeræ ſunt febres accidentia,falſa eſt conſecutio, nam dolor, & calor, quæ ſequitur febris, ſunt in inflammatione, ſeu in apoſtemare, veluti partes, & naturam illius veluti complent, vnde febris ſequitur quidem illa,nimirum dolorem & calorem:ſed magis propriè dicitur ſequi inflammationem, qui morbus eſt: at dolor, & calor, ex quibus fit ephemera,non ſunt morbi, ſed cauſæ tãtũmodo,vnde non ſequuntur morbos alios,ſed abſq; medio propriã cauſam,ephemeræ autẽ,quæ ſequũtur apoſtemata,vt quæ ſequũtur bubones,illas eſſe febres accidẽtia concedimus. Ad alterum de putredine quę eſt in apoſtemate,eodẽ modo liceat dicere: eſt enim

eſt enim putredo illa veluti pars apoſtematis, vnde ab apoſtemate dicitur eſſe febris, quæ à putredine illius eſt: nec omnino eſt idem modus genationis febris accidentis à putredine, ac generationis febris morbi ab eadem putredine: nam in illa intercedit apoſtema, quæ eſt ægritudo alicuius partis, vnde illa dicitur fieri ex paſſione loci, in hac nullius loci, aut membri eſt paſſio, quod autem inde colligebatur, non differre illas niſi per accidens, ſeu accidentaliter, id verò vltrò concedimus; & diuiſionem hanc accidentalem, non autem eſſentialem eſſe, iam ab initio diximus: forma enim, natura, ſeu eſſentia morbi eſt eadem in vtraque febri, ſiue diaria, ſiue putrida, ſiue hectica ſit, in ſingulis enim hiſce, aut differentiis, aut generibus febres accidentia, & febres morbi ſunt, qua de re quædam etiam ad finem capitis dicemus. Igitur eiuſdem eſt naturæ febris accidens ab apoſtemate exorta, ac febris putrida ex putreſcente humore in venis, ſi modò ex apoſtemate ſit putrida: poteſt enim non putrida eſſe, ſed ephemera ex Galeno primo de differentiis febrium ſeptimo, quod contingit in bubone ex cauſa manifeſta, tunc enim, vt ibidem explicatur, minimè aſcendit ad cor putrida fuligo, quæ in loco bubonis manet circumſcripta, ſed calor tantummodo, ſubinde continuis partibus excalfactis cordi communicatur: ſi autem ad cor non ſolus calor ex bubone perueniat, ſed putrida etiã fuligo, ſicuti in bubonibus contingit, qui fiunt abſque vlcere manifeſto, tunc putrida febris eſt; talis igitur febris licèt accidens dicatur, aut ſymptoma, quia bubonem ſequitur, eſt tamen forma & natura illius eadem aliis putridis, vnde & criſes, & periodi, ſi quæ aliquando ſequuntur, eandem retinent naturam: commodè igitur diſtinguebat Dinus, & ex eo Herculanus, & poſt hos Coſtæus, neutro tamen nominato, febrẽ conſiderari, vel ratione ipſius naturæ febrilis [in ſe dicit Dinus] & ſic eſſe morbum, neque diuidi poſſe in febrem morbum, & febrem accidens, vel ratione cognitionis, & curationis earundem febrium [in relatione ad cognitionem, & operationem Medici dicit Dinus] & ſic cõmodè fuiſſe eo modo diuiſam: cùm enim poſſit ſequi, & non ſequi alios morbos; cognoſcendum id in primis eſſe, ac ſi alium morbum ſequatur, huius curationi, tanquam cauſæ primum eſſe attendendũ, nihil autem tale opus eſſe, cùm ab alio morbo non dependet: & ob id, opinor, primã febris diuiſionem fuiſſe hanc appellatam ab Auicenna, atque à Galeno lib. 2. de criſibus, tanquam primo loco ponendam, & maximè obſeruandam. Porro autem de hac eadem diuiſione alia ex Auicennæ verbis oritur difficultas. Dicit enim Auicennas, febres obſtructionum eſſe febres accidentia; ex hoc autem ſequitur, omnes ferè putridas eſſe febres accidentia, quum obſtructionem ſequantur: & ex ephemeris tum ſynochas abſque putredine, tum alias quæ ex obſtructione fiunt apud Galenum lib. 8. methodi cap. 4. quod nullo pacto eſt concedendum. Galenus enim febres accenſas ab humoribus putreſcentibus in venis abſque loci inflammatione,

quæque

quæque ab obſtructione etiam fiunt, diſtinguit ab aliis quæ ex inflammatione ſunt, quæque ſunt febres accidentia. Auicennæ interpretes auctoris ſententiam illam facilè, & abſque vllo ſcrupulo retinent: Coſtæus & ipſe admittit,febres ex obſtructione ſymptomata eſſe, cum quo tamen morbos eſſe vult, ea ratione & modo, quo nos paulò antè de illis, quæ ex inflammatione ſunt, dicendum eſſe exiſtimauimus; ſed nos de his quæ ex putreſcentibus humoribus in venis abſque inflammatione fiunt, id nullo pacto concedimus. Maſſaria reiicit Auicennæ dictum tanquam falſum, & Galeni doctrinæ aduerſum, de conciliatione nihil ſolicitus. Capiuaccius obſtructionem dicit bifariam accipi poſſe, vno modo, vt pertinet ad vaſa exiſtentia extra viſcus, altero ad vaſa exiſtentia intra viſcus, vt ſi obſtruantur vaſa exiſtentia, vel in liene, vel in hepate: hoc igitur modo eſſe febrem accidentalem, & ita intellexiſſe Auicennam, cùm ex obſtructione febres dixit accidentia, altero eſſe febres principales, & ita intellexiſſe Galenum. Arridet hæc opinio, & hæc diſtinctio, & febres principales intelligimus, quas febres morbos dicit Galenus, vt antea propoſuimus: eandem igitur ratione aliqua nos confirmabimus, quod non fecit Capiuaccius, valet tamen multùm ad ſententiam adſtruendam. Igitur Galenus, vbi de hoc ſecundo febrium genere locis recitatis verba facit, eas ſemper ex affectione membri, aut partis, aut particulæ, aut locorum oriri dicit, ſicuti cùm de priore illo, humorum putredinem in vaſis ſemper cauſatur. Cùm igitur in obſtructione intra viſcus, membrum, aut pars, aut particula potiſſimùm afficiatur,extra autem non itidem, iure febris illa morbus, non hæc itidem dicetur;in eo autem rationem poſitam eſſe arbitror, quoniam ex obſtructione in viſcere actiones manifeſtè læduntur, veluti ab obſtructione, quum grauitates, pondera, motus impedimenta, & fœdi colores,vel in parte, vel in toto corpore appareant, ex attractione, expulſione, & reliquis naturalibus actionibus, quæ ritè haud obeuntur, at in febribus ex obſtructionibus in vaſis magnis extra viſcus, quæ læduntur actiones, illæ ad febrim propriè, & quatenus febris eſt, referuntur: ita quod moleſtat, quod vrget, & vnde incommoda ac impedimenta ſentiunt homines, inde ægrotare ſe dicunt,& illum medici morbum appellant. Quamquam autem in febre morbo, pars etiam aliqua præcipuè videatur interdum affici, vt in tertiana partes ad iecur,in quartana ad lienem, in quotidiana ad ventriculum attinentes, non parum tamen intereſt; nam in his per multa febris tempora obſtructiones ſunt in vaſis magnis extra viſcus, non in viſcere, affectio autem partium quæ propoſita eſt, febrim ſequi ſolet,non illam parere, at obſtructio in viſcere. Contingit tamen aliquando procedere adeò febrem illam primariam, vt exiles etiam viſceris venæ occupentur, & præterea viſceris corpus obſtruatur, quo tempore febris etiam pariatur, ſed alia à priore, & actiones tunc alia ratione, quàm antea lædentur, ſcilicet ab obſtructione manifeſtè,& inſigni

inſigniter, & tunc obſtructio morbus erit, febris erit accidens, quæ nimirum ex illa ſuccreuit: ita affectionem præter naturam rationes mutantur,& quæ hîc erat cauſa, illîc morbus erit, & è contrario. Fernelius, quod ad eandem febrem ex obſtructione pertinet, non videtur diſſentire, libro enim quarto pathologiæ appellat illam ſymptomaticam, duo quippe aut potiùs tria ſymptomaticæ febris genera proponit, ex inflammatione, quæ poteſt eſſe diaria, & putrida, ex latente obſtructione, & putredine, quæ viſceri contumaciter adhæreſcit, impactáque eſt, ſub qua putredinis etiam portionem nonnunquam in venas effuſam, ſanguini permiſceri ſcribit;hæc autem erit ſemper putrida. verùm ſi portio illa putredinis, quam dicit Fernelius, ad venas effundatur, ſanè, quod ille non adiicit, vnà cum ſymptomatica aderit etiam febris primaria, vt eam Fernelius appellat: huiuſce autem febris ex latente obſtructione, & putredine, fomitem eſſe in ventriculo ſæpe, aut iecinore, interdum in liene, aut meſenterio, nonnunquam etiam in pulmonibus, ſingulis enim hiſce locis cuiuſuis humoris ſeminalam portionem cumulatam,eam febrem excitare. Tertium genus euiſdem ſymptomaticæ, quæ multò periculoſior eſt, fieri dicit Fernelius, non ſolum ex impacti humoris,verùm etiã ex viſceris cui inſidet, corruptione & putredine;vnde iecoris,pulmonis,cerebri,ac lienis, interdũ etiam renis,diſtantiúmque partium corruptelam, & ſimplicẽ putredinem,nullo etiam putri humore comite, quoniam expiratione graui cor aſſiduè laceſſit,continuã febrem nõ aliter quàm putridũ humorẽ ſuſcitare,eámq; ſymptomaticam, ac omnino lentam,ſicuti febris eſt quæ phthiſim comitatur:talem autem febrem,quæ ſanè,vt exiſtimo,non rarò ab iis qui medicinam faciunt,obſeruari & poteſt, & debet, contendit Fernelius non eſſe dicendam hecticam,ſicuti à nonnullis dicitur, ſed putridam ex putreſcẽte pulmonum, aut alius viſceris ſubſtantia. At verò ſi in ea vnà cum febrili calore,natiui & primigenij humidi conſumptio, corporis extenuatio & marcor eſt, quid hecticam iuxta vetuſtiſſimorum medicorum placita appellare eam prohibeat? Erit tamen hectica ſymptomatica, vnde in qualibet febris aut differentia, aut ſpecie,ſymptomaticam obſeruare liceat:in diaria,quæ ex bubone à cauſa manifeſta, in putrida ex inflammatione,& ex obſtructione viſceris, in hectica ex vlcere, aut corruptione pulmonis,aut alius partis principis.De propoſita igitur febris diuiſione ſatis multa diximus; quibus ſi pauca adhuc quædam de natura ſymptomaticarum non inutilia adiecero,finem capiti faciam:non enim quòd accidẽtales, aut accidentia, ſymptomata,aut ſymptomaticæ dicantur,non eſſentiales ideo non ſunt, quod quidam vulgò neminis errore ſeducti exiſtimant; ſed quod ad initium capitis diximus,eſſentiales ſunt,vt aliæ,& eandem naturam habent, quippe actiones, vt illæ lædunt, & periculum inuehunt eodem quo aliæ modo:vnicuique enim generi ſua ſimilis eſt;ſi enim diariæ ſunt, periculo vacant,vt primariæ,ſeu morbi ſimpliciter dictæ;ſi putridæ, iuxta affectus

magnitudinem æſtimandæ:quamquam verè cùm in hiſce putredo ſit in vaſis minoribus,& partim etiam extra vaſa in ſpatiis inanibus,non poſſit illinc adeò præceps impendere periculum ac ex aliis,quibus in maioribus vaſis,& maximè propinquis cordi viget putredo,aut etiam in ipſo corde: eſt tamen & illa periculi plena,cùm præſertim ſit continua.Si hecticæ autem ſint,peſſimæ,vt aliæ.Hippocrates in Coacis. & Auctor Prorrheticorum,ex hypochondriorum doloribus malignas febres eſſe dicit: ſunt autem illæ ſymptomaticæ,quamquam Galenus non abſolutè ſententiam illam accipiat,ſed cum diſtinctione,vt quod ipſum videre eſt: horrificæ dicuntur eædem ſymptomaticæ in Coacis:at valde prauas eſſe horrificas ex Galeno conſtat.

Febris nomen aliquando morbum, & diſpoſitionem febrilem, aliquando eius ſymptoma ſignificare. Hippocratis loca duo ea de re illuſtrata.

CAPVT XXVIII.

DVo adnotabimus hoc capite,alterum de febris nomine ſimpliciter,alterum de nomine febris hecticæ,puſilla quidem,non tamen omnino inutilia, licèt ab aliis prætermiſſa. Igitur febris nomine ſignificari habitum, ſeu diſpoſitionem febrilem,quæ actiones lædit, & morbus eſt ex intemperierum calidarum numero, notum vulgò eſt vel medicinam addiſcentibus, & ſcriptum apud auctores qui febris naturam definitione explanant. Eandem febrim aliquando accipe pro ſymptomate,aut veluti ſymptomate, quum alios morbos ſequitur, quo tempore tamen propriè etiam morbus ſit, diximus vberrimè ſuperiori capite;in præſentia verò aliud adnotamus, hoc autem eſt, febrem ſumi aliquando propriè pro ſymptomate,& pertinere ad genus ſymptomatũ, quod poſitum eſt in qualitate mutata. Valebit autem hæc obſeruatio, ad eximendum alicui fortaſſe ſcrupulum in verbis Hippocratis, ex quibus hæc obſeruatio eſt collecta.Igitur non diſpoſitionem febrilem, quæ intus vt plurimùm latens,actiones lædit, ſiue illa primaria ſit ex putredine in venis,ſiue accidens ex inflammatione alicuius partis, aut alio modo, febris nomen ſemper ſignificat,ſed aliquando calorem illum,æſtum aut incendium,quod ab ægrotante,ſiue percipitur interiùs, ſiue exteriùs etiam in corpore tactui apparet, eſtque is non morbus, non enim propriè diſpoſitio,qualis febris primaria,aut quę ſequitur inflammationes,aut alios morbos quæ ſub primo genere categoriæ qualitatis reponitur, continẽte habitum

habitum & diſpoſitionem;ſed ſymptoma eſt,vt diximus in qualitate mutata,& pertinebit ad tertium genus categoriæ qualitatis, continens paſſiones, & paſſibiles qualitates, & erit morbi ſignum, vt alia ſymptomata, vnde poteſt ille calor, etiam non variata diſpoſitione, variari: hoc modo ſumitur febris apud Hippocratem libro quarto acutorum particula ſecunda, vbi loquens de cauſo, ſiue febri ardenti,eiúſque accidentia proponens ſcribebat *ϰαὶ πυρετὸς πολὺς ἴσχει*, hoc eſt, febris quoque multa habet; morbum autem, ſeu diſpoſitionem febrilem habere, qui cauſo laborat, euidens ita eſt, vt apponi haud debeat, ſed in eodem apparere, & percipi multum calorem, multúmque incendium, cùm hoc non ſemper fiat, apponi verò potuit, & debuit. Idem Hippocrates tertio in tertium Epidemiorum x x x v j. de eodem cauſo ita ſcribit: *febris non acuta*; At verò quomodo in cauſo febris non acuta? quæ verò acutior cauſo febris eſt? nimirum appellat Hippocrates febrim, eum qui apparet calorem, & qui ægrotantis ſenſum maximè contriſtat, qualitatem nimirum immutatam, talis autem non ſemper eſt in cauſo, cùm dentur febres paruæ, id eſt, quæ exiguum calorem præ ſe ferunt, intus etiam viſcera non multùm perurentes, valde tamen magnæ, atque malignæ, ſicuti ſcribitur à Galeno tertio de criſibus iv. ſúntque hæ de genere ardentium. Contrà dantur etiam multæ,calidæ admodum,& incendentes,ſic vt ſtomacho anguſtiam, calorem, & ſitim intolerabilem afferant, nihil tamen habent nonnunquam periculoſum,vt eodem loco à Galeno ſcribitur:hìc igitur multam febrim eſſe,ſcilicet calorem,& incendium,dicere liceat,morbum autem,id eſt,febrilem diſpoſitionẽ exiguam: Non adduco peſtilentes,de quibus Galenus primo in ſextum Epidemiorum xxix. quæ exteriùs mediocres,intùs perurebant,ex Thicidis etiã ſententia,non enim febrilis diſpoſitio harum exigua dici poſſit,ſicuti earum quæ ex eodem Galeno ſuperiùs fuit cõprehenſa.Poſteriori igitur modo à me propoſito, nimirum pro accidente,& qualitate mutata, fortè ſumpta fuit febris ab Eraſiſtrato,vt ſcribitur in libro,cui titulus eſt *εἰσαγωγὴ*,id eſt, introductio,& ab aliis qui Eraſiſtrati doctrinam ſequebantur, cùm dicerent febrim non eſſe affectum per ſe,ſed *ἐπιγέννημα*, id eſt,acceſſorium,ſeu conſectarium,vel accidẽs,id eſt,conſequens alios morbos,ſicuti inflãmationes,calorem enim illum potiſſimũ eos attendiſſe puto:nos tamen hoc loco,non aliorum morborum ſymptoma, ex recitatis Hippocratis verbis febrim conſtituimus;ſed ipſiuſmet febrilis diſpoſitionis quæ morbus eſt. Nõ omiſerim locũ,quem ſuprà ex Hippocrate attuli ex tertio Epidemiorum xxxvi. *febris non acuta*, haud ignorare me,ex aliquorum ſententia legi, etiã abſq; negatione ſic, *πυρετὸς ὀξὺς,febris acuta*:atq; ita accipi,& exponi à Valleſio. Verũtamẽ quòd alterutro modo legatur locus,obſeruatio haud tollatur, de ea nõ diſquiremus:ſi enim abſque negatione legãtur illa verba, eadem proponimus, quæ ad priorẽ locum ex quarto de ratione victus in acutis particula ſecunda allata ſunt, vbi ſimiliter legitur,febris acuta;

Atque hoc quidem primum eſt, de febris nomine quod adnotarem ab initio propoſitum: alterum de febre hectica breuiter apponetur. Vulgò igitur hectica febris illa tantummodo appellari ſolet, quæ ſolidas animalis partes aggreſſa, earum humiditates abſumit, ex quarum etiam abſumptione, tres eiuſdem hecticæ gradus conſtituuntur: ac puto hecticas febres poſſe etiam appellari aliquas, quæ in humoribus ſolis conſiſtunt, ſed difficile admodum ſolui poſſunt: id autem manifeſtè apparere poſſit ex illis quæ habet Galenus octauo methodi capite primo, vbi febrium illam proponebat differentiam, quod altera earum eſt hectica, altera, vt aliquis diceret, ſchetica; nemo autem putet, hecticæ nomine eam intelligi ſpeciem quæ ſuprà comprehenſa eſt, & diariis ac putridis diſtincta; in præſentia enim non ab illis, ſed à ſcheticis diſtinguitur; ſed & apparet ex illis quæ ſubiicit Galenus, ſcribens, quum cæteri affectus qui facilè diſcutiantur, dicantur ἐν σχέσει, & qui non tales, ἐν ἕξει, de febribus dicendum eodem modo; ex quo febrium ipſarum eas quæ ægrè diſcutiuntur, hecticas; quæ facilè, ſcheticas eſſe appellandas: igitur febrium alias eſſe facilè ſolubili effectu, perinde vt calfactum in ſole lignum, aliàs diſſolutæ ſolubili, veluti quod igni eatenus excalfactum eſt, vt iam accendatur, & fumum edat; nam cum putridæ ſint quæ calefactis lignis aſſimiles, fumum edant, meritò ad hecticarum genus illud hæ pertineant. Igitur calefactum in ſole lignum, vt puto, diarias ex accenſis ſpiritibus, & ſynochas ex feruenti ſanguine, & alias ex tenui humore conſtantes, repræſentat maximè; accenſum autem lignum alias, quinimo hecticæ nonnullæ quæ ab initio ſtatim inuadunt, ſicuti ephemeræ ex triſtitia, aut ira, aut laſſitudine nimia, vna cum ſolis feruore contracta, ad ſcheticarum genus referri debent, cum facile ſolubili affectu conſtent. Quippe dicit eodem loco Galenus, haſce febres non eſſe admodum difficile curare; ſed cum ex putridis aliquæ ſint, quæ difficillime diſcuti poſſunt, hecticæ meritò hac ratione appellabuntur. Meminiſſe igitur debemus ex eodem Galeno primo de differentiis febrium capite ſeptimo, hecticas febres duplici ratione ita appellari, vel quoniã firmæ ac ſolutu difficiles ſunt, quemadmodũ habitus, vel quoniam ipſum corporis habitũ cõprehenderunt, id eſt, corporis partes ſolidas, quæ humidis ex aduerſo diſtinguũtur: igitur febris hectica alterutro modo talis dici poteſt, & vtroq; ſimul; nam quæ ſolidas animalis partes aggreſſa, difficilè ſolui poteſt, hectica vtraque ratione dicitur; quæ autẽ ab initio ſtatim inuadentes, ſicuti ephemeræ, non difficilè curantur, ea tantum ratione qua ſolidas partes, aut habitum comprehenderũt; quæ autem putridæ in humoribus conſtantes, ſed difficili affectu, hac vna tantùm ſimiliter ratione hecticæ appellabuntur. Non igitur hecticum arcta illa ſignificatione ſumendum, qua aliquando vtitur Galenus, vt rem ita ex toto immutatam intelligamus, quaſi altera natura ſit effecta, ſicuti impropriè hecticis febribus contingere ille idem dicit, & ſicuti hecticam temperaturam appellat, in refrigeratione abſoluta omnium

omnium corporis partium ſexto in ſextum Epidemiorum quinto, & hecticam affectionem phrenitidis, primo in primum Prorrheticorum xxxiij. in qua procedente tempore, ſimile quippiam contrahi dicit lanis, quæ à tinctoribus appellatis tincturam accipientes, vix eluibiles redduntur, non ſecus quàm quæ proprium ab initio colorem habent: ſed latiore & magis communi notione, ex Galeni tamen doctrina recitato loco, ſumentes illud nomen, febribus iis accommodati dicimus, quæ ex craſſiore, duriore, & ſicciore materia accenſæ, contumaces admodum ſunt, & longo tempore perdurant, ſicuti ex melancholiæ, & pituitæ generibus nonnullis tales fiunt, cum obſtructionibus vt plurimùm, & praua partis intemperie, quæ diſpoſitionem illam ſubinde fouet. Sunt autem ex his febribus tum continuæ, tum intermittentes: continuæ autem quum ſunt, ſymptomaticæ ſunt, & multos non ſolùm menſes, ſed annos perdurant, nec tamen hecticæ propriè ſunt, cùm ſignis illis careant, quæ hecticæ ex ſolidarum partium ſiccitate habere ab auctoribus proponuntur.

Vtrùm febres ex humoribus tantùm putridis oriantur, an verò etiam ſine putredine illis ſolùm excalfactis. Tralliani, Auerrois, Gentilis, Valeſci, Herculani, & Valleſij opinio, poſteriorem partem adſtruentium: Galeni placitis eam non aduerſari. Tralliani locus in Latina verſione correctus. Iouberti paradoxus, febres nullas ex putreſcentibus humoribus fieri, confutata.

CAPVT XXIX.

EX humoribus putrefactis accendi febres, & ſcriptum eſt ab omnibus fere de medicina auctoribus, qui de febribus ſcripſerunt, & eſt in ore medicorum frequentiſſimum. Vtrùm autem ex eiſdem non putrefactis, ſed tantùm inflammatis, efferueſcentibus, aut aduſtis, ſanguine excepto, de quo dubitat nemo, eædem contingant, controuerſum eſt. Franciſcus Valleſius in controuerſiis libro quinto, putat ſe primum fuiſſe qui hanc quæſtionem mouerit. Scribit enim, tam omnium conſenſu comprobatum fuiſſe, alios humores à ſanguine non niſi putreſcentes poſſe fieri febrium cauſas, vt in eum vſque diem à nullo in controuerſiam vocatum ſit. Ille verò, vt apparet, eorum non meminerat, quæ de hac re non ita paucis verbis, propoſita ſunt à Tralliano libro duodecimo, aut ab Auerroë tertio Collectaneorum nec illa viderat quæ inter recentiores vberrimè ſcripta ſunt à Gentili in libro variarum quæſtionũ, quas ipſe

 extra

extrauagantes inſcripſit; qui etiam de eadem re opiniones refert Dini, & Antonij, qui hunc locum ſimiliter tractauerant; nec etiam quæ habentur apud Valleſium de Tarantó libro ſeptimo capite viij. qui & et non generatim, particulatim tamen quæſtionem mouet, vtrùm febris ardens fieri poſſit ex bile vehementer aucta, non tamen putrefacta? & quæ poſt hos etiam Herculanus ſcripſit in commentario ad Auicennæ libros de febribus capite ſeptimo, vbi harum febrium mentionem facit, fieri poſſe ſcribens, vt ex caliditate accenſa in aliis etiam humoribus à ſanguine, oriatur febris humoralis abſque putredine, & iterum cap. xij. de febre ardenti particulatim, dari huius febris alterum genus, quod ab humore non putrido, ſed ſolummodo ebulliente abſque putredine contingat. De hac igitur febre quædam adnotemus. In primis illud proponere liber, apud Hippocratem nuſquam, quod ego quidem obſeruauerim, febris putridæ mentionem fieri, neque etiam cùm de febrium materia, & exortu ſcribit, ſicuti libro de natura humana ad finem: fieri enim plurimas à bile dixit, quarum nomina eſſent, continens, quotidiana, tertiana, & quartana; quarto etiam de ratione victus in acutis, febrem ardentem gigni, cùm reſiccata venula hora æſtiua acres, & bilioſos ichores in ſe ipſos attraxiſſent; & libro de locis, in homine febres propterea fieri, quoniam corpore ſuperinflammato carnes intumuiſſent, & pituita, ac bilis concluſa quieuiſſent, & neque refrigeraretur quicquam, neque exiret, neque moueretur, neq; aliud quid ſubiret: hæc igitur de febrium cauſis, & generatione; putredinis nuſquam mentio. Sed & Cornelius Celſus, cùm libro tertio capite tertio procatarticas febris cauſas proponeret, vomicam, inflammationem, & vlcus, eáſque euidentes diceret, alias omnes appellauit generatim abditas, nominatim nullam expreſſit. Similiter capite quinto, ex inguine, ex laſſitudine, ex æſtu, aliáve ſimili, nimirum externa, febres fieri proponit, intelligens diarias, in aliis dicit calorem ex alto venire, id eſt, ex corporis partibus, & cauſis internis, neque apparere quid corpus cõfuderit, ſicuti nimirum apparet in ſuperioribus, quæ ex cauſa manifeſta ortum ducunt. Sed & capite quarto, cùm indicationes veluti proponeret ex antiquorum ſententia febrium curandarum, in medium affert coctionem, & materiæ ſubtractionem per medicamẽtorum vſum, nec verò coctio illa dirigebatur aduersùs putredinem propriè, ſed aduersùs cruditatem quæcunque eſſet, vt ex verbis apparet; igitur de putredine nulla mẽtio: Ex quibus ſuſpicio eſſe poſſit, aliter quã putredine concepta, exiſtimaſſe antiquos illos medicos in humoribus accẽdi poſſe febrim, quod etiã coniicere licet ex Ariſtotele: hic enim prima problematum ſectione, problemate ſexto, febrẽ fieri dixit ex φλεγμασίας, id eſt, efferueſcentia, aut re flammeſcente, & problemate duodecimo ὑπερθερμαινομένων τῶν χυμῶν, id eſt, ex ſupercalefactis ſuccis: & vigeſimo, πλείστην ἀπεψίαν, ac θερμαινόμενα τὰ ὑγρὰ, hoc eſt, plurimam cruditatẽ, & excalfactos ſuccos febrem parere, putredine nunquã nominata. Nec minus idẽ ſuſpicari

liceat

liceat ex opinione, quam de febris ortu habuit Eraſiſtratus celeberrimus, & antiquiſſimus medicus, & Ariſtotelis ex filia nepos; exiſtimauit enim tunc febrem gigni, cùm ſanguis transfunderetur in arterias, & ſpiritum à corde delatum perturbaret, eiúſque motui reſiſteret, quod fieret vbi è directo, atque prope principem partem ſanguis conſtitiſſet. Antiqua tamen extitit illa de febribus ex putredine ortis opinio; ſi quidem Praxagoras Cous, Eraſiſtrato antiquior, febrium omnium cauſam putauit eſſe putrefactionem humorum in vena caua, ſicuti ſcribit Galenus ſecundo de differentiis febriũ capite vltimo, quẽ innuiſſe puto eundem Galenum primo de differentiis febrium cap. v. cum ſcripſit, antiquum extitiſſe dogma, omnem febrem ex humorũ putredine fieri, cuius ſententiæ periclitaretur eſſe omnis ab Athenæo chorus, ſed & fuerunt è contrario alij, vt initio propoſui ex Tralliano libro xij. qui ſuperioribus omnino aduerſantes, in vniuerſum febrim nunquam à putredine fieri pronunciauerunt, ſed humores in venis exardeſcere aut vri, non peruere; illi verò qui fuerint, aut quo tempore, mihi haud conſtat. Porro autem quibus rationibus ad eam opinionem adſtruendam illi vterentur, videre eſt apud Trallianum: nos ad finem capitis ea de re argumentum ipſorum proponemus, & diluemus; interim concedentes ex putridis humoribus fieri febres, quærimus vtrùm eiſdem non putridis, ſed tãtummodo ſuperexcalfactis, aut vſtis, illæ etiam fieri poſſint; & de ſanguine quidem minimè eſt dubium, fit enim eo inflammato ſynochus abſque putredine, ſed de aliis humoribus: ex Hippocratis ſanè mente, aut potiùs illius Auctoris, qui librum quartum ſcripſit de ratione victus in acutis, id videatur concedendum, ſicuti ex illis apparet, quæ paulò antè recitauimus de ortu febris ardentis ex ichoribus acribus, & bilioſis, quos reſiccatæ venulæ in ſe ipſas tempore æſtatis attraxerint: ſi enim hæc ortum omnem illius febris contineant, iam putredo nulla ſit neceſſaria. Auerroës etiam tertio Collect. capite quarto, hanc febrem ex aduſtione videtur concedere, nominatim proponens cauſum, quippe omnem calorem extraneum non eſſe putredinalem ex Ariſtotele; ſed aſſationem etiam, aut combuſtionem illius generis eſſe: Ex Tralliano quæ occurrebant de illorum opinione, qui ex putredine nunquam, ex vſtione ſemper febres accendi putabãt, ſuperiùs comprehenſa ſunt. Galenus omnino contrarium ſentire videtur, libro enim ſecundo de diff. febrium capite quinto, ſatis manifeſtè neque humorem melancholicum, neque bilioſum, neque piruitoſum, quantumuis in corpore abundent, accendere poſſe febrem dicit, niſi putreſcant. Gentilis, quod ab initio propoſui, hunc locum vberrimè tractauit in libro variarum quæſtionum, ac opiniones recitat, & Dini, & Antonij, qui cum Galeno exiſtimabant ex humoribus aliis à ſanguine, niſi putreſcerent, non fieri febres, cuius viri rationes, & argumenta Gentilis proponit; mihi verò huc afferenda omnia non ſunt; ipſe autem Gentilis aliter

exiſti

existimat, & duo dicit: primum, alium à sanguine humorem ex sola aduſtione poſſe efficere febrem; alterum, non reperiri actu humorem efficientem febrem abſque putrefactione, qui ſit alius à ſanguine. ratio primi eſt, quia cùm bilis vitellina ex Galeni opinione talis fiat ex aduſtione, ſicuti etiam alia bilis genera, ex eadem poteſt generari calor febrilis; aduſtionem denique ex comburente calore in corpore noſtro fieri, vt in vlcere combuſtiuo, in quo fit eſchara, ex eodem igitur fieri febrim abſque putredine: ſed tamen (quæ eſt ratio alterius) quoniam aduſtus ille humor non ampliùs regitur, aut gubernatur à natura, neceſſe eſſe, vt propterea corrumpatur, hoc eſt, putreſcat, & eidem febri ex aduſtione iungi putredinem, & ſic putridam eſſe febrem: putreſcere autem dicit Gentilis eum humorem, licèt aduſtum, quia humiditatem adhuc continet: de ſanguine porro non eandem rationem adduci poſſe, illum enim poſſe diutiùs abſque putredine conſeruari, & ſine putredine diu conſeruare febrem, quod naturæ amicior ſit, vnde diligētiùs à natura cuſtodiatur & integer cōſeruetur. Præterea ſanguis, tum multitudinis ratione, tum vicinitatis, & magis & celeriùs afficere cor poteſt; bilis enim, & alij humores; ſed bilis quæ ad vſtionē, & ad talem febrē progignēdam videtur magis accommodata, minor quantitate, & remotior eſt cordi, vnde ſanguinis caliditas poteſt celerrimè cor afficere, & in eo procreare febrim, non ita bilis: interim igitur putreſcit, quare fit febris putrida: ſi autem ea copia ponatur bilis, vt febrem antea gignat, iam priùs animal intereat. Igitur cùm re ipſa, niſi fortaſſe exiguo admodum tempore durans, ex vſtione febris illa reperiatur, & prætera ſit idem curationis modus, dixiſſe medicos ſcribit Gentilis, nullum alium à ſanguine humorem efficere febrem poſſe, niſi putreſcat; alterúmque genus illud febrium minimè propoſuerunt, ſub putridis eas comprehendentes. Ex hoc autem febris genere, nimirum ex vſtione, ſtatim initio capitis proponit Gentilis eam fuiſſe qua laborauit iuuenis ille vigeſimum quintum annum agens, temperatura calidus, & ſiccus, qui ex ira, & labore, & inedia febricitauerat, cuius hiſtoriam recitat Galenus decimo methodi capite tertio; ſed in hac Gentilis opinione duo mihi moleſta ſunt. primum, quomodo aduſtioni ſuperueniat putredo, ídque ſemper, vnde febris ſemper fiat putrida: nam cùm aduſtio identidem exſiccet, impediri identidem magis putredinem, quæ humiditate conſtat, rationi conſentaneum eſt; nec ſatis apparere poteſt, cùm initio nulla fuerint putredinis exordia, quomodo procedente motu ſuboriatur. Nam deſeri à natura, corruptionem quidem illius quod ſubiicitur, efficit, putredinem ex humiditate non efficit. Moleſtum alterum, eſt exemplum illius febris ex Galeno adductum; ſi enim re ipſa niſi exiguo fortaſſe tempore durans, non reperitur illa febris, quomodo talis ſit quæ a Galeno proponitur, quum ad decimum nonū vſque diem peruenerit? Hæc de Gentilis opinione. Valeſcus de Taranto, quem dixi proponere quæſtionem

de febre

de febre ardẽti, exiſtimat eam fieri humore ex neceſſitate putrefacto, non ſolùm ſuperincenſo: adducit tamen Gatiopantum aliter exiſtimantem: mouet verò & ipſe difficultatem de ſanguine, qui natura calidus, & humidus, magis ſit aptus putredini, vnde ſi ex ſanguine ſit febris abſque putredine, multò magis ex aliis humoribus. Reſpondet, vt Antonius ille apud Gentilem, quanquam ratione qualitatũ magis videatur aptus putredini ſanguis, ratione tamen cuſtodiæ, quam de ipſo habet natura, omnium minimè eſſe putredini expoſitum: defendit enim, & tuetur ipſum natura quo plus fieri poſſit. Herculani opinio fuit etiam ſuperiùs comprehenſa, exiſtimantis ſicuti conſtitit ex iis quæ dicta ſunt, etiam abſque putredine in aliis humoribus à ſanguine accendi poſſe febrim. Adnotat tamen, licèt fieri poſſit, vt ex caliditate accenſis aliis humoribus fiat febris abſque putredine, medicos tamen non feciſſe de illa mentionem, veluti de febre ex ſanguine minimè putrefacto, eo quòd hæc frequentiùs contingat, quum natura magis ſit ſollicita de ſanguine, quàm de aliis humoribus, cúmque magis à putredine præſeruet. Franciſcus Valleſius omnino exiſtimat ex bile vſta, ſicuti ex putrefacta, accendi poſſe febres, (loquitur autem de flaua, nam de atra illud negat, & de pituita omittit) ex flaua igitur bile vſta accendi poſſe febres, ſicuti ex putrefacta; duos quippe eſſe corruptionis modos, vſtionem, & putrefactionem: alia autem magis ad vſtionem, vt quæ ſunt calidiſſima natura, adiuncta potiſſimùm ſiccitate, & partium tenuitate, alia ad putredinem eſſe paratiora, vt quæ humore abundant, aut non ſunt multo calore. Vtitur autem & Valleſius ad hocce febris genus adſtruendum, eodem exemplo à Galeno propoſito illius iuuenis annum agentis vigeſimum quintum, quod ſuperiùs etiam à Gentili adduci commemoraui. Dicit autem Valleſius, febrem illam fuiſſe tertianam, quod ex acceſſionibus à Galeno propoſitis, vt puto, colligat; & licet etiam colligere ex Tralliano, qui libro xij. cap. vj. loquens de curatione tertianæ, & concedens in acceſsione cibum aliquando dari poſſe, videtur innuere hiſtoriam à Galeno propoſitam, & adoleſcentem illum tertiana febricitaſſe; vnde ab eadem opinione non abhorruiſſe Trallianum exiſtimare poſsimus. Galenus tamen eam febrẽ nunquam nominat tertianam: putridam autem non fuiſſe ex Galeni verbis expreſsè patet capite v. eiuſdem libri, vbi facta denuo illius ægroti mentione, quem deſcripſerat cap. iij. ita ſcribit: *Quippe æger is, quem antè deſcripſimus, exemplo omnibus eſt, qui propter ſiccitatem à principio cibo indigent, etſi febricitare iam incipiant: nam cùm accenditur in his febris, propter mordentem acrimoniam exacalefacti, attenuatique ex ſole & inedia, & laboribus ſucci, maximum eius remedium eſt humidum nutrimentũ, ſicuti è diuerſo, vbi ob copiã, vel obſtructionem, vel phlegmonẽ, vel, vt ſemel dicam, humoris alicuius putredinem febris eſt orta, maximo malo eſt cibus.* Et voluit tamẽ Mercurialis hanc febrẽ extitiſſe putridã: quippe Galenum

nequaquã dixiſſe eam febrem ortam eſſe ex humoribus inflammatis, ſed hoc tantùm, in illo iuuene ob æſtuationem aëris, ſuccos infeſtaſſe os ventriculi abſque putredine, vnde dici poſſit, licèt affirmauerit Galenus non adfuiſſe putredinem, nec obſtructiones circa ventriculum, non negaſſe tamen quin putredo in aliqua alia parte fuerit, quæ febrem pepererit. Mirandum ſanè viros doctos, ac tantæ exiſtimationis, ita antiquorum virorum, & qui omnium profeſſorum aſſiduè in manibus ſunt, inſignes libros, & inſignia loca ita ſupinè legere, & producere: poteſt enim ſtudioſus quiſque illum Galeni locum, & hiſtoriam ſine labore percurrens ſatis facilè cognoſcere, nec ventriculi, nec obſtructionum circa illum fieri mentionem vllam: id verò apertè dici, febrem propoſiti iuuenis exortam fuiſſe ex ſuccis calefactis, & attenuatis à ſole, inedia, & laboribus, id verò eſt dicere, factam ex inflammatis humoribus. Præterea ſi in eo iuuene fuit putredo in aliqua parte, quæ febrem illam peperiſſet, quomodo in acceſſione cibus non læſit illum? ſed redeamus ad Valleſium. Hic igitur exiſtimans, ex inflammatis aut vſtis humoribus fieri etiam febrim, mouet difficultatem ex Galeno, qui omnem in humoribus febrẽ, dempto ſynocho, abſque putredine, putridã paſſim appellat, ſicuti tertianã centies dicit naſci ex putri bile; ſoluit: licèt res ita habeat ſicuti propoſuit, ſcilicet ex bile vſta fieri febrem, rarò tamen ſynceram bilem redundare, vt ſine putredine febrem faciat; ita omnes febres, ſiue ex ſuccorum putredine, ſiue vſtione, ſub putridarum nomine eſſe comprehenſas: confirmat ſolutionem, quoniã quæ putreſcunt, & quæ vruntur, quodammodo in ſymptomatis patiuntur ſimiles affectiones, quam rem comprobat ex Galeno v. de ſimplicium medicamentorum facultatibus; atque etiam quoniam ad curationem illa diſtinguere nihil erat neceſſe. Hæc Valleſius. At verò quid ad illa, quæ expreſſis verbis ſcribuntur libro ſecundo de differentiis febrium de ſingulis humoribus, in iis accendi non poſſe febrem niſi putreſcant? ſiquidem de melancholico humore hæc habet: *Si igitur neque putreſcat, neque vehementer per partes ſentientes deferatur atra bilis humor, nunquam efficiet quatriduanæ exquiſita circuitum*; quæ verba referunt etiam ſuperiora pertinentia ad flauam bilem; quippe dictum erat, alia omnia proportione reſpondere iis febribus, quæ ex amara bile accenduntur; inde fieri, vt niſi putreſcat, non efficiat quatriduanæ exquiſitæ circuitum, ſicuti nimirum de bili voluerat intelligi: liquidiùs tamen adhuc rem declarat ex morborum natura, qui ex duobus illis humoribus oriuntur, ſibi inuicem proportione reſpondentium, ſcribens: *Et quidem regij morbi paſſionibus, diuturnæ & melancholicæ ſplenis imbecillitates, & calores in toto corpore fœdi correſpondent: herpetibus etiam atque eryſipelatibus, quæ ex flaua bile conſiſtunt, cancri & phagedenæ.* Tum ſubiicit: *Neque in his verò, neque in melancholiis neceſſariò febricitant, niſi prius atra bilis putreſcat*; quæ de flaua etiam intelligenda eſſe, orationis ſeries oſtendit, ſicuti

etiam

etiam quæ ſequuntur : *ſic enim iis qui morbo regio , atque atræ bilis paſſionibus infeſtantur , quoniam bilioſi humores ſuperabundantes diutius corpus obſederint , febres ſuperueniunt* : nimirum vbi putrefacti fuerint , ad quam rem iam temporis ſatis habuerunt. De humore pituitoſo eadem quoque proponuntur per hæc : *Eadem quoque ratione , & in pituitoſo humore redundante non accenditur febris , niſi priùs putruerit*. Hîc profectò non illud tantùm de humoribus dicitur , eis putrefactis , fieri febres, ſed expreſsè negatur abſque putredine in illis accendi poſſe febrem, adeóque nulla alia ratione quàm ex putredine. An eodem propemodum redeundum ? nominéque putredinis intelligi etiam vſtionem ; & duplex putredinis modus proponendus eſt ? ita videtur eum Galeni locum accipere Gentilis , qui dicit ictetico non accendi febrem , niſi bilis ſit vel putrida , vel aduſta. Hanc opinionem , quia arridet , confirmamus ex Tralliano , qui ex aliorum quidem ſententia quam tamen ipſe approbat , duplicem putrefactionis modum proponit ; aliam enim fieri ex calido , & humido , id eſt , humiditate ; aliam ex ſiccitate , ſeu potiùs ex aduſtione , ita enim conuertenda ſunt illa Tralliani verba : κ. γίνεσθαί ποτε, καὶ διὰ ξηρότητα σῆψιν, μᾶλλον δὲ ἔγκαυσιν ; non, vt vertit Andernacus ; *fierique nonnunquam etiam putredinem ex ſiccitate, magis autem aduſtione* , quæ videntur ſonare , fieri quidem putredinem ex ſiccitate , ſed fieri magis ex aduſtione , cùm tamen hic ſenſus ſit ; fieri putredinem ex humiditate , & fieri etiam nonnunquam ex ſiccitate , ſeu potiùs ex aduſtione , quæ ſcilicet non eſt aliud, quàm ſiccitas iuncta caliditati. Fortaſſe verò, & liceat adhuc eandem rem confirmare ex putredinis definitione , à Galeno allata vndecimo methodi cap. 8. qua putredinis naturam eſſe dicit mutationem totius putreſcentis corporis ſubſtantiæ ad corruptelam à calido externo ; quid enim eſt huius definitionis quod humorum vſtioni etiam non conueniat ? ſanè enim & tota ſubſtantia immutatur, & ad corruptionem tendit, idque à calido externo, cuius merito contingit vſtio : hac re tantùm differunt ; quòd cùm humiditas in putredine paulatim extrahatur à calore externo , in vſtione celeriter abſumitur, vnde putreſcentia humeſcunt , non humeſcunt vſta: ad extremum tamen , & putreſcentia ſicceſcunt , & tandem fiunt fimus & cinis, vt ſcribit Ariſtoteles. Sed & eodem loco Galenus, cùm ex rei aut putredinis ibi propoſitæ natura, ſanationem febris oſtenderet, illá in eo ſitá eſſe dicebat, vt euacuaretur quod erat putrefactum aut corruptũ, reliquũ moderatis motibus (ita enim vertunt ἀναφρήσεσι, quamquam non eſt par) & refrigerãtibus perſpirationibus, ad exactã ſymmetriam reduceretur, nulla igitur mentio exſiccationis , quæ omnino neceſſaria erat, ſi humiditate ſemper conſtaret quælibet putredo, cùm indicationes conſideraret Galenus, non quæ ex morbo, id eſt, febre, ſed quæ ex putredine ſunt: frequentiſſimè tamen paulatim putreſcere , potiùs quàm vri contingit. Nam, vt ſuprà comprehendebamus , pituita & melancholia ſunt frigidæ naturæ,

vt ſpatio egeant ad calefaciendum, & excitandam febrim, interim au-tem anteuertit putredo: bilis autem per temperaturas non adeò redundare ſolet, vt accẽſa abſque putredine febrim gignere valeat: Contingit tamen aliquando, vt multis concurrentibus occaſionibus, quæ magnam illius copiam aceruent, & acriorem reddant, exuri poſſit, & citra putredinem febrim accendere, vt iam duplici ratione in bili accendatur febris; & putredine & vſtione. Atqui nec reticendum hoc loco, inter iuniores extitiſſe Laurẽtium Ioubertum, qui ex putreſcentibus humoribus febres nullas gigni, præſertim ſalubres, ſed ferueſcentibus ſolùm, vel vſtionem patientibus ſcriptum reliquit. Fuit autem hæc veterum quorundam medicorum opinio, quam nos etiam ſuprà ex Tralliano retulimus; illa verò à Iouberto renouata, non ita firmis rationibus adſtruitur, vt Galenica & communis euertatur: quamquam enim multis foliis rem tractet, duas tantùm aut tres video afferri rationes, eáſque ſatis futiles, quarum prima hæc eſt. Totus ſanguinis, vt ex quatuor humoribus conſtat, in vaſis non putret, multò igitur minùs ſeorſim quiſque ex dictis humoribus id patietur. Altera, humores extra vaſa minimè putreſcunt, igitur multò minùs in vaſis; non putreſcere extra apparet, quia œdema, herpes, & ſcirrhus, quum ex puris humoribus ſunt, ad ſuppurationem non tendunt, ſicuti phlegmon: conſecutio autem probatur, nam vaſa, ſeu conceptacula humorum, propria loca ſunt, in proprio autem loco quodlibet conſeruatur; iterum: in vaſis humores motu cientur & fluunt, quod autem mouetur, minùs putreſcit; tertiò, multum putreſcit minus quàm paucum; in vaſis autem maior humorum copia eſt quàm in particula tumorem patiente. Non eſt difficilis reſponſio. Ad primam enim rationem, falſum eſt quod aſſumitur, quum maſſa ſanguinis quæ dicitur, in vaſis putreſcat aliquando, vt per ſynochas vocatas febres: igitur poterit id pati etiam ſeorſim quilibet ex aliis humoribus. Ad alteram: falſa ſimiliter eſt aſſumptio: nam extra vaſa putreſcit & pituita, & alij humores, in œdemate, cæteriſque tumoribus, vt expreſsè dicit Hippocrates, & Galenus libro primo Prognoſticorum contextu XXXV. cùm enim eo libro ſuprà, nimirum contextu XXXI. tractaſſet de inflammatione, id eſt, fluxione calida; licèt ſub nomine œdematis more antiquorum, cuius ſuppurationis terminum poſuerat diem vigeſimum, deinceps particula XXXV. de vero œdemate ſuſcepto ſermone, id eſt, de tumore ex frigida fluxione ſuppurationis eiuſdem terminum ponit diem ſexageſimum, Quòd ſi dicat Ioubertus, & hoc Hippocratis œdema non eſſe ex pura & ſyncera pituita, ſed permixtum habere aliquid ſanguinis; idem porro cur non liceat nobis dicere de pituita, ex qua accenditur febris? nec tamen neceſſe ita dicere: pituita enim & ſuccus melancholicus, frigidi quidem ſunt ex ſua natura, non tamen tales, vt tractu temporis non poſſint incaleſcere in corpore animan-

tis, vnde illis continuus calor, ſiue in vaſis, ſiue extra: facilius quidem extra ob propoſitas rationes, ſed vtrobique, cùm calor præter naturam in ipſis accenditur; Et verò ſi omnia putreſcunt præter ignem, quod ſcribit Ariſtoteles, quid humores à putredine vindicabit? Tertia ratio ſit ex fœtore: fœtor enim putredinem comitari ſolet, qui non apparet in talibus febribus: putredinis comitem eſſe fœtorem, apud Galenum eſt libro v. de ſimplicium medicamentorum facultatibus capite xv. hiſce verbis: *Quæ nimio plus refrigerata ſunt, aut excalfacta, tum exſiccata, aut humectata, ea omnia corrumpuntur. Cæterùm non quicquid corrumpitur* σήπεσθαι *id eſt, putrere dicimus, ſed quibus id cum fœtore accidit.* Reſpondeo, ſicuti fœtent multa, quæ putrida non ſunt, vt plantæ aliquæ, & aliqua animalia, vt cimices, ita multa putreſcere, quæ fœtorem non habent: non enim ſequitur fœtor ex neceſsitate corruptionem quamlibet, aut putredinem. Ad Galeni auctoritatem reſpondeo, fœtorem eo loco proponi, tanquam ſignũ frequentiſsimè eueniens corruptioni, quæ eſt ex calido & humido, quæ propriè eſt putredo, aliis enim cùm non accidat, vel rarò, vt combuſtioni exempli gratia bituminis, eius merito voluit hoc genus corruptionis ab aliis diſtinguere. Non eſſe in qualibet putredine ſimpliciter fœtorem ex eodem Galeno, & ex Hippocrate liquere poteſt; pus enim eſt cum putredine, nec tamen fœtet, aut quàm minimùm: eſſe cum putredine liquet ex Hippocrate libro de flatibus disertè per hæc verba, ὁκόταν δὲ ἐκχυθῇ τὸ αἷμα εἰς ἀλλότριον τόπον, χρονιζόμενον καὶ σηπόμενον, γίνεται πύον, *quando autẽ effuſus fuerit ſanguis in alienum locum, ꝗ ibi moram traxerit, & putruerit, fit pus:* & ex Galeno primo Prognoſticorum XLII. *Sanguis ad exiguas diſperſus partes in locis inflammatione affectis, vt pote extra propria conceptacula, non inſuper remeare ad antiquam naturam poteſt: mutatur verò ac putreſcit, quomodo omnia quæcunque in alieno loco vehementiùs calefiunt.* Sunt tamen huius putredinis quæ eſt iuncta puri, varij veluti gradus, prout pus varium eſt, id eſt, variè à natura confectum, quam rem meliùs Galeni ipſius ſubſequentibus verbis, quàm meis dicam. Sunt autem hæc: *Si igitur natiuus calor plurimùm à propria diſcedit temperie, vt in corpore inanimi, putreſcit ſanguis, ſi verò vim ſeruat quandam, permixta quædam ipſius immutatio à cauſa præter naturam & ſecundum naturam efficitur, putrefaciente quidem cauſa præter naturam, naturali autem concoquente.* Non igitur pus, & putredo ſimpliciter idem, vt ex proximè dictis apparet, nam in corpore inanimi, ſeu in cadauere, putredo eſt, non pus; ſed & ex iis quæ apud Galenum eodem loco ſequuntur, dum colligit per hæc: *Ex his autem, vt dicebam, quæ in aliis commentariis demonſtrata ſunt, colligere licet, ſanguinem, qui probè ſit in pus commutatus, primò quidem non putruiſſe, ſed potiùs concoctum fuiſſe; ſecundò verò in ipſo ſimul quid putredinis præter naturam apparere, parum verò illud eſſe, & , vt Hippocrates dixit, quàm minimè fœtidum: etenim hæc vox, quàm minimè, idem pollet, quod quàm paruiſsimè.*

Quibus omnino conſentiunt quæ de hac eadem re ſcripta ſunt libro v. de ſimplicium medicamentorum facultatibus capite vj. in hunc modum: *Etenim cùm tres in animalium corpore fiant alterationes, una planè ſecundum naturam eſt, cùm videlicet in ventre cibus coquitur; aut in viſceribus & venis, qui inibi generatur ſuccus, vnde rurſum pars vnaquæque nutriatur. Altera contra planè præter naturam, nempe in putreſcentibus omnibus: atque hæ quodammodo inuicem ſibi contrariæ ſunt. Tertia ex vtriuſque mixta, & media eſt, partim quidquam obtinens primæ, ac ſecundùm naturam, partim huius contrariæ, quæ eſt præter naturam: ſi quidem alterationi ſecundùm naturam duo hæc inſunt, vt & ex familiari animantis materia fiat alteratio, & ab ingenito calore planè ſuperetur: ei verò quæ præter naturam eſt, & ab aliena caliditate mutatio prouenit, & ad nihil vtile. At media earum, quæ ſcilicet ſuppurationes comitatur, ab ingenito quidem fit calore, ſed non planè vincente, neque enim ex materia peragitur, quæ prorſum benigna ſit, neque tamen ex omnino aliena.* Hæc omnia ex Galeno: quæ à me ideo ſunt adducta, vt appareat quis putredinis modus in febribus ſit attendendus: nam cùm humorum putredo, quæ in vaſis fit, ſimilis ſit ei quæ in inflammationibus atque abſceſſibus reperitur, vt ſcribitur primo de differentiis febrium vj. & hæc ſit varia, aliquando vincente, aliquando victa natura, aliquando etiam mixtim ſe habente, vt eodem primo de differentia febrium recitato loco habet Galenus; cùm audimus febres fieri ex humorum putredine, non ſtatim intelligere debemus, fieri ex ipſis omnino putrefactis, & ex neceſſitate comite fœtore; quod cùm non adnimaduerteret Ioubertus, in paradoxam incidit opinionem propoſitam, febres ſalubres ex putreſcentibus humoribus nunquam accendi, ſed lethales tantummodo: dicimus enim illam, quamquam dicitur putredo, plus habere coctionis aliquando, vt ex dictis liquidò apparet, vnde & ſalubres febres eſſe nihil vetat. Quædam ſubinde intrudit eodem paradoxo Ioubertus, ad eandem rem pertinentia à propriis, & veris ſenſis detorta, vti ſuam adſtruat opinionem, quod tamen non poteſt; ſed non ſunt mihi omnia illius viri ſomnia huc adducenda, & refellenda: vnum tantummodo proponam, tum capiti finis erit. Dicit igitur Ioubertus, ſanguinem tantùm in venis putreſcere, quod tamen non facilè, nec ſæpe, leuique de cauſa, ſed in putrida atque peſtilenti cœli conſtitutione accidat, inde fieri morbos lethales, in quibus ſcilicet putris eſt ſanguis: illud ex Galeno probabat Ioubertus, nam primo in vj. Epidemiorum xxix. ita habet, vt quidem citat Ioubertus: *Præſentis dictionis febrium catalogus à caliditatis ſumitur differentia, in qua peſtilens febris contineri poteſt, quòd putrem habeat humorem.* Et deinceps: *Peſtilens ſola ſignificatur, quæ ex eo ab aliis differt, quòd* σηπεδονώδη, id eſt, *putrilaginoſam habeat caliditatem.* Ex his à Ioubetto adductis (quod obiter dixerim) colligebat Hieronymus Mercurialis, argumentum proponi à Ioubetto tale. Galenus diſcrimen conſtituens febrium peſtilentium ab aliis, dicit peſtilentes differre ab aliis putredine; ſi differunt putredine, igitur ſequitur,

tur, alias febres originem non habere ab humoribus in venis putreſcentibus. Ita bene Iouberti verba hæc accepit Mercurialis, ac alias rationes, quas ex ipſo de eodem argumento refert: quæ enim erant principes Iouberti rationes, quas nos attulimus, eas omiſit Mercurialis, quæ autem probationes alicuius ex aſſumptionibus, illas tanquam principes rationes ex Ioubertο adduxit: ſed omittamus alia. Dicimus modò propoſita Iouberti verba cò tendere, vt doceat quomodo fiat febris peſtilens, ſcilicet ex ſanguinis putredine, & hanc vnam agnoſcit ex putredine febrem, eamque lethalem, præterea nullam, nullos enim alios putreſcere humores; ſed fallitur Ioubertus, & ex Galeno adducta verba, id non probant: Et quod attinet ad primum, corrumpit extrema verba, non enim ſcribit Galenus, *in qua peſtilens febris contineri non poteſt, quòd putrem haberet humorem*, ſed quòd putrem habeat τὸ θερμὸν, id eſt, calorem: eſt autem huius loci manifeſtus hic ſenſus; cùm febrium enumeratio in præſenti ſermone propoſita à caloris differentia accipiatur, ſub ea contineri etiam peſtilentem febrem, quia σηπεδονώδη, id eſt, putridum habeat calorem, vnde & hanc febris ſpeciem ſuperiori adnumerari vult, quia in caloris differentia conuenit; eſt enim & illic putris, licèt hac re aliis excellat, quod paulò pòſt ſubdit. At verò, nec ſi etiam *humorem* legamus, quomodo locum corrumpit Ioubertus, nec ab ipſo ſtat: non enim neque hoc modo diſcrimen peſtilentium ab aliis, ſed communitatem potiùs oſtendat. Qui ſequitur alter locus iiſdem verbis ſcriptus, nil aliud oſtendit, quàm peſtilentem febrem cùm ex calore putrido & ipſa conſtet, hoc tamen genere excellere; & ita locum accepit Cruſerius interpres, qui vertit, *ſola peſtilens febris derotatur, cuius ab aliis calor per putredinis excellentiam differt.* Nec tamen exiſtimandum, vocem σηπεδόνα inſignem ſignificare putredinem, quod ſatis planè accipit Mercurialis, addens ea voce putredinem inſignem ſemper ab Hippocrate appellari, cùm ex Galeno manifeſtè conſtet, idem valere ac σῆψιν, nimirum ſimpliciter putredinem: hic enim auctor primo de differ. febrium capite quinto, probans febres ephemeras non eſſe putridas, ſcribit, τῷ γυμνασαμένῳ πλείονα θερμασίαν ἀνῆφθαι παρὰ φύσιν ἄνευ σήψεως χυμῶν, id eſt, *ei qui ſe exercuerit, vehementem præter naturam calditatem abſque ſuccorum putredine* [σήψεως] *accenſam eſſe*; & de eadem ephemera paulò pòſt, ἐπύρεξεν ἄνευ σηπεδόνος χυμῶν, id eſt, *febricitauit abſque putredine* [σηπεδόνος] *ſuccorum.* Rurſus de putrida fuligine quæ ex bubone aſcendit, dicit, ἡ σηπεδονώδης λιγνὺς, nec tamen niſi putridam ſimpliciter fuliginem intelligit; iterum eodem capite, ὅτι ἡ τῶν κατὰ τὰ σπλάγχνα, καὶ τὰ μεγάλα τῶν ἀγγείων σηπεδόνος, οἷον καπνός ἐκ τῶν σηπομένων χυμῶν, id eſt, *ſed in ea quæ in viſceribus, & magnis vaſis fit putredo,* [σηπεδὼν] *veluti fumus ex putreſcentibus ſuccis.* vbi ſimpliciter putredo etiam intelligitur, ſicuti etiam in iis quæ ſequuntur, σηπεδονώδης ἀνάπτειν θερμὸν, *putridum accendere calorem*, nulla inſigni conditione: his ſimilia de eadem voce, loca plurima alia adducere liceat facilè, ſed ſuperuacaneum omnino exiſtimo. Non

tamen

tamen negem, ἐκτέσεσι vſurpari ab Hippocrate ad ſignificandam peſtilentem putredinem, quia & ipſa putredo eſt: ſed id tantùm ea ſignificari, hoc verò nego; putredinis porro excellentia quæ poſteriori loco comprehenditur, illam deſignat verbum διαφέρειν: profectò enim illud veriſſimũ eſt, peſtilentes excellentia putredinis aliis anteſtare, nec tamen, nõ etiam ex minori putredine dantur aliæ febres non peſtilentes, nec lethales, ſed ſalubres. At verò quod apud Trallianum obiiciebant illi medici de vermibus, qui non gignuntur in venis, quod fieret, ſi ibi eſſet putredo, quomodo diluitur? facilè enimuero: non enim ex cuiuſlibet rei putredine fiunt vermes, aut animalia, nec quolibet eius gradu, video putreſcentes fructus, veſtes, & ligna ſæpenumero abſque vermibus, ſed & in cadaueribus ipſis non ſtatim illi exoriuntur, nam & materialis & efficientis cauſæ neceſſaria eſt ad eandem rem opportunitas, ſine qua eorum generatio non conſtat.

Declaratur Galeni ſententia de duplici febrium genere, quæ per bubones oriuntur, & Argentery argumenta aduersùs eum diluuntur.

Capvt XXX.

DICTVM fuit ſuperiori capite, ex bubone duplex oriri febrium genus, ephemerarum, & putridarum: ephemeras, ſiquidem bubo eſſet à cauſa procatartica & manifeſta, putridas, ſi abſque ea: ratio autem erat, quòd ex bubone à cauſa manifeſta, haud aſcenderet ad cor putrida fuligo, quæ in loco bubonis manebat circumſcripta, ſed calor tantummodo, ſubinde continuis partibus excalfactis cordi communicabatur, eiúſque ſpiritus inflammabat: alio autem bubone exorto, putrida fuligo diſſeminata, & diffuſa vſque ad cor, humores ibidem attingens, & inficiens putridam creabat. Hæc doctrina ex Galeno eſt primo de different. febrium cap. vj. addit autem Galenus, quòd totam rem euidentiùs declarat, febres ex bubone illas quæ non ſunt de genere ephemerarum, morbos nunciare non facilè tractabiles, quippe qui ortum ducant ex interna aliqua inflammatione, aut vlcere, aut abſceſſu, aut aliquo huiuſmodi affectu in viſcere; in quam ſententiam ſimiliter commentario ad Aphoriſmum lv. quarti libri, ſcribit, febres diarias eſſe ex bubonibus, quum hi ex cauſis manifeſtis conſiſtunt, alios autem bubones, qui ſine cauſa manifeſta fiunt, eſſe veriſimile fieri ex viſcerum inflammationibus, atque ideo febres, quæ vnà cum

cum ipſis eueniunt, malas eſſe. Cæterùm Galeni vtrumque locum conuellere nititur Argenterius,& falſa eſſe quæ illis continentur oſtendere contendit hiſce argumentis. Primò, bubones ex quibus ſunt febres putridæ, non fiunt ab inflammationibus internis, hæ enim trahant potiùs ad ſe iam factos bubones, quàm vt eos producant; non enim ex altera inflammatione altera oritur, niſi in admodum vicinis partibus ex ſolutione alterius altera naſcatur, vt angina in pleuritidem, & hæc in peripneumoniam tranſit, ſed ex vna perſeuerante non pullulat alia. Iterum: Glandulæ à natura dicuntur factæ ad expurganda viſcera à fluxionibus,& excrementis, quæ ibi continentur, non igitur in viſceribus inflammationes ſint, cùm ad glandulas materia illa defluxerit: ita in peſtilentiæ caſu, nemo hactenus memoriæ prodidit inflammata reperiri viſcera, cùm emergunt bubones. Præterea, viſcerum inflammationes non poſſunt eſſe cauſa aliquorum bubonum, cùm ſæpe videantur hepatis inflammationes, cerebri,& pulmonis, ſine bubonibus. Nec admittit Argenterius, euidentes cauſas non poſſe parere niſi bubones qui diarias ſolùm efficiant, quinimo ex omni bubone cauſam communem dari vult, ad malas & putridas febres procreandas, iuxta Galeni doctrinam; eſt autem illa cauſa putredo, quæ eſt in omni bubone: diſcriminis autẽ rationem quam proponit Galenus, nimirum ex bubone, qui diariam efficit, non efferri ad cor putridam fuliginem, ſed ſolùm communicari calorem, continuis partibus ſubinde excalfactis, putrediné autem ipſam,& putridam fuliginem permanere in bubone circumſcriptam*, in bubone verò qui alias febres accendit, à putredine emitti fuliginem putridam, quæ calorem putridum, & febrem putridam accendit; id Argenterius vanum, & commentitium putat, ac appellat egregiam chimeram; non enim rationem, aut experientiam docere, putredinem aliquando circumſcriptam manere, aliquando prodire,& ſpargi in alias partes, cùm eadem ſit diſtantia, eædem viæ per vaſa, eadem cauſa efficiens, id eſt, putredo, nec iam credendum, arbitrium dari alteri putredini, alteri non item, vt à loco putredinis putridam fuliginem modò emittat, modò non emittat. Exiſtimat itaque Argenterius, bubones qui pariunt ephemeras, ex externis, & leuiſſimis cauſis natas carere putredine,& ſolam ibi exiſtere excalfactionem, inde fieri ephemeras; ſi enim adſit putredo, fiant putridæ, cùm ex putredine, aut ſuppuratione in digito pedis, parte diſtantiſſima à corde, fiat etiam putrida, alios autem bubones qui internas cauſas habent, vel malignitatem humorum, aut certè magnam copiam, quæ cogit naturam ad expellendum, non conſiſtere ſine putredine. Putamus autẽ vera eſſe quæ à Galeno ſcripta ſunt,& Argenterium fortè contradicendi ſtudio ductum, Galeni mentem non fuiſſe aſſecutum, quæ ſi pateat, iam facile erit argumenta diſſoluere: qua ratione nimirum fiat, vt ſi bubo ſit ex cauſa manifeſta, non perueniat putrida fuligo ad cor; perueniat, ſi aliter exortus ſit: ſcire itaque

licet, cùm ſimul cum bubone ſit putrida febris, ideo eam contingere, quia & putredo, & fuligo putrida eſt diffuſa, & diſſeminata per alia etiam viſcerum interna loca, vnde poteſt cor attingere, & febrem putridam parere; cùm autem ſit ephemera, retineri eam in loco bubonis, ex quo non facilè pateat aditus ad cor. Igitur, dicet Argenterius, aut alius pro eo, febris iſthæc putrida non eſt ex putredine quæ in bubone, ſed ex ea quæ eſt diffuſa extra ipſum; id verò concedimus, quamquam & hanc aliquid conferre; bubonem tamen principaliter tanquam ſignum accipimus, quod manifeſtè innuit Philotheus in commentario, qui febrem putridam præcedere vult, conſequi bubones: è contrario ephemeram ſequi, bubones præcedere. Verùm obiicit Philotheus, ſi alios bubones ſequitur febris, alios anteit, cur ſimpliciter dicit Hippocrates, *è bubonibus febres*? ſoluit, habuiſſe Hippocratem rationem conſuetudinis, quod interpretor, eius quod ſæpius euenire ſolet, aut ſicuti exponit Hollerius, locutum Hippocratem more vulgi, quia igitur ex conſuetudine bubones ſequitur febris, potuit ſimpliciter dixiſſe, *è bubonibus febres*. At verò nobis ſufficiat, eodem tempore vtraque inuadere, alterum cum altera, quomodo Galenum accepiſſe coniicio ex verbo συνεισβάλλειν, quo vtitur ſcribens, *τοῖς δὲ σπλάγχνοις εἰκὸς ἐστὶ συνεισβάλλειν φλεγμοναῖς, conſentaneum eſt, unà ſimul cum inflammationibus inuadere*, ita enim & oratio, & res tota liquidiùs procedit. Igitur, affectu intus in viſcere ſuborto, multáque ſeu maligna exiſtente materia, tum cordi communicatur putredo, & fit febris putrida, tum etiam emunctoriis eadem communicata bubo fit, quod internam affectionem eſſe oſtendit: at verò ſi ob externam aliquam cauſam, vt ictu, aut contuſione, corpore intus minimè vitiato, oriatur bubo, erit quidem in eo putredo, at ob diſtantiam non communicabitur cordi, verùm ſolus calor, quomodo eſt dictum; eſt enim id facilius, & expeditius, ac ita fiet diaria non putrida. His per hunc modum explicatis, Argenterij argumenta particulatim diluamus. Igitur ſicuti ex vna perdurante inflammatione aliam non pullulare concedere licet, ita ex eiſdem cauſis duas eodem tempore naſci, nihil puto, prohibet. Si igitur multa materia ſit intus, quæ naturam prægrauans, tanquam noxium & inutile onus eiiciatur, quid vetat illius partem, aliquò intus abſcedentem putreſcere, & inflammari locum, eiuſdem autem partem aliam ad cutim, & propria emunctoria mitti, ibidémque ſimiliter putreſcere? communicari enim à partibus internis humores, quicunque ſint, externis non obſcurum eſt. Ad alterum argumentum. Non perpetuò ad glandulas mittitur, quicquid ad expurganda viſcera neceſſe eſſet, nimia enim aliquando redundat materia, & virtus debilis eſt, vnde irritus conatus; quare licèt pars

pars eius mittatur, ex qua fit bubo, pars adhuc locum inflammans retinetur. In peſtilentiæ caſu, cùm emergunt bubones, ſi nemo ſcripſit inflammata eſſe viſcera, id cauſæ fuit, quòd nemo neceſſe putauit illud curioſiùs obſeruare, aut memoriæ mandare, quod ratione facilè comprehendi poterat: manifeſtè tamen illud haberi poteſt ex Thucydidis verbis, quibus ſæuam illam peſtilentiam deſcribit, propoſitam etiã à Galeno, quos enim illa percuſſit, eis inflãmata vehementer fuiſſe viſcera hęc verba manifeſtè indicant. *Interea verò corporis partes adeò flagrabant, vt ne ſubtiliſſima quidem ſtragula, & lintea ſuperiecta, nec aliud quidpiam niſi nudos eſſe ferrent*: hi verò ſi non bubones habuerunt, ſaltem puſtulas paruas, & vlcera in cute, vnde ſicuti materiæ parte tranſmiſſa ad cutim, alia ad inflammationem intus relicta fuit, ita ad inguina, ſeu alia emunctoria pars tranſmitti commodè poteſt: hepatis autem, cerebri, & pulmonis inflammationes ſicuti ſæpe videntur abſque bubonibus, ita eaſdem cum bubonibus videri aliquando nihil prohibet, & videntur aliquando, vt etiam eryſipelata in facie à cerebri inflammatione communicata, quæ etiam lethales affectiones eſſe conſueuerunt; Ex omni autem bubone nullo diſcrimine naſci poſſe malas, & putridas febres, ſi quidem putredo in omnibus adſit, iuxta Galeni doctrinam, quod colligi vult Argenterius, non ſanè conſequi, declarata Galeni opinione, planum fecimus. Ex quo etiam patere potuit, non eſſe eandem, nec diſtantiam, nec vias, nec cauſam, ſeu putredinem: ſed alia, atque alia, magiſque apta vt putredine cor afficerent. Nec verò etiam ex digiti pedis ſuppuratione quæ fit febris, illa putrida eſt, quod dicit Argenterius, ſed ephemera, niſi ſi prauus aliquis affectus antea in corpore affuerit, aut interim ſuboriatur, putrida ſub eo euadat; in bubonibus autem qui pariunt diarias, adeſſe putredinem, licèt non ſemper, nec ex neceſſitate, quod negat Argenterius, ſenſus teſtimonio vel chirurgi comprobent, qui eos diſſecantes; pus ſæpenumero colligunt.

Febris diaria vnde dicta, cur alia vno tantùm die, alia plus vno aliquando duret: quæ ex parua eſt obſtructione, plurimos etiam aliquando durare, & ſecundam habere acceſſionem, in eáque ſanguinem mitti debere.

CAPVT XXXI.

FEBRIS ephemera, aut diaria hoc nomen haud ſortita eſt ab ephemero animali, ſicuti nonnulli arbitrantur; ſed & febris, & animal eadē ratione ἀ ἡμέρας [à die] quòd vnius diei opera exiſtant: diaria enim talia dicuntur. Sic & planta illa lethalis, ephemeron Colchicum, quòd vno die necet, & alia non lethalis, ephemerō, quod vno die flores amittat, hoc nomen accepêre: diaria igitur febris dicitur, quia vno tantùm die durat, nimirum horis vigintiquatuor, comprehenſa ſimul nocte, vt ſcribit Galenus nono methodi capite primo, & decimo eiuſdem methodi capite ſecundo. Durat autem vno tantummodo die hæc febris, quòd ſoli in corde, & arteriis, ac aliis vaſis inflāmati ſunt ſpiritus, materia ſubtilis admodum ac tenuis, vt calorem diutiùs ſuſtinere non poſſit, ſicuti paleæ flammam breui extingui neceſſe eſt; verū ad hanc rem ſunt quæ adnotemus, longiori enim tempore eam perdurare poſſe legimus; nam & ad ſecundum, & ad tertium vſque diem porrigi ſcribit Galenus: Nec verò de ſynocho abſque putredine loquor, quæ diaria & ipſa dicitur; de hac enim certum eſt; ſed de aliis diariis, de quibus Galenus primo de diebus decretoriis capite nono. *Certè omnes febres diariæ ſolutionem partim in primo ſtatim die, partim in ſecundo naneiſcuntur*: non enim quæ ſolui dicuntur ſecunda die, ſynochæ ſunt abſque putredine, illæ enim diutiùs durare conſueuerunt: nono etiam methodi capite primo, cùm vno die circumſcriptam eſſe diariarum acceſſionem propoſuiſſet, fieri aliquando per ea quæ delinquuntur tradit, vt tum illæ, tum etiam quilibet alius morbus porrigatur, aut in aliud genus tranſeat. Auicennas etiam cùm terminum diariarum vnum diem ſtatuat, ad tertium quoque extendi ſignificat illis verbis: *Et illæ quidem ſecundùm plurimum recedunt in die vno, & rarò pertranſeunt diem tertium.* Adiicit, aliquos dicere eas durare totos ſex dies. At verò quomodo ſi vltra diem vnum extenditur, dicitur diaria? Ita enim Galenus nono methodi cap. 1. *Quomodo enim dici diaria febris poteſt, quæ in tertium diem*

diem extenditur, quando ex ipſa hominis ratione in ſecundo eam deſiſtere par erat? quamquam enim de ſynochis diariis eam ſententiam proferat Galenus, ad alias tamen non minùs accommodari valeat. Dicimus autem, ſicuti de ſubſtantia earum febrium diariæ vocabulum non eſt, quod eodem loco ſubiicit Galenus, ita nec de ſubſtantia aliarum diariarum, quarum forma, & natura in ſpirituum accenſione ſit poſita. Vtrùmne autem plus quàm vno die hanc accenſionem durare contingit? ratione profectò vix eſt quod colligas, niſi hoc tantùm, aliam tardiùs, aliam citiùs extingui: quippe ſpiritus alij tenuiores, alij craſſiores ſunt, craſſiorum autem flamma durabilior eſt: de termino autem, niſi quod obſeruatum eſt, proferas penè nihil, vt enim tertianam exquiſitam ſeptem circuitibus iudicari obſeruatione collectum eſt, ita in ſpiritibus accenſam febrem vno die; verùm ſicuti tertiana, humoris tractione ex quo fit, non ſemper exquiſita eſt, vnde terminum illum ſæpe excedit, ita ex varietate ſubſtantiæ ſpiritus, durationis ephemeræ tempus variat: ſpiritus enim, ſiue aëris naturam referat, vnde aut aër, aut aërea ſubſtantia dicatur, ſicuti à Galeno primo de differentiis febrium primo, ſiue ad ignem potiùs pertineat, vnde potiùs igneus dicendus ſit, quod magis arridet Fortunio Licero, libro de iis qui diutiùs viuunt ſine alimento, cùm non ſit ſimplex corpus, ſed mixtum, & humore, & frigore participet, vt ex Galeno habetur libro de tremore, palpitatione, conuulſione, & rigore, & quinto de decretis Hippocratis & Platonis capite tertio, vbi eum ſpiritum duas habere partes proponit, & duo elementa, ac duas conſtitutiones, frigidùm ſcilicet & calidum, ſeu aërem, & ignem, quæ inter ſe tota ſunt commixta, & confuſa; quin etiam duas haſce partes ſeu elementa, ex corporibus in quibus inſunt, vaporem quendam contrahere dicit. Igitur ſpiritus hic, tum ratione propria elementorum, tum vaporum quos contrahit, modò ſubtilior, & modò craſſior eſt, & inde febris, quæ ipſo inflammato conſiſtit, modò breuior, & modò paulò longior fit. Atque hæc quidem vna ratio eſt, ex ipſa febris, aut materiæ, vnde febris oritur, ratione ducta, alia autem ex iis quæ febri ipſi aliquando iunguntur, nimirum ex cauſis febrem efficientibus, qualis eſt obſtructio, ex parua enim obſtructione diariam fieri aliquando accidit; ſicuti autem ex natura febris, licèt plus quàm vna die ea duret, non tamen ſecundam, aut tertiam excedet, ita quæ ex obſtructione eſt, non video cur multos prætereà dies morari non poſſit: ſi enim dum adeſt obſtructio, non poteſt expirare calor, durare febrem omnino neceſſe eſt, ac ſi priores alios incenſos ſpiritus præ tennitate ſubſtantiæ qua ſunt præditi, diſſipari dicamus, obſtructione tamen facta, alios incendi, qui non tranſpirent neceſſe eſt, vnde porrigatur febris, id autem tandiu

fieri poſſe dicendum, quandiu perſeuerat obſtructio, quæ cùm plures dies perſeuerare poſſit, ad plures etiam, & plures porrigi febrem, alijs ac alijs ſubinde accenſis ſpiritibus; quomodo tamen ſi non vnam tantùm, ſed plures inuicem ſuccedentes & continuatas diarias dici quiſpiam velit, quamquam non puto neceſſe, non enim ſub febribus ex humore accenſis, idem numero toto morbi tempore ſemper caleſcit humor, non tamen ea de re contendam; ſed illud conuinci reſpondebo, diariam ex obſtructione ad plures ac plures dies produci poſſe. At verò, vtrúmne producta hæc diaria ſola perſiſtet, an ex neceſſitate alia febris, aut ſynochus abſque putredine, aut ex putridarum genere aliqua, eidem iungatur? talem profectò aliquam iungi, videtur exiſtimare Galenus loco recitato ex octauo methodi capite quarto, cùm ſcribit, diariæ ex praua obſtructione ortæ, in mali ſucci naturis febrem ſuccedere ex humorum putredine ortam, in aliis autem temperamentis aliquam citra putredinem continentis febris ſpeciem: Igitur diaria, per ſe & ſola conſiſtens ad tertium vſque diem tantùm extendetur, eo enim abeunte termino fieri non poteſt, vt ex inflammatis ſpiritibus, viciniæ & ſocietatis ratione, non ſuccendantur etiam humores aliqui; vnde alterius generis febris exoriatur. Dubitare autem rurſus liceat, vtrùm poſt tres primos illos dies adueniente alterius generis febri, diaria remaneat, an ſub hac, ſeu ſynocho, ſeu putrida, diaria extinguatur? Sanè de ea re diſputant aliqui. Galenum autem, qui ſuccedere dixit, vel putridam, vel ſynochum, exiſtimare liceat abiiſſe diariam voluiſſe: profectò ſi non abiit, quod non putem neceſſe, adeò à putrida, ſeu ſynocho obſcuratur, vt iam à medico habeatur deſpectui. Clauſula hæc eſto: diariam ſine obſtructione, vna die, ſeu horis viginti quatuor, aut paulò plus, & vnica acceſſione terminari, vniuerſis ſemel incenſis ſpiritibus, ſemel etiam refrigeratis, aut extinctis; diariam autem ex parua obſtructione ad tertium totum diem morari licere, & ſecundam habere acceſſionem, quamquam exiguam, quod manifeſtat Galenus octauo methodi capite quarto ad finem, cùm loquens de tali diaria, quæ ex parua obſtructione eſt, prima die non terminari, nec ſecundi aliqua parte, vti nimirum aliæ diariæ, licèt in pulſu nullum ſit putredinis ſignum, & vrinæ ſint coctæ, tertio tamen die acceſſionem redire ſcribit, quamquam mediocrem, qua conditione etiam ſint & vrinæ, & pulſus: talis autem febris inter diarias adhuc reponi poteſt, non tamen ſimpliciter, nec eo nomine ſimpliciter appellanda. Galenus eodem loco appellat eam ſimilem diariis, talémque eſſe dixit per initia morbi, procedente autem tempore in aliud genus tranſire: aliqui appellant diariam extenſam, aut productam: in hac autem ex Galeni præcepto eodem loco mittendus ſanguis eſt, licèt plenitudinis ſigna non appareant, ſi tamen vires & ætas ferant, cùm in aliis diariis non liceat.

Qui

Qui dicantur morbi particulares, aut in partibus, ſeu partium, & locales, ac appropriati, & quare hoc nomine appellentur. Qui itidem vniuerſales. Titulus quarti libri Auicennæ explicatus.

Capvt XXXII.

Morbos particulares, minùs eleganti, ſed in ſcholis tamen vſitato vocubulo dici, qui partem aliquam noſtri coporis obſident, & alij à febre ſunt, vulgò video etiam à doctis viris: appellantur iidem localés, & magis adhuc ruditer appropriati. Ea de re, quia quædam adnotata habemus, ea proponere placuit. Celſus appellauit hoſce morbos in partibus, quum libro tertio capite primo morbos omnes ita diuiſit, vt alij in totis corporibus conſiſtere viderentur, alij in partibus. Fernelius ex recentioribus non inelegans medicinæ ſcriptor libro quinto, morbos partium, licèt in eiſdem morbis enumerandis diſſonet à Celſo, qui quoſdam totis corporibus aſſignat, qui Fernelio & aliis, in partibus ſunt, qua de re particulatim poſtea loquemur. Ratio autem quare hi morbi dicantur particulares, ex ſubiecto eſt, cui inſunt, quod ſubiectum eſt pars quædam certa & determinata, cui ita ineſſe ſolent, vt in alia nunquam conſiſtant, vt ophthalmia nō niſi in oculo fit, ſurditas niſi in aure, pleuritis niſi in mébrana ſuccingente coſtas, peripneumonia niſi in pulmone. Non ita in febre, quia ſubiectum febris eſt vniuerſum corpus, & ſimul ſingulæ ipſius partes, calor enim, qui eſt febris eſſentia, occupat in febribus totum corpus, & vniuerſas partes, vt ſcribit Galenus libro de morborum cauſis capite ſecundo, niſi tamen impediatur, ſicuti fit in lypiria, in qua per vniuerſas partes extendi non poteſt, ſed natura febris hæc eſt, vt extendatur, cum quo tamen verum eſt, aliquas partes magis, aliquas minùs incaleſcere; focus enim putredinis in putridis magis, & cor in omnibus; Omnes tamen partes quæcunque ſunt incaleſcunt ſic, vt febrire omnes dici poſſint, etiam digitus; Igitur febris eſt morbus in toto, alij in partibus; non tamen ſolæ febres in totis corporibus conſiſtere dicuntur, quod à doctis viris proponi dixi, ſed alij plerique à Celſo inter hos collocantur, phrenitis, & alia inſaniæ genera, morbus cardiacus, lethargus, aqua intercus, tabes, morbus comitialis, morbus regius, elephantia, apoplexia, & paralyſis, hos autem collocari à Celſo inter morbos, qui ſunt in toto, manifeſtè patet ex illius verbis: nam cùm diuiſiſſet primo capite libri tertij morbos omnes in eos qui in totis corporibus conſiſtunt, & eos qui oriuntur in partibus, dixiſsétque ſe de omnibus pauca præfatum à prioribus incepturum, poſt præfationem incipit

cipit à febribus, cum de illis abſoluto ſermone per decem & ſeptem capita, caput decimum octauum hiſce verbis orditur: *Et febrium quidem ratio expoſita eſt: ſuperſunt verò alij corporis affectus, qui huic ſuperueniunt, ex quibus eos, qui certis partibus aſſignari non poſſunt, protinus iungam. Incipiam ab inſania*; poſt cuius tractationem illa perſequitur morborum genera, quæ à me paulò antè numerata ſunt, quæ verbis modò recitatis à Celſo, dicuntur certis partibus aſſignari non poſſe. Scio non defuiſſe, qui legerint hunc locum abſque negatione in hunc modum, *Ex quibus eos, qui certis partibus aſſignari poſſunt, protinus iungam: incipiam ab inſania.* Sed quæ ſubiiciuntur à Celſo capite primo ſubſequentis libri quarti, vbi morbos incipit explicare, qui ſunt in partibus, fidem faciunt locum tertij libri eſſe legendum cum negatione; habent autem verba ex quarto libro ſic: *Hactenus reperiuntur ea genera morborum, quæ in totis corporibus ita ſunt, vt iis certæ ſedes aſsignari non poſsint, nunc de iis dicam, quæ ſunt in partibus. Facilius autem omnium interiorum morbi, curationeſque in notitiam venient, ſi priùs eorum ſedes breuiter oſtendero*; quas ſedes poſtquam viſus ſibi eſt oſtendiſſe, ſubdit in initio inſequentis capitis ſecundi. *His velut in conſpectum quendam (quatenus ſcire curanti neceſſarium eſt) adductis remedia ſingularum laborantium partium exequor, orſus à capite.* Et à dolore capitis initium facit. Non libet modò quærere, quomodo & phrenitis, & lethargus, & epilepſia, & apoplexia dicti ſint à Celſo morbi in toto corpore, qui potiùs in parte, id eſt, in capite videntur collocandi, illud enim nobis ſatis eſt, ad oſtendendum propoſitam ab initio diuiſionem non eſſe accipiendam, ex enumeratis à Celſo aliquot eſſe, qui manifeſtè in toto corpore conſiſtant, vt tabes, morbus regius, aqua intercus, præſertim anaſarca, elephantia, & paralyſis totius corporis. Præterea verò intemperies etiam qualibet, non ſolum calida, vt eſt febris, ſed frigida etiam, aut ſicca, aut humida totum corpus occupans, morbus eſt vniuerſalis, atque in toto corpore. Et verò ad aliquam ex his referre licet nonnullos ex morbis, quos ex Celſo protulimus: ſed & ad hoc ipſum morborum genus, quod in toto corpore conſiſtit, reducere liceat morbum Gallicum, quamquam ad nullam particularem intemperiem velint eum pertinere: venena etiam quædam nulli deſtinata parti in totis corporibus eſſe non minus dicantur, quàm febris peſtilentialis, & peſtis ipſa: Igitur ratione partis ſubiectæ, cui morbi inhęrent, dicuntur illi particulares, hi ratione eiuſdem partis ſubiectæ, quod eſt totũ corpus, in totis eſſe dicuntur. Porro particulares illi, aut partium, aut in partibus, appellantur etiam à nonnullis locales barbaro vocabulo, quia loca dicuntur partes noſtri corporis, ſiue ſint ſimilares, aut ſimplices, ſiue diſſimilares, aut compoſitæ, iuxta quam ſignificationem inſcripſit libros de locis affectis, & libros de compoſitione medicamentorum localiũ, aut ſecundùm locos; & medicamenta localia appellauit in eiſdem libris Galenus arteriaca, ſtomachica, & hepatica, quę partibus illis propriè deſtinata

nata ſunt. Dicuntur iidem morbi, vt antea ſcripſi, à Barbaris appropriati, quia certæ parti proprij ſunt, nec aliis contingunt. Atque hæc de morbis particularibus, aut partium, cùm ita ſe habeant. Quærebam cur Auicennas librum quarti Canonis, in quo primùm quidem tractat de febribus, tum chirurgica, tumores, vulnera, vlcera, & alia: tum de venenis facto ſermone in decorationem deſinit, inſcripſerit de ægritudinibus particularibus, quæ quum accidunt, non appropriantur vni membro: ſi enim febris eſt morbus in toto, quomodo particularis dicitur; ac ſi eſt particularis, quomodo non appropriatur vni membro? Occurrebat: febrem, particularem etiam morbum dici poſſe, ſi conſideremus quibus illa ſubiicitur, & quæ de ipſa dicuntur, ſiue, vt loquuntur, modum prædicationis: ſubiicitur enim intemperiei calidæ, qui generalior febri morbus eſt; ſicuti magis adhuc eiuſdem febris ſpecies, tertiana, quartana, & alij morbi particulares per hunc modum appellantur; ſunt autem non particulares genera prima morborum, de quibus nulli alij dicuntur. Febris igitur per hunc modum eſt particularis morbus, nec tamen proprius vni membro, quoniam per omnia membra diffuſa: hæc de illa Auicennæ inſcriptione quod pertinet ad febrem; de reliquis, quæ in eo libro, non quæro in præſentia, vnum addo, tum capiti finis erit. Qui dicuntur particulares, aut partium morbi, ſi actionum læſiones attendimus, vniuerſales, & in totis corporibus morbos eſſe dicendos, præſertim vbi grauiores ſunt, dolor etenim capitis, ophthalmia, pleuritis, peripneumonia, & alij, licèt certis ſedibus aſſignentur, vniuerſas corporis actiones lædunt, primò quidem & maximè actio læditur propria illius partis: inde verò per conſenſum aliis noxa communicatur, huic magis, illi minùs pro ratione conſenſus.

Galenici loci vulgata lectio retinetur aduersùs Fuchſium, & Leoniceni tralationem. Eiuſdem loci ſenſus explicatus. Valleſij interpretatio reprobata, & Galeni defenſa aduersùs eundem.

CAPVT XXXIII.

GALENVS in commentario ad Aphoriſmum xxv. libri quarti, ſicuti legitur in impreſſis Aldinis codicibus, ita habet: ἐν τοῖς ἔμπροσθεν ἀφορισμοῖς ὁ λόγος αὐτῷ γέγονε περὶ τῶν διὰ τοῦ στόματος, ἢ τῆς ἕδρας ἐκκενουμένων, ὥστε τι καὶ κατὰ τὸν δὲ τὸν προκείμενον ἀκούσομεν αὐτοῦ λέγοντος ἄνω τὴν διὰ τοῦ στόματος ἔκκρισιν μόνην, ἀντὶ τοῦ περιλαμβάνεσθαι τὴν διὰ τῶν ῥινῶν, id eſt, *In præcedentibus Aphoriſmis ſermo ipſi fuit de iis quæ per os, & ſedem excernentur, quare & in propoſito Aphoriſmo etiam, quando ipſe dicit, ſupra*

 ſolam

ſolam quæ fit per os excretionem intelligimus, illa quæ fit per nares omiſſa. Sed Leonicenus, vt apparet, aliter ſcriptum habuit hunc locum, ſcilicet in hunc modum: περὶ τῶν τὰ μέλανα ὑποχωρούντων ἐν τοῖς ἔμπροσθεν ἀφορισμοῖς ὁ λόγος αὐτῷ γέγονε, νῦν δὲ περὶ τῶν διὰ τοῦ στόματος, &c. ita enim conuertit: *De nigris deiectionibus ſermo habitus ab ipſo eſt in præcedentibus Aphoriſmis, nunc vero de iis, quæ vel per os, vel per ſedem excernuntur verba facit*, &c. nóſque etiam ſimiliter calamo exaratum habemus in exemplari quodam Aldino ad oram libri, quibus etiam ſimilia reponit Fuchſius, codicem Græcum emendans, ſed inutilis ac damnoſus mihi quidem videtur hic Fuchſij labor, cogórque à Leoniceni verſione, marginibus mei libri, & Fuchſij ſententia recedere, vulgatæque Aldinæ lectioni adhærere: vult enim hoc ſtatim initiò proponere Galenus, voce illa, *ſupra*, intelligendam ſolummodo eſſe excretionem per os, quæ autem per nares, eam non comprehendi: docet autem id ea ratione, quia cùm in præcedentibus Aphoriſmis ſermo Hippocrati fuerit de iis quæ excernuntur per os & ſedem, non autem de iis quæ per nares, nunc de iiſdem excretionibus ſermonem proſequens, iam voce illa, *ſupra*, quæ fit per os, excretionem intelligit, ea quæ fit per nares omiſſa; concinnum autem ſenſum ex Leoniceni tralatione haurire ego non poſſum, nec illatiua illa, ſicuti appellant, particula [ὥστε *quare*] quem locum hic habeat videre; expoſitio autem Galeni duplex eſt. Prima huiuſmodi: ſanguis per os emiſſus colore ſiue niger, ſiue alio, ſubſtantia ſeu craſſus, ſeu tenuis, malus eſt: ſi verò per inferna excernatur colore niger, melius eſt. Probatur autem magis colore niger, quoniam emiſſionem, aut fluxionem paulatim factam oſtendit, quippe dum inter exeundum moram trahit, denigratur, ſi enim vniuerſim, & cum impetu emittatur, non poteſt nigrorem acquirere; qui autem ad inteſtina vniuerſim confluit, malum oportet exiſtimare. Eiuſmodi igitur ſanguis per inferiora exiens, ei comparatu qui exit per os, bonus dicendus, ille verò malus; per inferiora enim ſemper magis eligendus quàm per os. Deinde verò aliter exponit Galenus ſecundum membrum Aphoriſmi, & coarctat vocem *infra*, ad ſanguinem ex hæmorrhoidibus fluentem, cùm antea ex inteſtinis quomodocunque emiſſum intelligeret; & ait, cum malus ſit ſanguis quicunque per os emiſſus, fluentem ex hæmorrhoidibus eſſe bonum, quum hominis natura multum nigri ſanguinis accumulauerit, & talis ſit qui per hęmorrhoidas euacuetur ſanguis, à multis enim aut ſanatur, aut præſeruatur paſſionibus.

Ex priori expoſitione repugnantiam diſſoluit Galenus inter Hippocratis dicta. Propoſuerat enim paulò antè, id eſt, Aphoriſmo xxj. deiectiones nigras, ſiue cum febre, ſiue abſque febre, eſſe peſſimas. Quomodo igitur hîc dicit eſſe bonas? Reſpondet Galenus, non bonas ſimpliciter hîc eſſe dicit Hippocrates, ſed illis comparatas quæ per os excernuntur, quippe meliores illis & magis eligendæ; at

quomo

quomodo peſſimæ, dicat aliquis, ſi meliores illis? Id effecit, vt Valleſius non ſolùm hanc Galeni expoſitionem non acciperet, ſed & ſcriptura Aphoriſmi, quam Galenus ſequitur improbata, alij adhæreret, quam haberi ſcribit in antiquiſſimis codicibus, & quam proponit Fuchſius, licet Galenicam ſequatur: habet autẽ ſic κάτω δ' ἀγαθὸν, καὶ τὰ μέλανα ὑποχωρέοντα, κακὸν, id eſt, *infra autem bonum, & nigra ſubeuntia malum.* Quomodo ſanè ille interpretetur Aphoriſmum, apud ipſum videre licet, nos tantummodo Galeni interpretationem tuebimur. Poſſe igitur deiectiones nigras dici peſſimas Aphoriſmo xxj. atque etiam meliores non ſolum excretis per os, ſed bonas ſimpliciter hoc Aphoriſmo xxv. poterit ſatis intelligi, ſi verba conſideremus Aphoriſmi xxj. ibi enim ſcribit: ὑποχωρήματα μέλανα ἰόντα, id eſt, *deiectiones nigras procedentes*, voce autem ea, *procedentes*, ſignificatur, vt Galenus exponit, temporis longitudo, tanquam vel per morbum totum, vel per multum ipſius tempus, tales veniat deiectiones. Sunt igitur peſſimæ nigræ deiectiones, nõ ſimpliciter, ſed quando intempeſtiuè adueniunt, & diutiùs durant; ſi verò paulatim effluant, hæ non peſſimæ dicendæ ſunt, ſed meliores illis quæ excernuntur per os, & criſis bona. Idem Valleſius reprehendit ſimiliter alteram ſecundi membri expoſitionem à Galeno propoſitam, qua per nigra ſubeuntia, intelligit Galenus ex hæmorrhoidibus fluentem ſanguinem, ſed reprehendit ex lectione quam ipſemet Valleſius proponit, cui nihil eſt cum Galenica: vnde incaſſum fuiſſe illa à Valleſio propoſita, & auras verberatas dicere poſſumus.

Eſt tamen adhuc quod aduersùs Aphoriſmi ſententiam dubitem: quomodo enim ſanguis qualiſcumque, ſi ſuprà feratur, malum exiſtimari debet, cùm in libro de differentiis ſymptomatum capite vltimo, ſanguinis per nares profuſio, vel vomitus, vel ſanguinis deiectio, vel hæmorrhois, vel aliud eiuſmodi, aliquando præter naturã non exiſtimentur, nec ſymptomata, ſed naturæ opera; cùm ſcilicet tẽpeſtiuè fiũt, cum virtutis robore, & prouidentia de animalis ſalute? Reſpondemus ex Galeni interpretatione, Aphoriſmi ſententiã accipi per cõparationem, & quod dicitur bonum de reiectis per inferiora, idem eſſe ac melius, vt hic ſit ſenſus: Sanguinis nigri deiectio per inferiora, melior eſt quàm cuiuſlibet alius per os excretio; qui verò ita dicit, ille non tollit, quin per idem os bona fieri aliquando poſſit excretio, quod capite vltimo libri de differentiis ſymptomatum ſcripſit Galenus. Aut dicamus, hanc Aphoriſmi ſententiam ex illis eſſe quæ ſæpius ita contingunt, non autem ex neceſſitate ſemper, cuiuſmodi alias quaſdam adnotauit Galenus. Verè enim ſanguis per os excretus frequentiſſimè malus eſt, tum veluti ſignum morborum intus exiſtentium, tum veluti cauſa euacuans humorem naturæ familiariſſimum: aliquando autem bonus plenitudinem euacuans, vt in mulieribus menſtruorum ſuppreſſionem patientibus.

Quibus in febribus, quáque ratione, & conſilio mittendus ſit ſanguis.

CAPVT XXXIV.

QVÆRITVR, vtrùm in omni febre putrida mittendus ſit ſanguis. Alij opinantur ita eſſe faciendum ſemper, & in omni febre putrida, modò vires ferant, Alij, in omnibus continuis, non in omnibus intermittentibus. Alij, nec in omnibus continuis, ſed ſolùm vbi ſanguinis adeſt plenitudo, aut ſi mixtus cum peccante humore. Quæſtio examinatur ab Argenterio lib. de febrib. a Montiſiano quæſt. XVII. Nos omnium rationes huc afferre non intendimus, ſed breuiter ex natura rei quantum nobis licet, quæ de quæſtio occurrunt proponere. Scopi ſunt qui remedia, aut auxilia indicant, hi verò ex morbo, & cauſa, & ſymptomate: ſymptoma omittitur in præſentia, niſi de eo ſe offerat poſtea occaſio, nullum enim proponitur. Qui dicit febrem putridam, duo dicit, febrem, & putredinem. Febris eſt morbus, putredo cauſſa; febris indicat refrigerantia, venæ ſectio refrigerat, venæ igitur ſectio indicatur. In putredine duo conſideramus, cauſſam, & ipſam putredinem. Putredo rurſus duplex, quæ fit, & quæ facta eſt, quæ facta eſt, id eſt, humor putrefactus & corruptus, indicat euacuationẽ, vt Galenus tertio articulo artis medicę; hæc fit per venę ſectionem, ſi ſanguis ſit qui corruptus, & putrefactus eſt, alioquin haud conuenit: quæ putreſcit, id eſt, ſemiputris, & ſemimala, debet corrigi à natura, & prohiberi à nobis, ne vlteriùs procedat; corrigitur à natura per coctionem, quæ fit per moderatè calida, prohibetur adhibendo contraria putredini, hæc procedit beneficio caloris externi; adhibebimus igitur refrigerantia, venæ ſectio refrigerat, igitur hæc conuenit; ratione coctionis primò non conueniat, ſed conuenit per accidens iuuans coctionem: Cauſa putredinis eſt obſtructio, hæc fit à lentore, & craſſitie, aliquando à multitudine: Venæ ſectio tollit multitudinem, igitur ſi ab hac obſtructio eſt, conuenit: ſi à lentore, & craſſitie indicantur abſtergentia, & attenuantia, talis non eſt venæ ſectio, ſed quæ tali facultate præditæ ſunt, adhiberi non poſſunt, niſi ablata multitudine, aufertur per venæ ſectionem; ergo in lentore, & craſſitie conuenit. Ex his colligi videtur, in omni febre putrida aliqua ratione mittendum eſſe ſanguinem, ídque videtur proponere Galenus vndecimo methodi decimo quinto ſcribens: Saluberrimum eſt in omnibus febribus non continentibus modò, ſed aliis omnibus, quas putreſcens humor

mor accendit, ſanguinem mittere, ſi modò ætas, & vires non prohibeant. Sed res non ita habet. Galenus enim idem primo ad Glauconem in curatione febris tertianæ, huius auxilij non meminit: in quartana euacuat, ſi fortè ſanguis vehementer ſuperabundans appareat: in quotidiana non meminit, in tertiana notha non abſolutè proponit, ſed ſi videatur faciendum, ſtatim ab initio mittendum dicit. Dicimus, venæ ſectionem primò, & per ſe reſpicere humores in venis exiſtentes, tales enim per eam educuntur, quare tum præcipuè conuenit, quum humores in venis peccant: Peccant autem in venis, quum febres ſunt continuæ: igitur in continuis primò videtur conuenire. In intermittentibus humor exiſtens extra venas non videatur eam requirere, ſiue extra illas putreſcat, ſiue in illis putrefactus foras feratur. Verùm vt ea quæ diximus de continuis nolumus obtinere, vt ſemper in continuis mittatur ſanguis, ita hæc non conuincant, nunquam in intermittentibus eſſe mittendum; licèt enim in his concedatur non putreſcere ſanguinem, aut humores in venis, tamen non putridi ab his pelluntur foras, aliquando ibidem geniti, quo caſu tollitur materia antecedens, quæ deinde fit materia coniuncta. Si verò materia intermittentis febris gignatur in ipſiſmet carnibus, quod fieri aliquando teſtatur Galenus libro de tremore, palpitatione, & conuulſione, tunc non putem eſſe proficuam venæ ſectionem, ſicuti etiam cùm in intermittente commodè à natura per ſingulas acceſſiones expellitur, libérque à febre omninò remanet ægrotus, ſuperfluum puto venæ ſectionem adhibere, quæ poſſit naturam commodè operantem impedire. At ſi expurgari commodè per acceſſiones non videatur æger, vnde ſuperueniant aliqua grauia ſymptomata, tunc mittetur ſanguis. Solent autem ſuperuenire, & non expelli tota materia, cùm illa multùm abundat; quare in multitudine mittitur. Cùm multitudinem dicimus, ſanguinem intelligimus; ſi enim ſit alius humor, purgante medicamento meliùs trahitur. Igitur aliquando in intermittente mittendus ſanguis, aliquando non mittendus. In continuis ſimiliter non mittendus ſemper: Galenus enim quarto de tuenda valetudine capit. v. circa medium tres proponit ſuccorum veluti claſſes ſeu ordines citra ſanguinem, & alios tres vltra ſanguinem; ipſum verò ſanguinem in medio conſtituit, tum affirmat, vbi paululùm, vel citra ſanguinem reſtitum, vel vltra proceſſum eſt, audacter eſſe mittendum ſanguinem, vbi plus [nimirum reſtitum, vel proceſſum eſt] conſideratiùs eſſe agendum, vbi plurimum, in his nullum omnino eſſe mittendum ſanguinem; dixerat autem paulò antè, vbi citra eſt reſtitum, illos humores varios eſſe, ſed tamen vno nomine appellari ſuccum crudum, vel pituitam, vbi autem vlteriùs eſt proceſſum, illos humores eſſe ſupra iuſtum modum percoctos, ſanguinem autem eſſe in medio. Video igitur humorem biliosum non connumerari inter crudos, neque eo nomine

 ſignari

ſignati. Si igitur contingit in febre putrida continua adeſſe humorum crudorum, ſiue pituitæ copiam plurimam, aut etiam billioſi ſucci, ex hoc Galeni loco doceamur, non eſſe mittendum ſanguinem; At negat Montiſianus, & Argenterius; & quæ dicuntur in libris de tuenda valetudine nolunt referri poſſe ad curationem morborum: Vult tamen Trincauellius, cuius opinionem veriorem puto. At, inquit Argenterius, in morbis res magis periculoſa, neq́ ſicuti in affectibus, aut laſſitudinibus vlceroſis, de quibus agebat Galenus, ita licet in febribus continuis omittere venæ ſectionem. Reſpondemus licere, quoniam alia ſunt præſidia, quæ magis conueniunt, nimirum purgatio, quæ magis accommodata eſt trahendæ bili, aut pituitæ. Dicimus autem referenda eſſe, quæ dicuntur in libris de tuenda valetudine ad curationem morborum; cùm ſunt ratione coniuncta, vel aliis Galeni locis confirmantur, vt in præſentia: in abundantia enim bilis non eſſe mittendum ſanguinem ſcribit ex Hippocrate idem Galenus tertio in ſextum Epidemiorum textu vltimo, quod & ſcriptum etiam fuit ab Auicenna. Igitur non in omnibus continuis febribus ſemper mittendus eſt ſanguis, etiam conſentiente ætate, & viribus: ſed tunc ſolùm cùm peccat ſanguis, aut cùm humore peccante adeſt ſaltem mediocris ſanguinis quantitas, aut ſaltem non adeſt ſanguinis penuria: ſcimus enim non ſemper eſſe neceſſariam plenitudinem, idque ſcribit Galenus octauo methodi capite quarto, admonens nos, vt etiam in diaria cum multitudine ſuccorum, eorúmque craſſorum, & glutinoſorum, mittamus ſanguinem tranſacto ſpatio primæ acceſſionis, ne fiat febris putrida, licèt etiam plenitudinis ſigna non adſint. At indicia plenitudinis nec nos requirimus, quæ ſunt rubor, & tenſio, & alia, quæ proponit Galenus pro ſignis plenitudinis; præſertim ad vaſa „plenitudo enim ad vires etiam cum mediocri ſanguinis copia adeſſe poſſit. At verò quid reſpondemus ad locum Galeni citatum ex capite vndecimo methodi decimoquinto, *Saluberrimum eſt*, &c. & quid etiam ad indicationes propoſitas, & hauſtas ex natura rei & natura morbi? Ad locum Galeni dicimus: Primùm non citari fideliter ab omnibus qui eum citant: nonnulli enim citant illum tanquam eo dicatur, ſaluberrimum eſſe ſanguinem mittere in febribus omnibus non continuis modò, ſed aliis omnibus quas putreſcens humor accendit. At non ita locus legitur, non enim ſcriptum eſt in continuis, ſed in continentibus, Græcè enim non *συνεχὰς*, ſed *συνόχας* ſcriptum eſt; opponit igitur non continuas intermittentibus, ſed continentes, de quibus agebat, continuis, quas intelligit in ſequenti membro. At dicat quiſpiam: nimirum igitur in omnibus ſaltem continuis mittetur. Reſpondemus, quod valeat & ad locum Galeni,& ad indicantes propoſitas, & ad argumenta, quæ ex indicationibus peti poſſent: ſi enim ex indicatione habetur, mittendum eſſe ſanguinem tum ratione febris, tum

tum putredinis, tum cauſæ, indicationes autem habentur ex morbi forma aut eſſentia, ſeu ex illis quæ morbi eſſentiam conſtituunt, quomodo indicata ab eſſentia morbi, non reuocabuntur ſemper in vſum, cùm eſſentia videatur eadem ſemper, & perpetuò id requirere? Reſpondemus; morborum eſſentiam non eſſe, ſicuti eſſentiam, aut formam rerum naturalium, quæ neceſſaria eſt, & eadem ſemper, nec plus, aut minus recipit, ſed conflatam eſſe ex multis accidentibus, quæ modò plura, modò pauciora ſunt, ex quo variari illam eſſentiam, indeque fieri, vt eorum ratione modò vnum, modò aliud auxilium ſit vſurpandum: licet enim & refrigerare, & putredinem auferre non ſola ſanguinis miſſione, ſed aliis etiam auxiliis; quare non indicatur neceſſariò eſt ſaluberrimum, licèt ſæpius ob multitudinem quæ adeſſe ſolet, & ſaluberrimum & neceſſarium ſit.

De tribus febrium generibus ex Galeno, déque acuto, & magno morbo.

Capvt XXXV.

Tria eſſe prima febrium genera, vnum earum quæ diariæ appellantur, alterum hecticarum, tertium earum quas acutas vocant, ſimiles putridorum humorum primo in tertium Epidemiorum textu quinto ſcribit Galenus. An igitur omnes putridæ ſub acutis hoc loco, & hiſce verbis comprehenduntur? id eſt, omnes putridas eſſe acutas colligitur, an potiùs id tantùm, acutas eſſe putridas? atqui id non eſt vniuerſaliter verum, nam ſynochæ abſque putredine ſunt acutæ, non tamen putridæ: niſi dicamus ſynochas has comprehendi potuiſſe ſub diariis. Acuti igitur morbi nomen larè patet aliquando, quod etiam ex illis colligitur quæ habet Hippocrates quarto acutorum. *In morbis acutis ſanguinem detrahes, ſi morbus videtur magnus*, &c. Ex his enim apparet non omnem acutum morbum eſſe magnum: febres igitur aliquæ putridæ erunt, & acutæ, quas tamen magnas eſſe minimè neceſſe ſit: Vnde magnitudinem ab aliis conditionibus pendere, ab aliis acutiem dicendum eſt. De acuto morbo, qui Græcè ὀξὺς, hæc præterea adnoto: alium eſſe febrilem, alium abſque febre, vt epilepſia, apoplexia, conuulſio ac tetanus, quos memorat Galenus quinto Aphoriſm. trigeſimo. Non igitur quilibet acutus morbus ſemper habet febrem coniunctam, quod alicubi ſcribi videtur, ſed qui acutus febrilis eſt, ille febres habet continuas.

De Paroxiſmo, & hora exhibendi cibi.

CAPVT XXXVI.

PAROXISMVS, ſeu acceſſio eſt deterius tempus ὅλης περιόδου, totius circuitus, quod eſt à primo inſultu vſque ad ſtatum, nimirum incluſiuè, vt loquuntur: quoniam quod reliquum eſt, ad declinationem pertinens, melius eſt, ſicuti ſcribitur à Galeno primo Aphoriſ. xij. Acceſſionis autem principiū fit calore omni ex toto corpore ad cor thoracémque concurrente; vnde cùm per vniuerſum corpus, & intus & extra frigus ſentitur, illud nōdum acceſſionis eſt initium, licèt aliqui ita appellent, cùm autem in viſceribus calor percipitur, licèt in externis adhuc frigus adſit, acceſſionis initium eſt: Incrementum autem eſt, cùm ad externas corporis partes ſeſe expandit, ſtatus cùm ex æquo corpus totum occupat; Declinatio autem contrarium principio modum habet, perſpirante ſcilicet caliditate, atque medias corporis relinquente. Adnotatio vtilis ad eligendam horam qua ſalubriter exhibetur cibus; qua re nonnulli fortaſſe peccant. Non enim ſufficere ſcribit Galenus, vt pedes incaleſcant, ſed vt caliditas deſerat, aut potius deſeruerit partes internas ventris, atque thoracis, inde ad pedes deſcendendo, fieri enim poteſt, vt ille ſcribit, vt pedes calfiant manente in corporis medio caliditate, quod in vigore contingit, non hoc autem, ſed illud eſſe tempus maximè accommodatum ad exhibendum cibum, ſcribitur ſecundo de ratione victus textu XLVI hoc tamen tempore ſunt qui ſaltem aquam exhibeant ad refrigerandum, & humectandum, quod in ſiccis naturis commodum, & proficuum ſit, ita in alijs fortaſſe minus ſalubre.

De abceſſuum ſecundùm rectitudinem, & qui tales non ſunt, vtilitate. Galeni locus ex ſecundo Epidemiorum malè ab interprete acceptus, emendatus.

CAPVT XXXVII.

CVM de abſceſſibus ad inferiores corporis partes ſecundùm rectitudinem factis ageret Hippocrates libro ſexto de morbis popularibus, hæc habet ex Cornarij tralatione: *Secundum rectum, & coſtarum dolor, & præcordiorum contentiones, & lienis elationes, & ex naribus eruptiones, & aures ſecundùm rectum. Horum prima huiuſmodi, & in oculos. Vtrùm igitur omnium, aut quæ quidem ab inferius ſurſum, qualia*

quæ

quæ iuxta maxillas,aut etiam oculum,aut etiam aurem : quæ verò à ſuperis deorſum non ſecundùm rectum. Atqui,& in angina rubores, & coſtarum dolores ſecundùm rectum. Galenus autem commentario ſecundo particula xiij. pro explicatione verborum Hippocratis quæ vltimo loco ſunt poſita, ita ſcribit, vt vertit I.Paulus Craſſus: *In ſecundo de morbis popularibus non eſt adiecta hæc dictio,per quam dubitat vtrùm ex inferioribus in ſuperiora abſceſſu facto ſemper membri rectitudo vtiliter ſeruetur, ex ſuperioribus autem in inferiora corrumpatur, ac fiant quidam non ſecundùm rectam regionem abſceſſus.* In hac tralatione primum moleſtum eſt quod in illis, *ex ſuperioribus autem inferiora corrumpantur, ac fiant quidam non ſecundùm rectam regionem abſceſſus.* Videtur interpres verbum, *corrumpantur,* de abſceſſibus (quæ vox ſubiequitur) accepiſſe, quod non bene ſenſui videtur quadrare, ſed potiùs de rectitudine, quæ præceſſit intellexerim. Ita enim Græca leguntur. *πότερον ἐν μὲν τῶν κάτω τῆς ἀποστάσιος ἄνω γινομένης χρήσιμον ἀεὶ συντηρεῖται τὰ κατ' ἰθυωρίαν, ἐν δὲ τῶν ἄνωθεν κάτω διαφθείρηται τι καὶ γίνονται τινὲς οὐ κατ' ἴξιν ἀποστάσιες,* id eſt, *Vtrùm in illis quæ ab inferioribus ad ſuperiora feruntur facto abſceſſu vtiliter ſemper cuſtodiatur rectitudo, iis autem quæ à ſuperioribus ad inferiora corrumpatur, & fiant quidam non ſecundùm rectitudinem abſceſſus*; nimirum corrumpatur,hoc eſt,non ſeruetur rectitudo, & tamen vtiliter abſceſſus fiat. Sed illud alterum magis moleſtum, quod in eo quem citat Galenus Epidemiorum Hippocratis libro ſecundo non legitur quod hîc à Galeno affertur:ſed illud tantùm ſectione tertia illius libri ex Cornarij tralatione: *E directo etiam laterum intenſio doloroſa, & præcordiorum intenſiones, & ſplenis eleuationes, è naribus eruptiones.* In Græcis ſanè codicibus, quos habemus impreſſos, dictio *è directo* adiecta eſt priori ſententiæ, quam non exſcripſimus hîc,ſed cùm appareat manifeſtè, ad hanc etiam quæ propoſuimus pertinere, denuo eſt ſubaudienda, vt nihil hac re interſit. Quæ ſententia eiſdem penè verbis ſcripta etiam, & propoſita fuit eodem ſexto Epidemiorum proximo antecedente ſermone, & à nobis itidem exſcripta. Igitur ſexto Epidemiorum laterum dolores, aut intenſiones doloroſas, vt ſecundo Epidemiorum, & ſplenis eleuationes,è directo fieri propoſuit, ſicuti è naribus eruptiones, nimirum cùm vel recipiunt, vel mittunt hæc membra (vtroque enim modo poſſe ſententiam accipi ex Galeno etiam habemus)fieri tranſmiſſiones ſecundùm rectitudinem: ſed quod videtur ſignificare Galenus addidiſſe Hippocratem, vtiliter fieri tranſmiſſionem quum ex inferioribus materia ſecundùm rectitudinem mittitur ad ſuperiora, non vtiliter quum ex ſuperioribus non ſecundùm rectitudinem mittitur, illud ego non poſſum in verbis Hippocratis videre. At verò ſcripſerit illud Hippocrates cùm hic ea de re dubitet; quomodo dubitationem diluit Galenus,& totam rem explicat? Non omnino ſanè terminat quæſtionem, ſed ait ſolutionem pendere ex temporis notitia, quo ſecundus & tertius Epidemiorum liber ſcriptus eſt,quod eſſe incertum inquit; non enim quod ille ſecundus, hic ſextus dicatur, ideo conuinci illum

priùs, hunc poſteriùs fuiſſe ſcriptum, id enim tantùm valere in ullis Hippocratis libris qui conſcripti ſunt vt ederentur & inuulgarentur, non item in illis quos ſibi ad memoriæ ſubſidium, vt praſtò res quærentibus eſſet, domi habebat, quæ dicebantur ὑπομνήματα, qualem fuiſſe ſextum hunc dicit Galenus, quippe non ab Hippocrate editum, ſed à Theſſalo eius filio collectum, qui ſequens ordinem aliorum, ſextum inſcripſit. Concludit igitur Galenus ex quorundam ſententia, ſi priùs ſcriptus eſt ſecundus Epidemiorum, poſteriùs ſextus, par eſt exiſtimare quum poſt ſcriptionem illorum, quæ ſecundo continentur, vbi abſque dubitatione ſententia proferebatur, vidiſſet abſceſſum in inferiora non ſecundùm rectitudinem vtiliter factam, de ſententia quam in ſecundo propoſuerat dubitaſſe, & dubitationem hîc propoſuiſſe; ſi autem prius eſt ſcriptus ſextus, poſteriùs ſecundus, dicendum cùm in ſexto de re dubitaſſet, eamque dubiè propoſuiſſet, in ſexto non iam dubitantem, ſed certò rem diiudicantẽ, è directo tranſmiſſiones omnes fieri debere propoſuiſſe. Eandem rurſus quæſtionem ſequenti particula xiv. propoſuit ex Hippocrate Galenus, quærens vtrũ in abſceſſibus ad inferiora corporis depulſis, ſemper rectitudo ſeruetur necne, quod proximo ante hunc ſermone in dubium reuocauerat, ex Græco; verùm quæ infra iecur ex ſuperioribus delabuntur, vt in teſtes & varices, melius ſit ſecundùm rectitudinem fieri aut etſi non ſecundùm rectitudinem fiant, poſſint partibus ſuperioribus ſimiliter opitulari, ſed neque hîc quæſtionem determinat, non enim poſſe in nonnullis cognoſci hanc rectitudinem ait, vt quum varices inſaniam ſoluerint, ſi è directo factus eſt abſceſſus, aut contrà: non enim internoſcere licet, vtrùm in dextris cerebri partibus, aut ſiniſtris affectione oborta, inſanierit, quibus ſimilia alia exempla proponit ibidem Galenus, tandem claudit ſermonem, in hiſce aut vix, aut nullo modo cognoſci poſſe rectitudinem: in illis autem abſceſſibus, in quibus illa cognoſci poteſt, conſiderandum eſſe ait Hippocrates, ſi omnino & abſolute in abſceſſibus illis qui fiunt ad partes inferiores, meliores ſunt qui fiunt ſecundùm rectitudinem. Hiſce igitur verbis non omnino concluditur, in abſceſſibus ſemper ſeruari debere rectitudinem, ex Hippocratis quidem ſentẽtia, qui ea de re dubitat; quare & vtilis etiã ille exiſtimandus aliquando, qui non ſecundùm rectum fiat, id autem tunc potiſſimùm contingere meritò exiſtimandum eſt, cùm ex ſuperioribus ad inferiora abſceſſus fit, ſuperiora enim inferioribus ſunt nobiliora, ſuperiorúmque partium affectus periculoſiores: ſuperiora autem dicuntur iuxta Galeni doctrinam hoc eodem ſecundo commentario in ſexto Epidemiorum particula xiv. quæ ſunt ſupra hepar, inferiora quæ ſub ipſo.

De febre

De febre ardenti, & ſynocha, quæ certam aliquam & determinatam febris ſpeciem non ſignificant. Galeni locus ex ſecundo de differentiis febrium illuſtratus. Qua ratione febris ardens fiat: de vera, & notha ardente, quæq; periculoſior, & quæ minus.

CAPVT XXXVIII.

CAVSVS ſiue febris ardens non ſignificat ſpeciem aliquam particularem febris ab aliis omnibus ſpeciebus diſtinctam & à particulari aliquo humore progenitam, ſed conditiones potiùs quaſdam, & qualitaté quandam, gradúmque caloris, quæ vbi adſunt, febris illa dicitur cauſus, ſiue ardens, atque etiam ignis, quocunque ex humore, & quocunque ex loco fiat illa febris. Igitur ſcire licet tertianam continuam, quæ vulgò dicitur, appellari ardentem, quod Galeni teſtimoniis probatur libro ſecundo crit. cap. ſexto, vbi ſcribebat febres continuas eſſe ὁμογενεῖς cum intermittentibus, id eſt, eiuſdé generis, atque ita tertianam exquiſitam [nimirum intermittentem, tertianæ enim nomine intermittens intelligitur] reſpondere exquiſitæ ardenti, quotidianam illi quæ qualibet die accesſionem paritur, ſed nunquam deſinit ad infebricitationem, quartanam ſimiliter illi, quæ quarto quoque die redit, quibus paulò pòſt hæc adiicit: *Quæ ob ſolam flauam bilem febris accenditur, ſine aliquo viſceris affectu, ſi manente adhuc intra vaſa bile accendatur, exquiſita febris ardens eſt: ſi verò per totum deferatur, tertiana*; eodem modo in libro de tremore, palpitatione, &c. ſcribebat: calidorum medicaminum applicationibus nonnunquã ſolus horror, ſæpe & rigor ſuperuenit, quemadmodum in febribus ardentibus, & in tertianis febribus: nomine autem tertianarum, quæ Græcè τριταῖοι, ſemper intermittentes intelligit: ſed & paulò pòſt: *Hac ratione ſola ardentes febres à tertianis* (& hîc intermittentes neceſſariò intelliguntur) *differunt, quia ardentes in vaſis bilem habent, in tertianis extra ipſa vaſa per ſenſilia corpora fertur.* Ex his apparet, quæ dicitur tertiana continua, ardentem appellatam fuiſſe à Galeno: éſtque ex illis febribus, quæ interuallum quidem febre vacans omnino non habent, habent tamen declinationem quandam. Verùm ea febris tertiana intermittens, quæ tertio quoque die redit, & in quietem febre vacantem deſinit, dicitur etiam febris ardens, ſeu cauſus, ídque ipſius Galeni teſtimonio, libro octauo de decr. Hipp. & Platonis, cap. ſexto, vbi hunc in modum ſcribebat: *Ita nunc ſatis erit ea tantùm, quæ illis in libris demonſtraui-*

mus commemorare. Acutiſſimas ſcilicet, & ardentiſſimas febres à flaua bile oriri, & tertianam ex ardentium genere eſſe: cur verò hæc continua minimè fit, vt ardens, ſed intermittat, cauſſam ibi explicauimus. Libro autem ſecundo de diff. febr. capite tertio, non cauſum ſimpliciter, ſed cauſodem appellat, ita ſcribens: *Quæ ex flaua bile per ſenſibiles corporis partes delata oritur febris, cum rigore vehementi inuadit, atque cauſodes eſt.* Duæ igitur ex bile febres ſunt, tertiana continua, ſiue τριταιοφυὴς, & tertiana intermittens ſiue τριταῖος, quando continua alternis diebus inualeſcit, licèt numquam in quietem febre vacantem deſinat, altera autem cum in quietem febre vacantem terminetur, tertio tamen quoque die redit; ſed & tertia adhuc ardens eſt, quæ neque reditum vllum, neque inualeſcentiam vllam alternis diebus habet, ſed ab initio ad finem vnum acceſſionis tempus, donec ex toto ſoluatur, vnde & ſynochæ tales dicuntur: hæque non ſecus ac ſynochæ ex ſanguine, in tres differentias diſtinguuntur; quod ex verbis Galeni notum facio libro ſecundo de diff. febrium cap. ſecundo, quæ ita leguntur: *Continuarum autẽ duplex eſt ſpecies, altera earum quæ ſynochæ appellantur: quando vniuerſum tempus in vna conſumitur acceſſione, quæ à principio vſque ad finem pertingit. Altera earum quæ idem cum genere nomen ſortiuntur, & continuæ appellantur, atque in pluribus particularibus circuitibus continentur. Earum igitur quæ ſynochæ dicuntur tres ſunt omnes numero differentiæ. Nam quædam earum à principio vſque ad finem æquales perdurant: quædam paulatim augentur: Tertia ſpecies paulatim decreſcit, vnde & nonnulli primas quidem homotonas atque acmaſticas, hoc eſt, in eodem ſtatu & vigore perſeuerantes nominarunt, ſecundas anabaticas, atque epacmaſticas, hoc eſt, aſſurgentes, atque inualeſcentes dixerunt, tertias autem paracmaſticas, hoc eſt, decreſcentes appellarunt.* Igitur febris ſynochus, ſeu continens, non, quod vulgò exiſtimatur, vnam tantùm febris ſpeciem à ſanguine prouenientem ſignificat, ſed eam quæ vnicam habet acceſſionem toto morbi tempore ab initio ad finem perſeuerans, ſiue à ſanguine, ſiue à bile febris ſit, fortè etiam ab aliis humoribus, quæ deinde in tres propoſitas differentias diſtinguũtur, ſicuti de bilioſa ex loco quem modò recitauimus patet, de bilioſa enim intelligi etiam neceſſe eſt, & de ſanguinea ex libro nono methodi medendi. Porro autem ad initium loci ex ſecundo de diff. febriũ à me modò recitati, expunxi verba nonnulla quæ in vulgatis cùm Græcis tum Latinis codicibus habentur, nam cùm legatur: *Continuarum autem quæ ex flaua bile proueniunt, duplex eſt ſpecies,* illa omiſimus (*quæ ex flaua bile proueniunt*) conturbant enim totũ locum, quippe diuiduntur febres omnes continuæ in hunc modum. Continuarum aliæ ſynochæ, quarum vniuerſum tempus in vna conſumitur acceſſione, quæ à principio vſque ad finem pertingit; aliæ quæ nomine generis continuæ itidem dicuntur, ſed in pluribus particularibus circuitibus continentur, non vt ſynochæ vnica acceſſione per totũ morbi decurſum: Synochæ tres habent differentias, aliæ enim à principio vſque ad finem æquales, & reliqua quæ antea recitauimus. Continuarum autem quæ vnica

vnica acceſſione non terminantur, duæ ſunt primæ differentiæ, aliæ enim ſingulis tertiis diebus inualeſcunt, & hæ vulgò dicuntur tertianæ continuæ: Galen. appellas τριταιοφυῆς, aliæ die intermedio alteram faciunt acceſſionem, haud relinquentes alterum & ſecundum diem abſque febre, ſed quotidie eam habent, ſunt autem hæ quotidianæ continuæ vulgò dictæ; ſed apud Græcos nullum præcipuè obtinere nomen hoc loco Galenus teſtatur, quæ enim ἀμφημερινὰ dicitur, illa eſt quotidiana intermittens, tum verò de hac eadẽ febre quędam obſeruat Galenus, & poſtmodum tertiam differentiam, aut genus cõtinuatũ quæ circuitũ habẽt proponit, nimirum quartanam, continuam vulgò dictam, cuius acceſſionẽ in figurã quartani circuitus procedere ſcribit, & ad infebricitationem minimè terminari, hãcq; etiã rarò euenire ſcribit. Igitur cõtinuæ nõ ex ſola bile, ſed ex aliis etiã humoribus cõſtant, vt ex verbis eiuſdẽ fuit manifeſtũ. Video autẽ ea verba quæ omiſi in aliis transferẽdis fuiſſe etiã ſuſpecta Alexandro Iuſtiniano, qui in codice Græco quo vtebatur, illa notis quibuſdã cõpunxit, fortaſſe etiã ex aliquo manu ſcripto codice; ita etiã exiſtimauit Trincauellius: & hæc de eo loco. Igitur febris hæc ardẽs poſtremò propoſita nullam habens acceſſionem, eſt de genere ſynochorum, atque ſynochus dicta eſt à Galeno loco recitato, & ſecundo de diff. febr. ſecundo: eandem verò quæ nullam habet acceſſionem, nec aliam declinationem ſenſibilem, quæ appellatur ſynochus, dicitur etiam ex genere ardentium ſiue ex cauſodis ſecundo criſ. ſexto per hæc verba: *Continuam quidem nomino febrem, quæ ad infebricitationem antequam ex toto ſoluatur non deſinit, etſi declinatio aliqua ſenſibilis appareat. Cùm verò neque declinatio aliqua ſenſibilis fiat, ſemper verò à primo principio febris vſque ad criſim ſimiliter perſeuerauerit, erit & hæc ex genere febrium cauſodum* [dcurentium vertit Leonicenus] *ab iiſdem verò acutie differt: ſed neque in primo die, neque in ſecundo poſsibile eſt huiuſmodi febrem prænoſcere, neque alioqui eſt vtile: ſufficit enim genus agnoſcere, quòd ſcilicet biliosa ſit, atque deurens, & peracuta, neque enim ſi ſynochum etiam ipſam appellaueris, vt quidam medici faciunt, appellationis ratione à febribus deurentibus toto genere differet, ſicuti neq; ob id quod ſynochi tres differentias cognoſcentes, proprium ſingulis ipſarum nomen impoſuerunt, has quidem epacmaſticas*, id eſt, increſcentes, illas verò ὁμοτόνους & ἀκμαστικὰς, id eſt, in eodem vigore, & tenore perſeuerantes, alias παρακμαστικὰς, id eſt, decreſcentes nominantes. Tria verò hæc cauſarum aut febrium ardentium genera, & varia eſſe, & variam habere generationem ſatis conſtare puto; tertiana enim continua aut τριταιοφυὴς fit ex bile putreſcente in vaſis prope iecur, ſynochus in vaſis totius corporis, præcipuéque maximis inter alas & inguina, tertiana autem intermittens quæ τριταῖος Græcè dicitur, in habitu corporis extra venas eadem bili delata, trahique illa poteſt è venis à carnibus, cùm & carnes vim attractricem poſſideant; quam quæſtionem de febre ardente propoſuit Galen. primo acut. primo: tunc autem hæc ardens dicitur, cùm ob copiam materiei, aut eiuſdem qualitatem magis acrem, maiorem gi-

gnit

quæ caliditatem, & magis excalfacit cor: cui rei etiam poſſit eſſe occaſio locus, qui licèt extrá venas, ſit cordi proximior, aut etiam putreſcit intus in venis non longè à corde, ſed inde à natura poſtea expellitur, ex quo ingentem etiam calorem cor concepiſſe neceſſe eſt, licèt intermittens ſit febris: quo tempore illa duo ſymptomata hæc febris obtinet quæ ardenti neceſſaria ſunt, nimirum ſitis incompeſcibilis, & ardor totum hominem exurens, de quibus Galenus quarto acut. & alibi. In venis autem putreſcere poſſe humores in intermittentibus ex Galeno patere docuimus, ſic tamen vt poſtea ex ipſis pellantur: fit autem terciana continua minimè ardens, quum paulò à corde diſtantiùs alicubi putreſcit bilis in venis, nec ita acris, nec ea copia eſt, vt aſſiduũ qui in ardente febre requirur, gignere poſsit calorem. At verò quum in omnibus corporis venis, aut maximis quæ ſunt inter alas & inguina, bilioſus humor putreſcit, tunc ſemper ardens ſit. Hæ autẽ ſunt febres ardentes per ſe, aut morbi, ſed & dantur aliæ ardentes ex partium inflammatione, quæ ſymptomata dici poſſunt, vt febres aliæ ex inflammationibus ortæ eo nomine appellantur. Galenus autem primo in primum Prorrheticorum xviij. fieri dicebat ex inflammatione cerebri & vteri, & primo acutor. primo, ex ventriculo, ore ventriculi, ſtomacho, pulmone, & ieiuno inteſtino: ex his enim partibus licèt aliquæ diſtantes ſint à corde, eidem tamen per canales facilè communicare poſſunt caloris exceſſum, atque ita febrem ardentem gignere, licèt hæc appellari ſoleat nomine morbi, phrenitis, pulmonia, aut alio, haudquaquam febris: quod & Galenus alicubi obſeruauit. Igitur cauſus de variis febrium generibus dicitur, & ad varios morbos ſe extendit, quæcunque nimirum illa habent, quorum ratione hæc febris ita appellatur, quæque eiuſdem pathognominica ſigna dicũtur; ſunt autem duo propoſita ab eodem Galeno quarto acutor. quarto, & tertio in tertium Epidemior. xxxiv. ſitis aſsidua, ſeu incompeſcibilis, atque calor perpetuò totum hominem deurens: quacunque in febre hæc non deſiderabuntur, illa dicetur ardens, ac ſi in inflammationibus adfuerint, illis ardẽtem iungi, erit manifeſtum. Fiunt ſanè hæ ardentes à bile, vt docuimus, eáque materia in illis accenditur & putreſcit: dicuntur tamen ab Hippocrate primo de ratione victus in acutis ichores, id eſt, tenues humiditates, vt Galenus exponit, ſed nimirũ humiditates bilioſæ. Atqui ſciendum fieri etiam cauſum aut ardentem febrem ex pituita ſalſa, quem expreſsè proponit Hippocrates IV. acutorum xiij. vt quidem in commentario ad eum locum exponit Galenus, ſed eundem non vult eſſe legitimum, nec exquiſitum cauſum, nec ita appellari debere, ſed cauſum tantummodo. Non enim ea habere quæ legitimo cauſo ex neceſsitate requiruntur, ſitim incompeſcibilem, & calorem exurentem; ſunt autem hæc Galeni verba eo loco: *Cauſus qui corpus non exurit, & ſitim habet quam ſolari poſsimus, cauſum quidem ſimpliciter, exquiſitum autem ſeu legitimum non dicemus; ſed cùm ex dimidio ſit talis, haud malum erit, breuioris doctrinæ gratia, nominare cauſum nothum,*

thum ; ſicut ſanè in tertianis febribus vti appellationibus hiſce ſolemus : ita duo cauſorum genera eſſe intelligemus, vt tertianarum genera duo eſſe quiſpiam dixerit, vnum exquiſitum legitimúmque, alterum verò nothum ſpuriúmve. Cur verò ita appelletur hic cauſus, & quo differat à legitimo, & exquiſito, docet ſubiiciens, eum eſſe nothum, cui ex ſymptomatis quæ obtinet legitimus, nonnulla quidem inſunt, aliqua verò non : ſubdens, eundem cauſum eſſe diminutum, nec perfectè abſolutum, poſſe etiam ex Hippocratis dictione colligi, in qua aliqua propoſita in legitimo, in notho quem dixit, proponi haud apparet, quæ etiam Galenus ſigillatim obſeruat; antea quidem ſitim incompeſcibilem, & calorem totum corpus exurentem comprehendit, quæ à notho cauſo abſunt, tum verò in eodem alia ſubiicit, quæ apud ipsũ videre eſt, ſed & addit, ſicuti materia legitimi cauſi, eſt tenuis, & feruens humor, ex quo in ipſo contingentia, & ab Hippocrate poſita ſymptomata fiunt, ita non legitimi eſt frigida, glutinoſa, & craſſa pituitæ ſubſtantia, quæ hiſce nominibus appellatur comparatione bilis ex qua alius fit : alioquin enim excalfacta eadem pituita iam ſimpliciter frigida non dicatur, licèt craſſa fortaſſe eſſe poſſit. Hic autem nothus, & illegitimus cauſus, etſi diminutus, & ex dimidio perfectus fuerit dictus, non tamen minùs periculoſus eſt aliquando quàm legitimus, ſed æquè ex illo periculum impendet, dicitúrque pernicioſus, & malignißimus, qualis lypiria febris exiſtimatur, & dicitur à Galeno quarto Aphoriſmorum XLVIII. in qua extrema refrigerantur : id autem non contingere dicit in mitiori cauſone, nec in tertiana, quæ duæ febres ſunt calidißimæ ; hæ autem à bile productæ ſunt : ſcriptum ideo fuit ab Alexandro Tralliano libro 12. capite 3. nothas eſſe magis periculoſas legitimis, quod tamen non ita ſimpliciter affirmandum eſt, ſi quidem exquiſitæ ardentes ex ſincera flaua bile ortæ, legitimæ minimè autem nothæ dicendæ ſunt; has enim magis periculoſas, & exitiales eſſe, quàm ex non ſincera bile, habetur ex Galeno ſecundo in primum Epidemiorum particula LXI. cùm moderatæ fuiſſent, quæ non erant ex ſincera bile, plurimíque ex ægrotis fuiſſent ſuperſtites, quod ſcripſerat Hippocrates. Quod & manifeſtißimis verbis ſcribit primo in primum Epidemiorum nono, dicens vehementem, & quaſi germanam febrem ardentem à flaua bile oriri; & paulò pòſt, exquiſitam dicit vehementem, non exquiſitam lenem, & diſcuſſu facilem; quæ igitur ardens non eſt ex flaua bili ſincera, illa vt plurimùm magis placida eſt, quæ ex ſincera vehementior, ſed & lypiria, quæ non ex tali humore eſt, pernicioſiſſima & maligna admodum eſt : hæc autem an dicenda notha ? dicamus ſanè non exquiſitam, quando tale nomen dedimus ei quæ à bile fit, nec contendamus de nomine : & licèt lypiria per vniuerſum corpus exurẽtem non habeat caliditatem, quippe quæ refrigeratas extremas partes habeat, intus tamen ea in ipſis præcipuis viſceribus exuſtionem illam habet : liceat & fortè illud dicere, quòd pernicies, & malignitas pertinet ad morem morbi, non ad magnitu

magnitudinem:exquiſitæ igitur ardentes à bile, magnæ ſunt, vehementemq; obtinent calorem,& eo maiorem, quo à magis ſincera bile oriuntur,non exquiſitæ, ſed nothæ,non adeò magnæ, nec adeò vehementem calorem, pérque vniuerſum corpus apparentem obtinent, ſed tamen æquè malignæ,& pernicioſæ, ac exquiſitæ ſunt: non tamen de omnibus nothis loquor,ſed de illis quibus extremorum refrigeratio ab Hippocrate & Galeno propoſita accidit, qualis eſt lypiria eo loco nominata.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE